



DE SS. MATRE DOLOROSA

Libri Tres,

I. *Magnitudinem dolorum B. V.* MARIÆ *explicat.*

II. IDEAM *absolutissimam Christianæ perfectionis in ea proponit.*

III. *Eiusdem B. V.* MARIÆ *colendæ praxes & modos adfert.*

Auctore
R.P. CASPARO TAVSCH
SOC. IESV.

Ser. FERDINANDO Archiep. Electori Colon. Bauariæ Duci, &c. D.D.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCHIVM, sub Monocerote veteri, M.DC.XLV.

SEREN^mo. & REVEREN^mo.
PRINCIPI
FERDINANDO
ARCHIEPISCOPO
COLONIENSI,
S. R. IMP. ELECTORI,
BAVARIÆ DVCI, &c.

SERENISSIME ac Reuerendissime Princeps, Domine Clementissime, Tritum à me iam sæpe limen, nec temerè, in caussâ nimirum piâ, nec timidè, quia manu non vacuâ, reuiso. Triginta quatuor abhinc annis, cùm R. P. Ludouici de

Ponte è Societate IESV Meditationum Libros ſex, typographicæ ſcilicet opellæ meæ primitias, Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ Nomini conſecrâſſem: ea illicò prodidiſti, in beneuolentiſſimâ illarum acceptatione, communis Bauarorum Principum in DEVM pietatis indicia, vt ſequentium deinde & annorum curriculis, plures eidem Sereniſſimo no-

nomini Tuo, pios, ſpiri-tuales & aſceticos libros dedicare non intermiſe-rim.

Vt verò etiam Libellus iſte R. P. *Caſpari Tauſch* ex eâdem Soc.[te] IESV, de *Matris Doloroſæ* cultu conſcriptus, ab extremâ vſque Bohemiâ Coloniam peregrè (bonâ Autoris veniâ) profectus ad me diuertit, meorumq́ue typorum adminiculo per haſce

divulgari partes expetijt: nouis me ſenſi ſtimulis ad eum Sereniſſimę Celſitudinis Tuæ Patrocinio committendum impelli. Quibuſnam, inquis? ipſo Libelli titulo & argumento. Dolores ille Virginis Matris exponit, quamq́; Tu quotidianis exemplis (hîc ego Montes, Templa, Seruos Dolenti DEIparę à Te mancipatos; hîc & auſpicijs Tuis erecta

So-

Sodalitia, Supplicationes, Peregrinationesq; millenorum aliquot plerumq; capitum Teipso Comite seu veriùs Duce institutas obtestor) hanc idem verbis inculcat eorundem assiduam venerationem. Te *igitur*, Serenissime Princeps, quidni Patronum quærat, qui res à Te gestas in nullâ non paginâ prædicat? aut magnopere Poëta

fallitur, aut ſcitè ab eo dictum: *Quod fecit quiſque, tuetur Opus.* Tuere agedum, cuius Tu facto magis, quàm qui calamo ſcripſit, Autor es: Tuâque illâ autoritate Belgarum nobis felicitatem reducito, quibus circiter annum Chriſti 1482. bello ciuili exagitatis inſtituto *Matris Doloroſæ* Sodalitio Philippus Auſtriacus Hiſpania-

nia-

DEDICATIO.

niarum Rex Pacem coelitus impetrauit. Cui suppar pietas pari vt præmio potiatur, ex corde voueo. Coloniæ, pridie Annunciationis B. V. Mariæ, Anno salutis 1645.

Ser. V. Cels.

Deuotus Cliens

IOANNES KINCHIVS.



AD VIRGINEM DEIPARAM.



Artum hunc mentis meæ, alioquin sterilis & infœcundæ, quem in lucem profero, ad Te affero, MATER SANCTISSIMA, *Meministi, cùm Tibi* Fontes Saluatoris *dedicarem, suppliciter me à Te petÿsse, vt* dignarère me laudare Te, Virgo sacrata, *idque pro eo, ac debebam, & volebam, vt valerem, qui, vt scis, impotens, inualidusque eram,*
1. Reg. vt dares mihi virtutem. Pro puero isto (*liceat enim mihi sterilis, &* infirmæ *primùm Annæ; sed deinde* ac-
ibid. c. 2. cinctæ robore, *verba vsurpare, quibus, dum Samuelem,* adhuc infantulum, *Domino sisteret, vsa est*) pro pue-

puero, *inquam*, hoc, *& infante libro*, *quem Tibi nunc quoque demissißimè sisto*, oraui. *Iam enim tum Tibi*, Scientiarum Dominæ, *Sapientiæ Parenti*, *Tuo instinctu has* præparabam cogitationes, & dedisti mihi petitionem meam, quam postulaui Te: *pro quo beneficio Tibi gratias & habeo, & habere cupio, ac spero immortales. Atque vtinam in hac pueri, & infantis libri siue præparatione, siue parturitione (quemadmodum de se Heli Pontifici loquitur Anna)* ex multitudine doloris, & mœroris mei *vel potiùs Tui* locutus fuissem vsq; in præsens! *vtinam dolorum Tuorum* INEFFABILEM *acerbitatem*, *& in ijs Tuam virtutem*, *&*, *quem eâ mereris, cultum, ac venerationem, pro aliqua saltem dignitate* PROFARI, *atque eloqui potuissem. Sed quid eloqui, quid* FARI *poßit* INFANS *Liber in re* INEFFABILI? *Tu illum* in domum Domini, *vnà cum Authore, clementer suscipe: Tu, vt benignißima Mater*,

Samuelis instar, educa, vt sit minister in conspectu tuo, *seruiatq́; Tibi, quantum potest, adciendos erga Te dolorosam pios affectus; & dum ille balbutit, atque hæret, Tu, quæ*

Sap. 10. linguas *etiam* INFANTIVM facere potes disertas, &, ex ore INFAN-

Psal. 8. TIVM perficere Laudem Tuam, *ea Tuis cultoribus, amatoribusq́; suggere, per quæ laus Tua quàm perfectissima, imitatio, cultus, & amor excitetur.*



ELENCHUS TITULORUM
DE SS. MATRE Dolorosa Libri III.

LIBER I.

DE MAGNITUDINE DOLORIS, quem Sanctißima Virgo tempore Paßionis Christi Filij sui sensit.

CAP. III.

§.5.

§.5

§.3.

§.2

§.2. De præcognita Filij Paßione multò antè, & magno cum sensu doluit.

§.3. Post Christi Paßionem, aßiduam eius memoriam reliquo toto vitæ suæ tempore B. Virgo geßit.

§.4. Quis affectus, præsertim doloris, ex hac iugi Paßionis memoria in B. Virgine extiterit.

§.5. Certa tempora, quibus Paßionis Christi, in B. Virgine memoria magis renouabatur, & ex ea dolor, alijq; affectus.

LIBER II.

MATER DOLOROSA CHRISTIANÆ perfectionis & virtutum absolutissima Idea.

CAP. VII.

LIBER III.

MODI ET PRAXES COLENDI Matrem Dolorosam.

§. 4.

ε

PRAX. X

PRAX. XII. Matrem dolorosam cultu & adoratione illi competente colere atque adorare.

§ 1. *Ratio & radix, ex qua cultus & adoratio Virgini debetur.*

§. 2. *Quibus modis hæc veneratio, adoratioq; Matri dolorosæ tribuenda sit.*

PRAX. XIII. Matri dolorosæ gratis, & ex puro amore seruire.

PRAX. XIV. Se in mancipium Matri dolorosæ dedicare.

PRAX. XV. Deuotionem Matris dolorosæ propagare.

PRAX. XVI. Colere & amare cultores & amatores Matris dolorosæ, & eos qui ad eam spectant.

§. 1. *Cur Deiparæ amatores amandi?*

§. 2. *Qui maximè Matris dolorosæ amatores amandi?*

PRAX. XVII. Oblationes Matri dolorosæ, vel per Matrem dolorosam Deo facere.

PRAX. XVIII. In honorem Matris dolorosæ virginitatis aut castimoniæ decus illibatum conseruare, & voluptates sensuales auersari.

PRAX. XIX. Immaculatam Deiparæ Conceptionem tueri.

§. 7. *Inimicorum ad Christi imitationem dilectio.*

§. 8. *Zelus gloriæ Dei, & in proximos charitas.*

§. 9. *Ardens Christi amor.*

Aspirationes & affectus ad Matrem dolorosam.

§. 1. *Peccati detestatio & dolor.*

§. 2. *Erga Matrem Dolorosam condolentia.*

§. 3. *Deliciarum, rerumq; Mundi despicientia.*

§. 4. *Fiducia per Matrem Dolorosam bona obtinendi.*

§. 5. *Patiendi sitis.*

§. 6. *Diuini honoris zelus, & proximi dilectio.*

§. 7. *Cum Christo conformitas.*

§. 8. *Dei, & Deiparæ amor.*

FACVLTAS.

EGo GREGORIVS SCHELIZIVS, So-
cietatis IESV per Bohemiam Præpo-
situs Prouincialis, potestate ad id mi-
facta ab Adm. Reuerendo Patre Nost.
MVTIO VITELLESCO Præposito Gen-
rali, facultatem concedo, vt Tractat
de SS. MATRE DOLOROS
tribus Libris à P. CASPARO TAVS
conscriptus, vnà cum Aspirationi
ad Christum Patientem, & Matrem D
lorosam, ab aliquot Theologis eiusd
Societatis IESV lectus & approbatus,
pis mandetur. In quorum fidem ha
teras, manu mea, & consueto offici
gillo munitas dedi. Crumlouij, 29. M
tij, 1644.

Gregorius Schelizius.



LIBER PRIMVS.

De magnitudine doloris, quem Sanctissima Virgo tempore Passionis CHRISTI, *Filij sui, sensit.*

VT magnitudinem doloris illius quadantenus concipiamus, æstimandus is potissimùm erit nobis ex magnitudine amoris, quo erga talem filium suum Deipara ferebatur. Ex eodem enim fonte, ex quo oriebatur amor, manabat & dolor, parique passu procedebant, & se mutuò acuebant, acie in cor & animam Virginis versâ; ita, vt amoris simul dolorisque gladio transuerberaretur. Sic enim loquitur S. Ildephonsus ser. 2. de Assumpt. *Tunc*, inquit, *plusquàm Martyr fuit, quia in animo non minus amoris quàm mœroris gladio intus vulnerata fuit.* Agedum igitur amoris magnitudinem, cui se commensurabat dolor, quantum nobis pumilis fas est, varijs ex capitibus metiamur.

CAPVT I.

Amor B. Virginis naturalis erga CHRISTVM, *vt Matris in Filium, & ex eo dolor.*

§. I.

Maternus amor, & illi commensus mœror.

MAtrum in filios amorem, eumq; tenerum & vehementem qui neget, natu-
49. ram neget. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum*, vt eum non amet? *vt nō misereatur*, si in necessitate sit, aut, si in ærumnis ac doloribus positum videat, non cōmisereatur *filio vteri sui?* Mulier illa, quæ corā Salomone Rege cū altera 3. Reg. 3. de viuo filio contēdebat; cū vidisset gladium, quo simulatè iubebat Salomon puerum diuidi: *Obsecro*, inquit, *domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere illū*. Cur? *cōmota sunt quippe viscera eius super filio suo*, ita vt strictus ille gladius, eminus conspectus, quo filio necē parari credebat, penetrare per viscera eius, eaq; trāsfodere videretur. Quid igitur si quod simulatè loquebatur, aut minabatur Salomon, in rem vertisset, si filiū suum ante suos oculos diuidi ac necari vidisset; quantò magis *cōmota fuissent viscera eius super filio suo?* Et quod rem auget est, quod mater illa prostituti pudoris fuit, & ex eo mulierū genere, quæ fœtus suos inter alias matres minùs amant, seu alēdi tædio, seu horrore dedecoris, seu solutioris ac liberioris

vitæ

vitæ studio. Tanta tamen fuit naturæ vis, quæ matrem illã ad filij amorẽ impelleret. Iã ergo quàm ingens vel hinc argumentũ vehemẽtis Mariani amoris dolorisq; est, si vel alia taceã, quòd Mater fuit, quæ vtiq; nõ potuit non cõmisereri IESV *filio vteri sui*, in tantis ærumnis & cruciatibus, imò in ipsa cruce posito; cuius viscera immane quantũ commoueri necessè fuit, non ex intentato solũ in filiũ stricto mucrone, sed ex plurimis grauissimisq; vulneribus inflictis, & dirissima acerbissimaq; morte; in filium, inquam honestissimè conceptum ac genitum, super omnes filios ex alijs matribus natos, aut qui nasci possunt: quippe qui idem & patrem habuit DEUM & eam Matrem.

Qualemcunq; filij mortem quæcunq; mater intoleranter fert. Est enim filius quasi quędã pars matris, quæ longo tẽpore cordi proximã, intra intima viscera ac præcordia inclusam atq; abditam tulit. Quare si ei filiũ mors auferat, viscerũ ac pręcordiorum partẽ quandam videtur auellere. Quid igitur mirum, si, quod paulò antè retuli, cõmoueantur viscera eius super filio suo? si suã sibi partem tolli tam [illegible] ferat? Quot quot in S. Scriptura filio[illegible] legimus, tot acerbos matrũ luctus [illegible] Videre hoc est in muliere Sareptha[illegible] quã ipse Elias fatetur sublato filio, [illegible] afflictã. Videre itẽ est in Suna[illegible] 4. Re[g.] 4. quæ itidẽ ob amissum filium [illegible] Elisæi accidens, vix præ dolore fa-

quidquam potuit, *quia anima eius*, teste Eli
c.7. sæo, *in amaritudine fuit*. Vidua illa Naimitan
ob mortem filij adeò fleuit, vt eam *Dominu*
ipse *misericordia motus* putauerit esse conso
landam: *Noli flere*. Filiam Iairi defunctam *fle*
bant vnà cum parentibus *omnes & plange*
bant, inquit S. Lucas c. 8. S. Marc. c. 5. asserit no
fleuisse tantùm, sed & *eiulasse multùm*. S. Mat
thæus c. 9. etiam tibicines aduocatos memo
rat ad luctûs augmentum. Et quid dico Ma
tres? Etiam Sorores Lazari super eius mort
ita plorabant, vt Christus ipse, *vt vidit ploran-*
tes, infremuerit spiritu, & turbauerit seipsum
& lachrymatus sit. Minùs certè potens affe-
ctus sororius est quàm maternus; tamen, qui
ab eadem Matre, ijsdemque maternis visce-
ribus frater & sorores originem ducunt; ali
quid, sicut de his ita de illo vicissim partici
pant, sibique inuicem communicant, adeo
que alterius alteri obitu affliguntur, sed mi-
nùs quàm matres. Si igitur hæ qualemcun-
que aut filij aut fratris mortem, etiam no
violentam, sed naturæ necessitate & lege o-
bitam tam impotenter doluerunt, & aliæ
dolere solent; quid, si ea sit violenta, per fer-
rum & vulnera, aliaque diræ necis instru-
menta; quid, si cum ingentibus cruciatibus;
quid, si cum ignominia & dedecore, per car-
nificem & furcam? an non hanc intolerantiù
ferent, impotentiùs dolebunt? At talis fuit
mors Domini IESV, Filij Sanctissimæ Matris,

adeo-

adeoque hæc illi ex vtroque capite fuit luctuosissima, & quòd filium amitteret, & quòd tali morte, & quidem in ipso ætatis flore amitteret. Et fortasse hæc causa est (quod plerique sentiunt) quod Filius stantem Matrem sub cruce, *misericordiâ super eam motus* magis quàm super Viduam Naim; non Matris, sed mulieris nomine compellauit, ne ad Matris nomen magis materna viscera commouerentur: atque, vt mentem eius ab amissione filij aliquantùm adduceret, filium, sui loco, *Ioannem* substituit. Sed enim quàm hoc exiguum doloris lenimentum fuit, quod tanto interuallo reddebatur minus, quanta est Ioannem inter & IESVM distantia, qui cùm se *filium hominis*, hoc est, eius solius nominare semper esset solitus, nunc morte sublatus *gloriosissimum hunc titulum* secum quodammodo tolleret. Et hæc quidem ad explicandum huius Matris naturalem amorem doloremque aliquid facere videntur.

§. 2.

Amor Deiparæ in Filium, aliarum matrum amori naturali multùm dissimilis.

At enim, si cætera naturæ spectemus; hoc, quod commemoraui, quantumuis ex se maximum, minimum tamen est ad amorem doloremque Marianum explicandum. Primùm enim amor naturalis (si ita fas est eum appellare, cuius in tota natura non modò nullum

est aliud exemplum, sed vix vestigium a umbra) quo hæc Mater hunc filium amaba plus quàm toto cœlo diuersus fuit ab amo aliarum matrum in suas proles, supraq; earu amorem magis quàm secundùm altitudine cœli à terra eminebat, siue intensionem, si alias perfectiones spectes. Non enim erat ca nalis aut sensualis erga diuinam illam CHR STI carnem Verbo vnitam, qualis esse co sueuit in alijs matribus, sensualiter suas pro les amantibus, cui amori multum admixtu solet esse terrenæ fæcis & imperfectioni quâ sine dubio caruit Virgo Deipara. Nam, ab Apostolis abeundum Christo fuit, necess que erat subtrahi eius præsentiam corporal vt capaces redderentur plenitudinis Spiritu

Iohan. 16. Sancti, iuxta illud: *Nisi ego abiero, Paracliti non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eũ a vos*; idq; ideo, vt censet S. Bernardus, quod n omnino & omni ex parte defœcatũ haber affectum erga eius corporalem præsentiar sed illi, non quidem impurâ, terrenâ tamen a liqua, aut saltem minùs purgatâ affectione ac hærescerẽt; certè hic næuus, & hęc affection

Luc. 2. imperfectio Sanctissimæ Virgini nullo mod est tribuenda, gratiâ plenæ, & in quam *Spiri tus Sanctus superuenit* cũ ea, quæ puræ crea turæ, & Dei Matri conuenire poterat, pleni tudine. Non igitur filium suum sic vt aliæ ma tres diligebat. Vnde pictores & qui ab eis de pictam vident B. Virginem, CHRISTVM in

fantu

fantulum tenerè amplexantem, dissuauiantē, pectori apprimentem; si in his talem affectum concipiunt, qualis in alijs matribus esse solet, vehementer errant; nec intelligunt in Virgine Virginū, id est, in ea, quæ est puritatis puritas, quæq; sic alias Virgines castimonia, eiusque perfectione transcēdit, vt secundū illam, sicut non Virgines ad alias Virgines, ita Virgines ad illam Virginum Virginem comparandæ sint: non, inquam, intelligunt, in illa Virginum Virgine purissimam Virginitatem, & superseraphicam puritatem, ab omni eo, non tantùm quod fœdū est, sed etiam quod siue minimam sensualitatem, siue minimum affectum terrenum redolet, alienissimam ac remotissimam.

Quomodo igitur, inquies, CHRISTVM Virgo Mater amabat? Respondeo, taliter, & vt talem, qualē illi ante eius conceptionē descripsit Angelus Gabriel. *Quod*, inquit, *ex te nascetur sanctū, vocabitur Filius Dei*; nempe amabat sanctè sanctū illud, quod simul erat filius eius, simul filius Dei, verusque Deus de Deo vero. Vbi sacrorū horrore obstupesce huius, tamque puræ creaturę inexplicabilē prærogatiuā, cui datū est, amare Deū vt Filiū, ita vt quéadmodū connaturalis & insitus est amor matrū in filios; ita illi per modū naturę esset amor in Deū, in suum filiū. Porrò cū talem matrē, quæ haberet filium Deū, non deceret amor nisi diuinus erga Deū, nullâ terreni affectus labecula contagione permixtus; alterius prorsus rationis Luc. 1.

rationis ac generis ab aliarum Matrum in
hos amore fuerit is amor, necessè est, &
mul longè quàm illarum vehementior; nec
nim nisi vehementissimè à Matre sua am
debuit is filius, qui Deus erat. Ex quo iam
terius efficitur, dolorem quoque, qui am
commensurabatur, de tali morte & cruci
bus talis filij, & vehementiâ, & rebus alijs
mnibus longè & incomparabiliter supra o
nium aliarum matrum dolorem fuisse, vt v
Thren. 1. dicere potuerit ad illas omnes: *Attendite,*
videte, si est amor & *dolor similis sicut* amor
dolor meus. Quod si aliarum matrum vix a
nè vix quidem vlla fuisset, quæ, si filium su
sibi dilectissimum sic tractari, sic mori vid
set, non præ angustia & dolore indeliquiũ c
cidisset, aut morti forte ob naturæ imbecil
tatẽ concessisset; quid censendũ est de Ma
illa admirabili, deq; eius angustijs ac dolo
dolore, inquam, ex amore tam extraordin
rio? Non est quidem illa passa deliquium,
videbimus c. 10. hoc enim esset indecorum
inconueniens, doloremque fortitudine ani
superauit: at tantum tamen sensit, quantus i
amori correspondebat, de quo aliud dice
non possumus, quàm quod sicut amor illiu
ab aliarum matrum amore diuersus, nec qu
ad modum, nec quoad mensuram aut inte
sionem à nobis est conceptibilis, ita nec q
ex eo nascebatur dolor à nobis concipi po
sit, qui non tantùm sensus externos interno
qu

quæ occupabat & *inebriabat absynthio*, sed Th spiritum ipsum & animam transfigebat.

§. 3.

Alia quædam huic Matri propria, & ab aliis matribus diuersa.

Sed plura sunt, quæ in considerationem naturalis Diuæ Matris in CHRISTVM Filiũ amoris, & orti ex eo doloris venire possunt. Diximus suprà, Matrem hanc esse Virginem, & Virginum Virginem, harum autem solet affectus esse tenerrimus super alios seu viros, seu mulieres. Et hæc fortasse causa est, quod Prophetæ, cùm affectum aliquem præsertim doloris ac luctûs populi alicuius ex acceptâ aut accipiendã clade exprimere volunt, eum Virginum nomine appellent. Sic Isaias cap. 23. *Calumniam*, inquit, *sustinens Virgo filia Sidonis*; quam tamen paulò pòst meretricem vocat. Et c. 47. *Sede in puluere Virgo filia Babylon* & c. 37. *Subsanauit te Virgo filia Sion* &c. Sic Ieremias tum alibi, tum Thren. 1. *Torcular calcauit Dominus Virgini filiæ Iuda*. Sed maximè, quod veræ Virgini nostræ accommodari potest, & passim accommodatur ab Ecclesia, ex c. 2. *Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Ierusalem? cui exæquabo te, & consolabor te Virgo filia Sion? magna enim est velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* En, vt Hierosolymitanum populum, in maximo luctu,

mœrore, animiq; angustia constitutum, cu
euersa Hierosolyma, exusto templo, part
neci datus, partim in captiuitatem abduct
est, Virginem vocat, ad significandam affect
vehementiam, cum mollitudine quada
Virginibus connaturalem. Cùm Maria Stu
ta Scotiæ Regina, iussu Elizabethæ Regi
Angliæ decollanda esset, eius pedissequæ V
gines cadebant in deliquia, & pœne mor
bantur ex Virgineo, id est, tenerrimo af
ctu. Quid si eadem sit & Virgo simul & M
ter, quod in nullam aliam, quàm in Beati
mam Virginem cadit? quorum nominum
terum tenerrimum, vt dixi alterum mat
num, id est, summum affectum exprimit, p
teritne ad ciendum animi motum esse q
maius? Mulieres illæ Luc. 23. quæ CHR
STVM ad montem Caluariæ crucifigendu
sequebantur (quas inter negat B. Virgin
fuisse Suarez tom. 2. in 3. part. d. 35. s. 3.) & V
gines non erant, & matres quidem era
sed hostium CHRISTI, dirissimam ei n
cem machinantium, quos potiùs ab in
quis consilijs & nefaria molitione, omni, q
possent arte, auertere, quam fœminea sp
ctandi cupiditate CHRISTVM sequi opo
tuisset; & tamen ex eo solùm, quòd mulier
erant, qui sexus ad affectus præsertim com
serationis est pronior, flebant, plangebant,
muliebriter *lamentabantur eum*, ita vt Dom
nus alloquendas eas sibi, & instruendas puta
re

ret: *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos, & super filios vestros* &c. Fletũ hũc, planctum & lamentationem non nisi ex mero affectu naturali & humano fuisse, docet Suarez ex S. Leone serm. 10. de pass. quo solet infirmior sexus etiã pro ijs, qui digni sunt morte, ad lacrymas moueri. Quis igitur affectus debuit esse in MARIA, in muliere & muliere Virgine, & Virgine simul ac Matre, & Matre nõ hostiũ, non interfectorum, non carnificũ, sed interfecti, sed excarnificati filij, & tali talis filij matre: & quidem, quod nouam amandi dolẽdique materiam eamque grauissimã superaddit, filij vnici atq; vnigeniti? Sanè sacræ literæ pro explicatione maximi planctûs, non inueniunt potentiorem similitudinem aut ideam, quàm planctum, quo defletur vnigenitus aut primogenitus filius; imò cùm & de morte ac crucifixione CHRISTI agũt, quæ summè ab eius amatorib. deflenda esset, ita aiunt: Zach. 12. *Et aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet super morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus.* Nimirum amor, qui cùm plures mater habet filios, in eos diuisus, ac dispersus, & quasi in partes sectus est, quarum vna vni, altera alteri filiorum tribuitur, erga vnigenitum totus, atque indiuisus fertur. Accedit, quòd cùm Deipara genuerit Virgo, nullũ Christus in terris ex hominibus

habuerit patrem, sed illa ei matris simul patris loco fuerit, proindeque coniuncto triusque atque vnito affectu eum dilexerit qua patris fortissimo, & qua matris tene mo, quod ex omnibus matribus soli illi c uenit: sicut & illud, quod ad incrementum moris dolorisque plurimùm supra omn modum, supraq; communē naturam conf quòd Christū amauerit & vt filium, & vt p trē, ab eoque & vt mater & vt filia amata Erat enim parens sui parentis, mater sui Cr toris, & vicissim filia sui filij: quod ponde Ecclesia dum canit: *Qui te creauit prouidè; lactâsti sacro vbere.* Quis hoc satis intellig quis concipiat? Quòd si fatearis, te id inte gere, ac concipere non posse; sed mente, cogitatione tantæ admirabilitati succumb fateare simul, necesse est, amorem, dolore que ex occiso, & tam indignè habito tali lio, intelligi, concipique à te, imò nè ab v quidem alio posse.

Iam verò, si hoc etiam, quod maximi m menti est, cogitemus, quòd non modò m lier, non modò mater, eaque simul Virgo mater communem aliarum matrum amore transcendens, ac respuens, singularem aliu atque eximium, pro peculiari extraordinar maternitatis conditione, obtinens; quòd p rentis parens, filia filij, eiusque vnigeniti ip filia primogenita ante omnes puras creatu
Prou. 8. ras, *quam possedit Dominus in initio viaru suarum*

suarum, antequam quidquam faceret à principijs, sed etiam quòd eius filij fuit mater, in quo amabile, atque amandum habuit, quidquid potest amare mater in filio, siue formam, ac venustatem, siue generis nobilitatē, & dignitatem, siue potentiam ac vires, siue ingenium & sapientiam, eloquentiam, opes, imperium, sanctimoniam, eximiam in parentem obseruantiam, & dilectionem; & quidquid denique non modò amare, sed vel optare ac fingere: imò in immensum plus quàm optare, fingeréve possint matres; verbo: omnes omnino amandi rationes in eius filio cōfluxerunt. Eum igitur cùm sic, ac tali morte amisit, an non in eam vicissim omnes omnino rationes dolendi confluxerint? Vnica forasse Dauidi *ratio* naturalis, inter tot filios, filium *Absolonem* amandi esse poterat, quòd *fuerit pulcher*: fortè etiam vnica Amnonem, quod *primogenitus*; cætera præsertim Absolon, *fuere* nefarij, incestibus, flagitijsque odibiles, atque execrabiles, multarum, magnarúmque parenti causa, authoresque calamitatum: & tamen & Amnonem mortuum sic luxit, vt præ dolore vestimentis discissis, *in terram corruerit, fleueritq́ue*, vt ait sacer textus 2. Reg. 13. *ploratu magno nimis*: imò *luxerit filium suum cunctis diebus*: & Absolonem multò etiam magis *operto capite flens, ac voce magnâ clamans: Absolon, fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Absolon, fili mi, fili mi*

Absolon. 2. Reg. 18. & 19. Quænam igitur de esse Matri Virgini dolendi materia, qua lium non inter multos vnum, sed vnicum quo non vnica ratio amandi fuit, odie abominandique nullæ vt in his Dauidis fi sed puræ putæ, ac simul vniuersæ dilige rationes; quæ, inquam, talem filium atro sima morte, & quidem à cognato pop sublatum amisit? An non aptiùs verba ill eius ore sonuerint: IESV, fili mi, quis n tribuat, vt ego moriar pro te, IESV fili mi, mi IESV, fili mi!

§. 4.

Adiuncta alia, ex quibus naturalis Matris grauescebat dolor.

Sed & alia multa ad acuendum, ampl candúmque vehementer hunc Matris do rem naturalem concurrerunt. Primum q dem, quòd, cùm eius filij mater esset, qui ex Virgine natus conceptusque est; idque illa ptimè nosset; nouerat consequenter etiam ptimè, tenerrimam Virginei corporis eius, ex Virgine nati complexionem, cui dolor paruus alteri fuisset, maximus erat, plusq; affirmant aliqui, qui hanc rem multùm pc derant, & attollunt) vnicum ictum sensit, q S. Laurentius suos ignes; quæ ingentis om no in Virgine Matre commiserationis & d loris noua scaturigo fuit. Augebat hūc dol rem, dolorum filij ipsa per se magnitudo mul

multitudo, quæ quia in alijs libris passim copiosè explicata reperitur, de ea hîc agere supersedeo, quamuis ad nostrum argumentum non parum iuuaret. Augebat & hoc, quod filius non solùm innocens pateretur, sed etiã, qui in illos, à quibus patiebatur, plurima & maxima beneficia contulisset: Cùm Daniel, inuito & diu reluctante Rege Dario, postulatus fuisset ad lacum Leonum; Rex, qui eius innocentiam nouerat, & Principum ac Satraparũ inuidia calumniam illi strui videbat, grauissimè eam damnationem, quam prohibere atq; impedire, cùm maximè vellet, non poterat, sensit, ita vt neque cibum neque somnum præ dolore capere posset. Nam, vt dicitur Dan. 6. *Abijt Rex in domum suam, & dormiuit incœnatus, cibiq; non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.* Mouebat illum nẽpe ad hunc mœrorẽ viui innocentia, & mens fidesque semper optima; cùm tamen ei neque religione, neq; sanguinis aut gẽtis aut alia aliqua cognatione ac necessitudine, neque valde lõga familiaritate iunctus esset. Quanto igitur acerbiorem necessè est esse debuisse dolorẽ Virginis, quæ videbat non modò innocentissimum, sed & beneficentissimum; non seruũ, sed filium sibi summè coniunctum; quæ per similem religione eundem cum illo Deum colebat; imò eum ipsum Deum colebat, cui semper familiarissimè conuixit, ex inuidia iniquissimè accusari, vt subuersorem gentis suæ,
cùm

cum esset eius salutis assertor; vt *prohibe*
tributa dare Cæsari, cùm ille disertè di
Date quæ sunt Cæsaris Cæsari, vt regni aff
torem, cùm ille, vt nè in Regem raperetu
Io. 6. gisset in montem solus; vt malefactorem
supremus erat benefactor, quo maior n
gi quidem posset, vt blasphemum, vt sce
tum, vt legum violatorem ac contempt
qui erat ipsa Sanctitas, ipse Legislator,
Deus; & hunc eundem insanis clamor
postulari ad mortem, mortem autem Cr
communi suffragio & consensu damnari
cifigi, occidi; *poni* eum, qui Daniele inf
parasangis esset innocentior, *in lacu*, vt lo
tur psaltes Ps. 68. *inferiori*, *in tenebrosi*
vmbra mortis. Nempe is amantissimus n
filius, cuius innocentiam Iudex ipse, qua
uis impius deprehenderit, agnouerit, m
bus palparit, palàm coram vniuersa mult
dine testatus sit, manuum lotione sit pro
sus; is tamen ab eodem ipso iudice crud
ssimè flagris concidi, & dirissimis cruciati
summâ cum ignominiâ affici iubetur, pub
sententiâ ad crucem condemnatur, eand
crucem in qua suffigendus erat, baiulare
ludibrium simul & dolorem imperio ad
tur, & denique trabalibus clauis affigitur,
summam & inauditam iniuriam, necique
tur. Matrem considera, matrem cogita, cu
hæc integerrimo, innocentissimo, benefic
tissimo, & simul amantissimo filio facta su

& vi

& vide an acerbiorem matri afflictionem dolorémque excogitare possis?

Quid illud? quod in tantis filij iniurijs nemo esset, qui non dico causam eius & patrocinium suscipere, sed qui præsens adesse, qui solatij aliquid adferre vellet etiam ex ijs, qui paulò antè amicissimi eius erant, quique summa omnia promittebant. *Circumspicit & non est auxiliator (Is. 63.) quærit, & non est qui adiuuet, consolantem non inuenit.* Imò verò ex eius intimis, amicissimis, familiarissimis vnus eum prodit, alter negat, cæteri diffugiunt. Cæsar, cùm inter eos, qui vitam sibi ereptum ibant, Brutum aspexisset; dixit: *Etiam tu, fili mi, Brute?* Tu verò etiam Iuda, dicere meliùs potuit Virgo, *homo* olim *vnanimis, dux* à filio meo constitutus, *& notus eius, qui simul cum illo dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu,* tu filium meum, Magistrū tuum, *Dominum* tuum, Patrem tuum; Deum tuum prodis? tu tantillo pretio vendis? tu in mortem tradis? Etiámne tu Petre, Apostolici Senatûs Princeps, filium meum, cum quo *paratus eras in carcerem & in mortem ire,* cui tā magnificè spondebas: *Si oportuerit te mori cū eo, non eum te negaturum;* tu nihilominus negas, iuras, periuras, anathematizas cum detestatione: *Quia non noui hominem?* Etiam vos Apostoli, qui similiter, vt Petrus, loquebamini, qui tam fidenter dicebatis: *Eamus & nos, & moriamur cum eo;* nunc illum desertis? & vbi

Psal. 54.

Matt. 26

vbi sunt illi præcipui 72. discipuli? vbi alia
Ioan. 11. *ba discipulorum*, vbi *multitudo copiosa p*
ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritim
Tyri, & Sidonis, qui quondam *venerant v*
Luc. 6. *dirent eum, & sanarentur à languoribus*
vbi *omnis* illa *turba quæ quærebat eum ta*
re, quia virtus de illo exibat & sanabat om
vbi *maxima multitudo* tot millium homin
qui eum per deserta sequebantur, quos 7
nibus & 2. piscibus satiauit? Nemo omn
est, qui vel compareat, qui scire quidquar
filio meo velit: Notum est passim, q
exaggeratè, quanto cum sensu soleant rec
tare & commemorare matres, si viderint
quando, aut intellexerint filios ab ijs esse
sertos, à quibus minimè deseri debuis
quod si ab ijs, qui à filijs beneficia accepe
sunt proditi, si indignè habiti; id eis pro
est intolerabile, id concoquere non possi
id tormenti instar eas cruciat. at quæ ma
nunquam simile huic exemplum habuit?

Et erant quidem hæc Dei Matri tole
grauissima; sed nescio, an quidquam ma
num cor grauiùs foderit, quàm quòd ne
ipsa quidem filio in maximis eius iniu
ærumnis, doloribus, auxilij, solatiiuè q
quam præstare, cùm cupidissimè vellet, p
set. Leuiùs certè matres dolent, cùm filij
eorum necessitatibus & miserijs, opitula
subueniendique aut per se, aut per alios
portunitatem & media habent, eaque ad
b

bent. Vidit ea Filium vinculis arctissimè durissimeque constrictum, & soluere nō potuit; vidit corpus vulneratum, & vulnus obligare non valuit; vidit sanguinem in oculos defluere, faciem sputis cōspurcari, & abstergere nequijt; vidit sub crucis pondere fatiscentem, lapsantem, cadentem, terræ afflictum, & non permittebatur iuuare, sustinere, erigere; inuadi ab omnibus, & truculentè, barbarè plus quàm ferino ritu tractari, oculis ipsa suis aspexit, & non erat ei integrum prohibere aut impedire; audiuit clamantem: Sitio! & guttam aquæ porrigere non habuit; Vidit caput inclinantem, & non potuit sustentare; tristem, desolatum, & in extrema animæ amaritudine constitutum animaduertit, & non erat, quo eū solaretur; *Viribus* omnib. defectum, destitutúmque *cognouit*, & quo, aut quomodo eum *reficeret, nihil suppetebat*. Expirantem est cōtemplata, & non dabatur vltimo obsequio & materna pietate vel oculos ei claudere. 2. Reg. 21. refertur, quod, cùm *crucifixi fuissent duo filij Respha, filia Aia, tollēs illa, cilicium substrauit sibi supra petram, & non dimisit aues lacerare eos per diem; neque bestias per noctem*: At nostra afflictissima mater cuius vnigenitus filius crucifixus fuit, neque à coruinis & vulturinis rostris, linguis, vnguibus; maledictis inquam, & vulneribus, neque plus quàm à canina rabie, tigridum & leonum sæuitie eum poterat defendere. Quantus hinc dolor!

qui

qui vt ponderetur & penetretur magis, ... cipienda animo & consideranda est ar... tissima huius matris voluntas & promp... do, curaque maxima filio suo, quippe ea, quæ necessaria essent, studiosissimè ... strandi, ita vt vitam suam in hoc sitam ... duceret, si quâ re ei posset subuenire, c... ipsa infantia, omnibus, quibus potuit m... gratissima semper, cum ingenti desider... gaudio ad passionis vsque tempus præst... obsequia, affectu supra maternum, & p... præstare in summis votis habebat.

Ex his ergo omnibus perpensis collig... dolorem Virginis in filij morte & pass... vel ex solo amore, ac commiseratione n... rali fuisse naturaliter intolerabilem, atq... explicabilem; præsertim cùm alioquin, ... etiam non perpendantur, hæc Virgo erg... mnes etiam alios summæ fuerit, & nun... commiserationis, vt posit meliùs quam ... dicere: c. 3. *Ab infantia mecum creuit mis... tio, & in vtero concepta est mecum.* Qu... erga omnes alios, an non magis erga fil... & talem filium, in tanta cõmiserationis ... teria? Fratres suos quantumuis antea sibi si... mè iniurios, & necem, malaque omnia ... chinatos, ante se prostratos & afflictos, ... lachrymis videre ex naturali miserationis ... fectu Ioseph Patriarcha non poterat Gen. ... Quid igitur tam teneri affectûs Virgo & M... ter, in tali statu sui filij amantissimi iuxtà & ...

se l...

le beneficentissimi? Cogitare hæc quàm dicere facilius est; si tamen & cogitare est facile.

CAPVT II.

Doloris Virginei incrementum ex peculiari cum filio sympathia.

MVlta vti de antipathijs rerum inter se, ita & de sympathijs disputāt Philosophi. Intelligunt autem per sympathias, consensiones, & colligationes quasdam mutuas, ob quas altera alteri affectiones suas communicat, altera alterius malis tangitur, patitur, alteratur, in alterius altera, indolem, habitū, & quasi fortunam se induit. Et quia non vna est omnium Philosophorum de his sententia, meum non est nunc decernere, qui propiùs ad veritatem accedant. Hoc tantùm, quod tū ad elucidanda magis, & confirmanda ea, quæ præcedenti capite allata sunt, tum ad explicandum Virginis dolorem valet, dico; si quæ datur in mundo inter res cognatas, & præsertim inter homines sympathia, eam Christum inter & Virginem Matrem oportere esse maximam.

§. I.

Sympathia naturalis Virginis cum Filio radix prima.

PRIMVM. Nam si sympathia maior est inter

ter eos, qui magis sibi cognati sunt, & arcti-
re nexu colligati, nulla vnquam cognatio
ctior fuit quàm inter IESVM & MARIA
qui, vt præcedenti capite dixi, mutui sibi f
re, inaudito naturæ miraculo, parentes, r
tuæ proles, mutui sponsi, & ita quidem, v
participationem, ac consortium primæ, p
ximæque cognationis (qualis inter parent
& prolem est) alium non admitterent,
soli, & toti vim eius totam obtinerent. N
que enim Mater alium habuit, qui filio
in terris esset parens, neque alium filium,
huic filio esset frater, aut filiam quæ sor
Maxima ergo fuit cognatio, imò, vt loqu
tur Sancti Patres, identitas, eáque simul p
stantissima, quippe inter Deum, & Dei M
trem. S. Petrus Damiani in sermone 2.
Natiuitate, summè hanc identitatem ext
lit, & obstupescit. Cùm enim præmisis
Deum non vno modo creaturis inesse, h
deinde addit. *Quarto modo inest vni cr
tura, videlicet MARIAE matri identit
quia idem est cum illa. Hîc taceat & c
tremiscat omnis creatura, & vix audea
spicere tanta dignitatis immensitatem. H
bitat Deus in Virgine, cum qua natura ha
identitatem*; & quidem vt dixi maior
magisque indiuisam, quàm vllus alius
lius cum matre. Adde quòd inter hanc M
trem, & hunc filium non modò fuerit

tum identitas, sicut est inter alias matres & filios, eáque magis vna, sed etiam quòd vtriúsque complexio (in sanguineam, vt multi opinantur, declinans) fuerit simillima; temperamentum primarum qualitatum, in quo præcipuè sympathiæ fundamentum ponunt Philosophi, simillimum; lineamenta corporis simillima, species & habitudo simillima; vt vix ouum ouo similius esse posset, adeóque & inclinationes propensionésque naturales erant eædem ac simillimæ, quas filij à matribus potissimum haurire solent. Vt enim loquuntur Iurisconsulti, *Filij vt plurimum matrizant.* Imò verò CHRISTVS non potuit non penitus matrizare; patrizare enim non potuit, cum inter homines non haberet patrem. S. Cyrillus, diuinà etiam *prouidentia factum* esse ait, vt *Matri suæ* CHRISTVS *specie externa, & internis propensionibus foret simillimus. Cum enim futuri essent hæretici, qui dubitarent, fueritné* CHRISTVS *verus homo? si dissimilitudo inter illum & matrem intercessisset, magis in sua hæresi fuissent confirmati.* Nam formæ & morum magna dissimilitudo filium inter & patrem, etiam iuxta iuris præsumptiones, solet alieni partûs dubitationem afferre. Atqui B. Virgo, vt sæpe dictum est, CHRISTO & mater & pater fuit.

Iam igitur, si in alijs cognatis homini
eam inuenire est sympathiam, vt eadem si
lis propensionem, affectionum, morum,
diorum, & aliquando etiam officiorum
munerum, imò & simul viuendi ac morie
consensio; vt de SS. Medardo & Gildardo
tribus geminis, quorum festus dies ag
8. Iunij, referunt historiæ Ecclesiasticæ, mı
maxima sympathia fuerit, necessè est, D
Matri cum filio IESV, ex maiore quàm vll
lia sit, esséve poscit cognatione, & similitu
ne, atque adeò affectionum, & (quod hîc
tissimùm ostendere intendimus) dolorum
CHRISTI passione consensio, ac mutua p
ticipatio.

Sed explicemus hanc sympathiam ma
exemplo naturali. Notissimum est, quant
sit duos inter magnetes quàm inter illos
mirabilis conspiratio, quàm violenta, dica
an potiùs amica alterius ad alterum att
ctio, quàm firma detentio? quantus nis
quot modis tentatus, vt mutuo contactu c
proximè gaudeant? Quid? quòd cum fe
magnes æquè arctam amicitiam colat, æc
ad illud aspiret & anhelet, æquè id comp
ctatur? Sed quid commune habet magnes
ferro? Equidem, si sensum spectes, nulla in
apparet, nisi fortè coloris similitudo. At, c
profundiùs causas tantæ concordiæ, mutu
que consensionis rimati sunt, plus aliquid c
prehendisse sibi visi sunt. Nam ex magne

op

optimum excoquitur ferrum. vnde collegerunt eandem in ferro & magnete esse naturā, ex qua fit illud vniendi sese desiderium. Quā sententiam confirmant Chimici, qui dicunt virtutem magnetis ita exaltari & multiplicari (hoc est intendi & augeri) posse essentiā vera Martiā (siue quinta essentia ferri) vt decuplo, centuplo, millecuplo plus possit quàm antè. Scribit hoc Ioannes Faber Medicus Gallus celeberrimus in Pall. Spag. Idem affirmat recentissimus author Ioannes Agricola in Comment. in Poppium. additque, id non tantùm fieri posse, sed & factum se vidisse tum Hamburgi, vbi exaltatus essentia vera Martis magnes vnius libræ, 25. lib. ferri traxit, & tenuit suspensas; tum Liburni vbi 10. vnciarum magnes 9. ferri libras sustulit, postquàm Mars illum confortasset. Ex quibus hoc concludūt, quò maior est inter duo quædam, naturæ similitudo, eò maiorem esse sympathiam. Iam hoc in rem nostram accommodemus. Magnes est Christus, præsertim in cruce, qui de se ipse dicit Io. 12. *Ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum.* Magnes est & Virgo benedicta, sic enim se ipsa appellat in S. Brigittæ lib. 3. reuelat, c. 32. eò quòd ferrea obstinatorum in peccato pectora ad se blandè pelliciat, & quandoq; etiam violentè trahat. Quid ergo mirum si se mutuò respiciant; si in se mutuò ferantur? si sese ad se inuicem conuertant? si symbolizent? *Ego dilecto meo*, inquit Virgo,

Virgo, & ad me conuersio eius. Cant. 7. & q
dem ita, sicut magnes sese secundùm alter
magnetem dirigit, & vterque (si nihil obst
in meridianam suum disponũt axem. Enimu
rò in meridiem tanquam Magnes tendit V
go, in meridiem se conuertit, ad meridiẽ
helat, vt inueniat, *vbi pascit, vbi cubat in me
die* alter magnes, *quẽ diligit anima eius.* Ca
1. Verè *in meridie* hora sexta crucifixus, &
terrâ exaltatus omnia trahens ad seipsum tu
cubat in lectulo crucis, vbi pascit grege
suum sanguine suo; imò dat *animam suam p*
Ioan. 10. *ouibus suis.*

Neque verò minùs ferro, quàm Magn
conferri potest SS. Virgo. Cùm enim ferru
siue gladius doloris à Simeone predictus pe
transiuit animam eius, tota in dolorem, to
in gladium illum, tota in ferrum commuta
est. Ferrum fuit, quia ferreo & plus quàm m
sculeo pectore, tot doloribus obruta sub cr
ce filij, stetit tamen MARIA, vti MARTIA,
ferrea; ferrum fuit simile ferro illi Elisæi, v
potiùs eius discipuli, de quo 4. Reg. 6. quod
cecidisset in aquã tribulationũ, afflictionum
amaritudinum, dolorũ, natauit ad lignũ cr
cis, à cruce, & crucifixo velut à Magnete a
tractum. Hunc verò magnetem cùm Marti
suâ essentiâ, vt chimicè loquar, confortaueri
& imbuerit MARIA, hoc est, vt Mater fili
carnem illi, & substantiam dederit, eum alue
rit, nutrierit, eique magis quàm vlla Mate
cogna

cognata fuerit; mirum non est si decuplo, centuplo, millecuplo plùs quàm vllus hominum ad crucem à Magnete Christo attracta, sublata, & velut suspensa sit. Volò dicere, plus ex hac ferri cum Magnete sympathiâ de cruce & cruciatibus Christi hauserit, magisque in eorum consortium venerit. Atque hæc est prima radix, & ratio, ob quam B Virgo maiorem cum Christo sympathiam habeat necesse est, quàm aliæ Matres cum suis filijs, aut aliud quidpiam cum altero, quia scilicet magis Christo cognata est.

§. 2.

Sympathia naturalis radix altera.

Altera ratio, siue radix hâc non minor est, quòd sicut *Christus* peculiari modo ex eâ, intemeratâ *Virgine* conceptus est; ita peculiarem *illius conceptioni*, formandóque sanctissimo corpusculo ex suâ substantiâ materiam Virgo subministrauit. Non enim est Christus conceptus ex virili semine, imò neque, vt plurimi opinantur, ex materno; sed, vt est communis fidelium sensus, ex purissimo Matris Virginis sanguine, operâ Spiritûs Sancti. Vndè maximè illi fuit consanguineus, alio quàm alij filij suis matribus modo; neque vlla Mater sic dicere potuit proli suæ: *Sanguis meus*, vt B. *Virgo* Christo. Ex quo vlteriùs deducitur singularis Christum inter, & Virginem sympa-

sympathia, & affectionum consensio. Enim ro affectuum sedes sanguis est, & per sang nem illi se produnt. Nam cùm gaudemus, verecundamur, rubemus, quia sanguis in ciem se diffundit; cùm tristamur, aut tir mus, expallescimus, quia sanguis ad cor se cipit, & faciem deserit. Et, cùm ex sangu spiritus, tum vitales in corde, tum animale cerebro elaborentur, sintque reuera ipse s guis, his administris vtimur, cùm aliquo a ctu ducimur; imò cum aliquod vitæ opus, sensuum functiones exercemus; adeóque eiusdem sunt sanguinis, eandem quasi vit ducunt, iisdem affectibus mouentur, sin gaudent, simul dolent, simul amant; sanguis nim cum sanguine conspirat. Porrò sicut vno eodémque corpore membra omnia a mirabilem sympathiam habent: nam, vt ait Paulus, *vno membro patiente, compatiuntur*
1. Cor. 12. *cætera*; idque ob communionem sanguin qui, si membrorum aliquod grauiter afficit, mouet se etiam in alijs membris, discursat per totum corpus, vt parti affectæ aut subu niat, si potest, aut compatiatur, & condole ita etiam fieri certa ratione putandum est, communio sit eiusdem sanguinis inter d corpora. Atqui nulla, vt dictum est, talis fu inter alia, qualis inter B. Virginem & eius b nedictum filium; nulla igitur etiam talis sym pathia, nulláque proinde potuit esse talis c passio, siue condolentia, qualis in illa er

Christ

Christo patiente, qui eius quoddam, quasi membrum fuit, vt dicere posset: *Hoc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* máximè, cùm caro, vt Physici docent, proximè generetur ex sanguine, quem Christo in momento conceptionis eius, quo Verbum Dei incarnabatur, siue fiebat caro, immediatè pro carnis, & corporis formatione Virgo dedit, non vt aliæ matres suæ soboli dare solent; simúlque illo sanguine venas diuinæ illius carnis impleuit. Adeoque Christi sanguis, eius sanguis fuit; atque ita fuit ei cum illo summa consanguinitas, & ex hac, summa, vel ipso naturæ instinctu amoris, atque affectionis in eum propensio; præsertim cùm etiam Christus ex Virginis sanguine conceptus, formatúsque sit per ipsum Amorem, hoc est Spiritum Sanctũ, qui, *sicut in SS. Trinitate Patris & Filij nexus quidam est ac vinculum*, ita per communicationem *mutui sanguinis*, Matrem, & filium, filium inquam, quem ex Matris sanguine formauit, sic in mutuum amorem, mutuósque affectus colligauit, vt nulla extra Deum arctior colligatio, nullum fortius, meliusque vinculum: proindéque, vt vnus in alterius affectus seu gaudij, seu doloris transeat, eâdem ægritudine afficiatur, qua alter, vt vnius mœror communis ambobus sit: vt mihi verosimile sit, tristitiam illam, qua *tristis erat anima Christi vsque ad mortem*, Matri per intimam, intimamque sympathiam fuisse communi-

Gen. 2.

Marc. 14

 catam,

catam, & magna ex parte ex corde, & ani
Christi in cor & animam Virginis deriuata
2. Cor. xi. *Quis infirmatur*, dicebat S. Paulus, *& ego*
infirmor? Solus amor proximorũ hanc in Pa
lo causauit sympathiam, vt cum infirmãtib
infirmaretur, etiamsi nulla alia quàm fi
communione illis esset vnitus. O quan
magis cum Christo patiente, & infirma
patiebatur, & infirmabatur Virgo, cui t
multiplex, támque arctus fuit cum illo nex
tanta sympathia! Et reseruata est illi hæc g
uissima infirmitas in annum climactericu
per se alioquin ex Medicorum sententiã n
lignis alterationibus obnoxium; agebat en
tunc quadragesimum nonum, qui est sept
septimus; (cùm enim decimoquinto æta
suæ anno Christum pepererit, & deinceps
que ad trigesimum quartum, quo is passus
cum illo vixerit, peruenit igitur eo patien
ad quadragesimum nonum) quo cum v
dolorum & sciente infirmitatem (vt loquit
Isai. c. 53.) illa quoque mulier, aut potius V
rago dolorum facta est; sciens, ac sustine
infirmitatem; quippe cùm per sympathia
naturalem, hactenus explicatam, illius inf
mitatem fecerit suam. Atque hæc de symp
thia naturali.

§. 3.

Sympathia supernaturalis.

Præter sympathiam naturalẽ fuit in sacr
tissim

Virgine Matre etiam supernaturalis. Voco autem illam sympathiam supernaturalem; quæ fuit cum CHRISTO ex consensione mutua vitæ, voluntatum, ac morum, per gratiam Dei, & motiua supernaturalia; quam alij etiam rectè vocant identitatem animorum. Hanc in Virgine SS. Patres agnoscunt & prædicant; imò ex illa naturali, de qua egimus, hanc supernaturalem concludunt, vel vtramq; pariter illi eâdem propè ratione & consecutione tribuendam asserunt. S. Aug. hom. 4. de Assumpt. cùm hæc præmisisset; *Si igitur natura matris est filius, conueniens est, vt sit & filij mater, non quantum pertinet ad æquam administrationem, sed quantum pertinet ad eandem reciprocam substantiam, vt homo de homine, caro de carne, mater à filio, filius à matre, non ad vnitatem personæ, sed ad vnitatem corporalis naturæ & substantiæ.* Addit deindè: *Si enim vnitatem potest facere gratia sine proprietate specialis naturæ; quantò magis vbi gratia vnitas, & corporis est specialis natiuitas.* Et clariùs infra: *Hæc quippe,* inquit, *gratia vnitas, quæ à CHRISTO in CHRISTVM credentibus seruatur, si MARIAE etiam minùs sapientum æstimatione non tollitur, quantò magis cum gratiæ vnitate ipsa specialitas naturæ vnum efficit matrem ac filium, & filium ac matrem.* En vt vtramque vnitatem & naturæ & gratiæ matris cum filio coniungit & adstruit S. Aug. Sed maiore cũ energia ac vehementia

loquitur Anastasius Synaita lib. 6. quæstio anagogicarum circa finem; atque ex simili dine carnis Virginis cum CHRISTO, simi tudinem siue sympathiam animorum, q per gratiam est, vrget. *Quis*, inquit, *mihi d quæso, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus a debit dicere, quod ea, quæ est eiusdem simul ci Deo essentia, quod ad carnem attinet, non sit imaginem & similitudinem eius, qui ex i natus est? Quomodo est enim mater eiusmodi lij non ferens in se illæsam fœtûs sui imagine* Loquitur de imagine per gratiam. Neque n nùs venustè Arnoldus Carnotensis in lib. laudibus Virginis. *Vna* inquit, *est MARIAE CHRISTI caro, vnus spiritus, vna charitas: vi tas diuisionem non recipit, non secatur in pa tes. Et, licèt ex duobus factum sit vnum illud t men vltra scindi non potest.* En quantam vi tatem priùs quidem carnis, deinde etiam ch ritatis & spiritus Matris cum Filio constitu Arnoldus, vt nullo modo queat studia in c trariò scindi. Et quid multis opus est? Nón Apostolus docet: *Qui adhæret Deo, vnus spi*
1. Cor. 6. *tus est cum illo*. at quis magis adhæsit Deo, q Virgo, cui adhuc ante incarnationem filij D dictum est ab Angelo: *Dominus tecum?* po incarnationem verò non potuit illi non a hærere: quippe Filio Mater. Cùm igitur fu rit huius Matris cum filio non tantùm vn caro & sanguis, sed etiam vna charitas, vnu spiritus, vna voluntas & animorum identita

siue

siue, quod idem est, supernaturalis sympathia; fuerit etiam in passione filij, ex hac sympathia, cum illo communis dolor, ex ijsdem vtrimque principijs & causis, motiuisque supernaturalibus ortus, de quibus deinceps in hoc libro agemus. Detestabatur *filius* peccata hominum, pro quibus patiebatur, ex quibus immanem tristitiam concipiebat; detestabatur & mater, similémque cum illo concipiebat tristitiam. *Zelabat* honorem Patris æterni filius, vt illius violationi suos cruciatus *posteriores* duceret; *Zelabat* & mater. Amorem suum in matrem patiendo testabatur filius; testabatur in filium compatiendo & mater. Quin & filius hoc ipso quod amabat matrem, dolores illi suos præ cæteris communicabat; *& mater* hoc ipso quòd amabat filium, *dolores* acceptabat, & in pretio habebat. *Et ita de cæteris.* Quod si S. Paulus fidelibus omnibus præcipit *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*, certè matri id præcipiendum non fuit, quam & natura ipsa, & idem cum filio spiritus flere cum flente, dolere cum dolente compulit. Rom. 1

Duæ citharæ eodem tono attemperatæ si prope se collocentur, vnâ tactâ & sonante, accinit & respondat altera, vt experientia notum est. Cithara erat CHRISTVS crucifixus: ita enim de illo S. Bernardus de pass. Dom. ca. 8. *Cithara tibi factus est, sponsus, cruce habente formam ligni; corpore autem suo vicem supplente*

chordarum per ligni planitiem extensarum. Nam nisi in ligno affigeretur expansus, nunquam verborum sonum ederet tanquam citharizans. Quin & Pater æternus Filium suum
Psal. 56. vocat citharam: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara.* Altera cithara fuit Virgo, simili prorsus tono attemperata, quæ propter virtutum omnium perfectissimam harmoniam & quasi concentum, propter voluntatis ac spiritûs consensionem atque sympathiam consona & concors. Quis
Iob 38. igitur miretur, si *versâ in luctum* & luctuosum quid insonante vnâ citharâ, quæ est CHRISTVS, in luctum vertatur & altera, quæ est Deipara? Si non leui sanè plectro percussâ vnâ, altera velut eodem ictu concussa responset ac resonet? vt dicere possit illud quod Isaias c.16. de Moab ex condolentia dicit: *Super hoc venter meus ad IESVM vt cithara sonabit.*

Verùm aptiùs & concinniùs ad rem explicandam videtur esse illud, quod ex alijs authoribus memorat Bidermannus lib. 1. Agonisticõn. c.7. siue commentum, siue naturæ miraculum, inuentos nimirum ab Hispano quodam ad maris crepidines obambulante lapillos gemellos nigro colore, quorum vnum cùm ille sustulisset (mirum dictu!) secutus est sponte, nullo commouente, alius, iisdemque prorsus motibus, quibus prior, sursum, deorsum, & in omnē partem tractus agitatus

tatús

[illegible] erat, agitatus etiam per se ipse est al-
ter. Quod vbi homo ille animaduertit, domũ
[illegible]cato vtroq; tale quid excogitauit. Duas
magnitudine tabulas conformauit, qua-
rum extremos margines, 24. alphabeti notis seu
elementis æqualiter distinxit, gnomones-
que singulos in singularum tabularum me-
dio defixit singulis lapillis instructos. Ex
his quandò vnus manu circumagebatur, &
ad alphabeti literas iam ad primas, iam ad
medias, vltimásque ducebatur; ducebatur æ-
què sine ductu, nullo mouente, ad easdem lite-
ras etiam alter, & in earundem literarum me-
dio altero quiescente, alter pariter conquiesce-
bat. Atque ita modum inuenit cum longè di-
stante (neque enim distantia vlla parem lapil-
lorũ motum impediebat) amico colloquẽdi,
datâ illi vnâ tabulâ cum altero lapillo, sibi re-
tentâ alterâ cum altero, cuius indicem ad
certas literas circumducens, ex his verba, ex
verbis orationem integram componebat,
quibus sua sensa amico absenti pandebat, qui
ex pari indicis sui in sua tabula motu, quid
ille diceret, quid vellet, intelligebat.
Egregium sanè, nisi fabula sit, naturæ pro-
digium, quo CHRISTI & Sanctissimæ e-
ius Matris affectiones in passione sympathi-
cas possumus explicare. Tabulam vnam ni-
gro instructam & notatam lapillo (qui mor-
tis, & rerum tristium apud veteres si-
gnum atque interpres fuit.) habuit Christus;

tabulam, inquam, corporis, multis vndi conscriptam litteris, incisam notis, per flag la, per spinas, per clauos, per lanceam; in ius medio, hoc est, in corde vertebatur an ris index, qui notas illas & indicabat, & eis indicabatur. Tabulam alteram CHRIS tabulæ similem in corde suo efformatam rebat Mater, iisdem signatam notis. Quod nim flagella, spinæ, claui, lancea agebant in lij corpore, hoc idem ingenti cum dolore scriptum & incisum erat in eius corde. No ac litteris illis sua animi sensa, circumduc amoris indice, pandebat Matri filius; quæ i cùm intelligeret, in eosdem affectus dolo & mœroris, in eadem sensa erumpebat, su que vicissim circumacto amoris indice, vicissim illi sensa patefaciebat: Atque ita d hi amantes, etiam linguis tacentibus, silen ore admirabili artificio colloquebantur, internis affectibus sensisque consentiebat præsertim cùm tanta esset inter illos & nat ralis & supernaturalis sympathia, tantus, tan que intimus nexus; imò alterius in altero v ta. Nam & B. Virgo præ cæteris omnibus v rissimè dicere poterat se viuere in CHRI STO, & Paulinum illud vsurpare: *Viuo ego ia non ego, viuit vero in me CHRISTVS*, CHRISTVS, qui vitam suam naturalem ill vt matri acceptam ferebat, per vitam su pernaturalem magis quàm in creaturarun suarum vlla (in quibus viuere, & vita

Galat. 2.

opera

opera exercere dicitur) in sua matre vi-uebat.

CAPVT III.

Dolor ex viuaci apprehensione, & præsenti ac intima cognitione cruciatuum CHRISTI, *aliorúmque adiunctorum.*

§. I.

Inter reliqua, quæ dolorem mouent, est præcipuè viua apprehensio, quæ in Virgine maxima fuit.

VT magnus animo concipiatur mœror, quatuor ferè requiruntur. Primò, vt mœroris obiectum non leue sit, sed ingens aliquod & atrox malum, aut incommodum. Secundò, vt non sit longè positum & remotum, sed aut propè imminens, aut, quod plùs affligit, vt sit præsens. Tertiò, vt non alienum quempiam à nobis, & nullâ nobis necessitudine coniunctum, sed aut nos, aut personam nobis coniunctissimam contingat. Quartò, & præcipuè, vt clarè atque intimè apprehendatur, cognoscatur, penetretur. In multa sæpe homines, eorúmq; familiares incurrunt, mala eáque grandia; sed quia illa non viuaciter apprehendunt, neque, vt sunt, cognoscunt,

nihil aut parum ijs afficiuntur. Contrà v
fortis & viua apprehensio mali aliquandò
iam non admodum magni, quià tamen i
magna est, magnoperè & vehementer me
concutit, & ingentis mœroris causa est.
nimuerò magna vis est apprehensionis,
multis exemplis compertum est, quæ non
nimum tantùm, sed corpus etiam quandoq
immutat atque alterat, quin & in extremu
vitæ discrimen adducit. Scimus quosdam
sola mali, quantumuis imminentis duntax
& nondum præsentis apprehensione, intra
nam noctem toto capite incanuisse, vt de s
patre affirmat Delrio; alios in grauem mo
bum subitò prolapsos, alios extremum die
obijsse. Lege de his authores, qui multis h
historijs confirmant. Hinc iam ducamus arg
mentum ad declarandum Virginis dolore
mœrorémque incredibilem & summum. Mo
roris obiectum habuit cruciatus CHRISTI
acerbissimos, quales & quantos nullus v
quam hominum sustinuit, & ignominiosissim
simul, crudelissimámq; mortem, CHRISTI
inquam, filij sui, sibi ita cõiuncti, vt nulla po
set maior esse coniunctio, quem pro altero se
imò pro toto se, quin & plus quàm pro se ha
bebat, atque æstimabat, vt ex dictis patet. H
verò cruciatus, vulnera, mors, hic miserabili
rerũ status præsens erat, eúmq; suis ipsa ocu
lis proximè spectabat. S. Brigitta lib. 1. reuel. c
10. testatur interfuisse, quãdò CHRISTVS fla
gella-

gellatus est, & quandò crucem portauit, & quandò fuit crucifixus. quod postremum ex Euangelio liquet: *Stabat* enim *iuxta crucē* IESV *mater eius*, & ita stabat, vt sanguine eius perlueretur ac maderet. Inter reliqua Regni Boëmiæ sacra lipsana, quæ enumerat Hagek, est pars pepli, quæ etiamnum cruore CHRISTI imbuta rubet, quem ex eo crucifixo stās sub cruce Virgo excēpit. Vndè qui 15. vlnis à CHRISTO è cruce pendulo distantem faciunt, idque ex tradita ad posteros memoria eius loci, qui etiamnum in mōte Caluariæ, vbi Virgo steterit, monstratur, confirmant, aut à vero loco aberrāt, aut saltem negare vix possunt, quin aut priùs aut posteriùs, quàm in illo loco, quem designant, stetit; cruci vicinior steterit. Certè verba Euangelistæ: *Stabat iuxta crucem IESV*, maiorem vicinitatem exigunt. Apprehendebat ergò in hac vicinitate, & intimè cognoscebat, sensibúsque tum externis, tum internis omnibus percipiebat, & intellectui, ac menti viuacissimè proponebat, atque imprimebat omnes & singulos omnium & singularum corporis partiū CHRISTI dolores, quin & internam animi amaritudinē penetrabat, multitudinem ac magnitudinē hiantium vulnerum contuebatur, ictuum ac plagarum sonitum aure excipiebat, numerū computabat, atrocitatē expendebat, sanguinis largissimè defluentis copiā spectabat, vniuersas deniq; totiꝰ passionis peristases peni-

Addrichom. & alij.

penitissimè peruidebat, mourentem fi atque halitum vltimum exhalantem con plabatur, corpus & animatum & exanim sectum, discerptum, concussum, cōtusum fossum, spinis, clauis, flagrorum aculeis, la cribri instar compunctum, conuulnera distractum, distentum, diuulsum, dilaniat conscissum, & oculis vsurpabat ac collu bat, & vlnis ac gremio cōplectebatur, & nibus ipsis contrectabat. Quis hîc sensus? mens? quæ animi commotio? quæ acerb quis mœror ac dolor? quæ amaritudo? angustia? quæ internorum animi & spir cruciamentorum congeries? quæ multitu quæ magnitudo, quæ animæ ipsius per do ris gladium disculsio, sectio, punctio, *tran* xio, quis edisserat? quis comprehendat? q concipiat? Verè *gladius viuus, & efficax, & p-* Heb. 4. *netrabilior omni alio gladio ancipiti perting* ad viuum, & *vsque ad diuisionem animæ & s-* *ritus compagum quoque ac medullarum.* No ego virum Religiosum, qui cùm *pictam* si donem, ex vera illa, quæ Taurini in Sabau asseruatur, expressam, in qua corporis CHR STI effigies vndique & ex omni parte co uulnerati repræsentatur, publicè in *temp* Societatis nostræ ad venerationem & con miserationem in die Parasceues proposita primùm aspexisset, ita commotus est, vt an mo linqueretur. Tantum imago & vmbra p ... quid res ipsa coràm spectata in Virgin

matr

matri filij amantissima? Machabæorum matrem hanc ob causam piæ cæteris Martyribus excellunt SS. Patres, quod filiorum supplicia coràm spectarit, ideóque eadem ipsa tormenta passa sit in oculis, quæ filij patiebantur in corporibus. Vnde S. August. serm. 109. de diuersis cap. 6. *Illa*, inquit, *videndo in omnibus passa est, facta mater septem Martyrum, septies Martyr, à filiis non separata spectando, & filiis addita moriendo. Videbat omnes, amabat omnes, ferebat in oculis, quod in carne omnes.* Quàm hæc aptè Dolorosæ Matri nostræ congruunt: Illa vtique Christi vulnera & supplicia videndo, in omnibus passa est, facta mater ducis Martyrum, non septies tantùm, sed plùs quàm millies Martyr. Nam vnicus ille eius filius IESVS, & *plùs* quàm mille filiorum ei instar erat, & *plùs* quàm mille, imò omnes Martyres *passus est*, à quo illa non est separata *spectando*: & non est ei quidem addita moriêdo, sed hoc ipsum non mori, plus quàm millies mori illi fuit. Videbat, amabat filium, ferebat in oculis, quod ille ferebat in carne; & quia quod ille in carne ferebat, maius erat omnibus, quæ tolerarunt toleránt've alij, maius & illa ijs omnibus in oculis ac mente ferebat. De eadem Machabæorum Matre sic loquitur S. Cypr. *Tam grande Martyrum præfuit Deo virtute oculorum suorum, quàm præbuerint filij omnes tormentis & passione membrorum:* Magnum profectò encomiũ. Ergóne sartagines,

in

in quibus filiorum membra torrebātur, o.
æneas, ſuccenſas, amputatas linguas, cutē
piti abſtractam, præciſas ſummas manus &
des, flagra, taureos, aliáque cruciament or
genera non minùs erat acerbum ſpectare M
tri, quàm ferre filijs? Ita ſanè cōcludit Cypr
nus. Equidem de Matre Doloroſa id nō au
affirmare tā grande Deo præbuiſſe Marty
videndo, quàm præbuerit Chriſtus filius
tiendo; præſertim ſi omnia, quę hic paſſus
ſimul ſumantur; rectè tamen ex his Patrū
ſtimonijs conijcit Baeza tom. 1. lib. 1 c. 12. p
4. ſi quæ creaturâ tam grande Martyrium p
bere potuit aut poſsit Deo, quà Chriſtus c
cifixus, credibile fore, à ſola MARIA tant
propè præbitum Martyrium virtute oculo
ſuorum, quantū præbuit filius eius tormen
& paſsione membrorum. Adeò graue ei fi
ſpectare oculis, & intimè cognoſcere tormē
filij. Sed alijs etiam hæc exemplis illuſtremu

§. 2.

*Illuſtrantur dicta exemplo Iacobi Patria-
chæ.*

Iacob Patriarcha tot filiorum pater, cù
vnius ex illa turba Ioſephi tunica ad illū all
ta fuiſſet madens ſanguine, ex inani appreh
ſione, & falſo iudicio perſuaſionéque lania
à feris filij, in eum dolorem incidit, quem ta
graphicè S. Scriptura Gen 37. deſcribit, cù
tame

tamen neque indicium esset certum, & coniectura fallax, & si rem accuratiùs expendere voluisset, si vestem perlustrare curiosiùs, errorem fortasse suum deprehendere potuisset. Rarò enim ex integro tectum est mendacium, vt non aliqua ex parte, & veluti per rimas se prodat. Nihilominus solâ apprehensione ductus, cùm dixisset: *Tunica filij mei est*, hinc concludit: *Fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* Ex qua conclusione apprehensionéque, quæ non lachrymæ? quis non luctus est consecutus? *Scissis*, inquit sacer textus, *vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.* Et, vt infrà additur: *perseuerauit in fletu.* Nempè tantus fuit dolor, vt neque lapsu aut diuturnitate temporis (cùm tamen dies animi morbos sanare aut lenire saltem soleat) mitigaretur, & solatium omne respueret. *Nam congregatis cunctis liberis eius, vt lenirent* (lenirent, ait, non tollerent; hoc enim vel attentare fuisset superuacaneum) *dolorem patris, noluit consolationem accipere*, eóque illum adegit mœror, vt diceret: *Descendam ad filium meum lugens in infernum*; siue per infernum intelligamus sepulchrum; siue, quæ huius loci aptior est significatio, locum, ad quem migrant animæ. Potuit sola, eáque falsa persuasio sublatiunius, eiúsq; absentis filij, Iacobũ sic afficere, tantúmque efficacitatis habuit ad rodendũ lancinandúmq; tam

diu,

diu, tam vehementer paternum cor; quan
igitur efficacitatis habuerit in Virgine Mat
quæ non vanâ opinione delusa, non err
decepta, sed certissimè, potentissiméque, c
ram, & in oculis suis vidit filium suum pr
sentem; eúmque vnicum immanissimè lani
& trucidari: Meritò sanè ei illud dicere poss
mus: Vide, Domina, ô Mater vide, an hæc t
nica filij tui sit? Equidem tu illum vestiuisti,
in te, & de te, in Virginali tuo vtero tunica
ei det *habitum* concinnasti ac præbuisti, q
indutus Deus noster *in similitudinem homi*
Philip. 2. *factus, & habitu inuentus est vt homo*; & qui
Ps. 44. *speciosus formâ præ filiis hominum*. At nunc
fera pessima comedit filium tuum, *bestia deu*
rauit IESVM. Imò verò nō vna bestia, *sed ci*
Ps. 21. *cumdederunt eum vituli multi, tauri pingu*
obsederunt eum. Insuper & *canes multi circum*
dederunt eum, à quibus ita laniatus est, ita e
ius caro ab ossibus auulsa, ita corpus distra
ctum, vt *dinumerari* possint *omnia ossa eiu*
Et quasi hæ bestiæ non sufficerent, multò eti
ferociores accedunt: Non audis, vt opem im
ploret, vt clamet *saluari ex ore leonis & à cor*
nibus vnicornium? Tu verò, Mater, quid a
hæc? quis animi tui est habitus & affectio
quid ais? Non minùs tibi roditur ac laniatu
maternum cor, quàm filio corpus. Dolor &
animum fodicat, & linguam occupat, nè far
possis. Certè Euangelistæ nullum tuum ver-
bum in hoc ferali spectaculo, in hac lugubri
tragœ-

tragœdia indicant. Mutam, mutam, inquam, ex immani dolore personam in Caluariæ theatro, & per omnes vbique totius passionis actus ac scenas agis.

§. 3.

Idem exemplo amicorum Iobi confirmatur.

Refert S. Scriptura Iob. 2. quòd, cùm *audissent tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo: condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eũ. Cumque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum: & exclamantes plorauerunt, scissisq; vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cælum.* Et *sederunt cum eo in terra 7. diebus & 7. noctibus, & nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem esse vehementem.* Ingens *profectò* affectus, ingens condolentia; *nescio, an* aliquid magis patheticum dici *possit. Sed* aduerte, amicos illos cùm auditione tantùm, quamuis certa accepissent calamitatem Iobi, doluisse quidem, sed non ita, quin loqui potuerint, & iter atque profectionem ad eum condicere; cùm verò procul, & de lõginquo eleuassent in eum non cognitum oculos suos, & auxerunt, & magis prodiderũt dolorem suum discindendo vestes, clamando, *plorando*, spargendo puluerem super caput in cælum. At, cùm denique eum de propinquo spectarunt tam miserabiliter affectũ, se den-

sedentes cum eo in terra; tum enim u
verba, & clamorem, & vocem ademit a
interclusit dolor; tum muti & quasi e
redditi sunt, idque non ad vnum, duos,
vé dies, sed integram hebdomadam,
videbant dolorem esse vehementem. Tan
videre, & coràm oculis spectare, ac clar
gnoscere, viuacitérque apprehendere a
miseriam. Et quamnam tandem amici Iob
derunt in eo miseriam? Grauem illam
dem per se, imò grauissimam: *Percuss*
nim Satan Iobum vlcere pessimo à planta
dis vsque ad verticem eius, & rebus omn
atque opibus spoliatum è Regio thron
sterquilinium deiecit *radentem testa sani*
at in comparatione cruciatuum CHRIS
benedicti, à Matre dilectissima hausto
oculis, viuacissimè apprehensorum, cog
torum intimè, leuem ac pœnè nullam. Qu
multa enim habuit Iob, quæ leuamini
solatióque esse poterant, quibus contra
CHRISTO in acerbiorem cessêre cruc
tum. Iob liberum totius corporis, & p
sertim manuum pedúmque vsum ac mot
habuit, vt saltem testâ radere saniem *poss*
CHRISTO fossæ terebratæque manus ac p
des, totum corpus distentum, clauis stipiti
fixum, nullum vt motum, vsum nullum adm
teret: ille in sterquilinio quidem, sed *mo*
fuit; hic duro ac nodoso trunco applicit
non quietem in vulnerato corpore *nact*

est, sed attactu affrictúque vulnera auxit: ille sedit; hic autè manuum vulneribus pependit, ac in vulneribus pedum stetit; ille capite in stramentum vel paleas incubuit; hic spinis vndique confixum quo reclinaret non habuit: ille abiectus in sterquilinium; hic sputis obrutus ac sepultus, & sterquilinij instar factus, *despectus ac nouissimus virorum, & quasi absconditus vultus eius, in quo néque species esset, néque decor*: illius viri dolores; hic *vir dolorum* fuit, quibus totus ac penitùs in prædam, direptionem, ac integram possessionem cessit *sciens infirmitatem*. Et quis cuncta, quæ propè innumera sunt, in vtroque dispária enumeret? In illum cùm Satanæ potestas permissa esset, *veruntamen animam eius* (hoc est vitam) *seruare* iussus est; in hunc tenebris & *principibus* tenebrarum ita potestas *data est, vt*, quidquid dolosum coacernare vellent aut possent, sinerentur, *nullâ seruandæ* animæ seu vitæ, conditione appositâ. Itaque *& fecerunt in eo quidquid voluerunt*. Hæc igitur talia ac tanta, tàm Iobi ærumnis dissimilia & diuersa, quantoperè affecerint Matrem, quibus mœroris ac doloris fluctibus obruerint, pronum est cogitare. Nam, si amici Iob minoribus rebus, immane quantum, commoti sunt, quantùm illa maioribus? illa, inquam, sexu, statu, conditione tenerior, necessitudine & consanguinitate coniunctior; quippe Virgo & Mater: illa

Is. 43.

Matt. 17

illa & inflictis iam filio vulneribus, ac cru
mentis; &; dum infligerentur, vicinior ac
sentior, quæque (hoc enim est, quod nun
gere ac demonstrare pro immenso dol
augmento intendimus) præ amicis Iobi
gula coràm exactissimè dispiciebat, suis q
que momentis expendebat viuacissimè
apprehendebat & penetrabat. Obseruat
lianus simile aliquid ei, quod de Iobi am
nunc diximus, Iudæ Machabæo quoque,
dæisque eius socijs contigisse. Nam, cùm
dissent (vt narrat S. Scriptura 1. Mach. 4.) te
plum Hierosolymitanum indignè à Gen
bus tractatum, ac violatum; maximo dol
sunt affecti, quem non minoribus proper
dum signis, quàm amici Iobi prodideru
Certis nuncijs, ait Salianus, omnia illa, q
tunc in templo tristitia, & indigna cernеba
antè accuratè, & exactè cognouerant, & c
ploratè sciebant singula, & vniuersa; tame
cùm eadem oculis ipsis vsurparent, lõgè gr
uiùs, & atrociùs sunt commoti. Tantum
doloris vehementiam facit, rem ipsam ocu
conspicere, & clariùs apprehendere! Non
rit tibi difficile, pie lector, historiam viol
ab impijs templi ad Christum, & eius aspec
ad Matrem dolorosam accommodare, qu
nos quoque infrà c. 7. alia occasione, aliq
ex parte faciemus.

§.

§. 4.

[illegible] ipsius exemplum adducitur, & do- [illegible] Virgine magnitudo ex hoc capite [illegible] declaratur.

[illegible] enim, vt, quanta sit vis in dolorum ve[he]menti apprehensione ac penetratione, [illegible] adhuc intelligamus, experimentum e[illegible], atque exemplum à CHRISTO ipso [illegible]. Quæ enim oro, causa fuit, vt in hor[to Geth]semani eo redactus sit, vt diceret: *[illegible] est anima mea vsque ad mortem*, vt pa- Matt. 14.
[illegible] *deret, & mœstus esset*, vt, quod inau[illegible] omnibus sæculis est, *factus sit sudor e[illegible] guttæ sanguinis decurrentis in ter[illegible] fieret in agonia?* Multæ huius rei cau[sæ], & pleræque morales à scriptoribus affe[illegible] sed *physica* è præcipuis hæc est, quòd [illegible] *inferiorem*, ac sensus internos, facul[illegible]*que imaginatiuam* siuerit viuacissimè & [illegible]*tissimè* apprehendere omnes & singu[los] *dolores*, quos erat subiturus, ita vt vide[illegible] ei acerbissimi & prorsus intolerabi[illegible] qua apprehensione natura sic cohor[illegible] contremuit, cum ingenti pauore, tæ[illegible] mœstitia, vt toto primùm corpore co[illegible] sudauerit, vti moribundi & agonizantes aliquando solent; sudore autem deficiente, ac penitùs exhausto, subsecutus ex omnibus membris est sanguis tanto cum impetu, & copia, vt decurrens vestes pariter & terram

latè humectârit. quâre CHRISTVS be
ctus virib. defectus, & summè debilitati
fuitque hæc angustia, hic naturæ horr
violentia, agonia & tristitia, tanto præs
cum sanguinis profluuio, inter eius affli
nes & pœnas acerbissima. Potest igit
mile quid aliquâ ratione, & secundùm q
dam proportionem, non quidem arithn
cam, sed Geometricam, de B. Virgine
aliquâ, inquam, ratione & secundùm pro
tionem Geometricam tantùm. Nam Be
sima Virgo CHRISTO comparata, & qu
viuam cognitionem, & quoad reliqua or
longissimo interuallo ab illo est supe
Vnde, licèt CHRISTI dolores, quos
quasi sui essent, sentiebat, vehementissim
ipsa apprehenderet, vehementissimeque
leret; non tamen hæc, quæ de CHRISTI
dore sanguineo, agonia &c. commemor
saltem secundùm omnia illi attribuenda si
Cæterùm, si eadem conferatur cum a
creaturis, dicit S. Bernardinus tom. 1. ser
61. art. 3. c. 2. *tantus fuit dolor Virginis* (ver
eius vtor) *quòd, si in omnes creaturas,*
dolorem pati possunt, diuideretur, omnes su
tò interirent. Quorum verborum veritat
Salazar tom. 1. in prou. cap. 8. v. 14. n. 86. per
lam apprehensionem & cognitionem B. V
ginis saluat ac declarat. Ita enim ait: *Illud m*
hi exploratum est, dolorem internum ex a
prehensione & cognitione mali proficisci. Pu
auten

autem, *omnes simul creaturarum omnium cognitiones & apprehensiones tunc, cùm maximè nuda animo comprehendunt, cognitioni & apprehensioni, qua filij sui passionem* MARIA *contemplata est, impares omnino esse. Si ergo nonnunquam mali alicuius apprehensio & cognitio tam fortis est in alijs creaturis, vt ipsas conceptus indè dolor enecet; cùm apprehensio* MARIAE *omnium simul creaturarum apprehensiones longè superet, fit, vt dolor eius, qui mensuram apprehensionis consequitur, inter omnes rationales creaturas distributus, omnes omnino perimeret ac necaret.* Adde, quòd apprehensio illius & cognitio versata fuerit non tantùm circa CHRISTI dolores, sed etiam circa personæ dignitatem, charitatem, aliaque attributa, & res *supernaturales*, earumque circumstantias, quodque iuxta mensuram cognitionis *tum naturalis*, tum supernaturalis, eum dilexerit amore tum naturali, tum supernaturali immenso. de quo paulò pòst dicemus. ex quo faciliùs concipimus oriri potuisse, dolorem illum, de quo loquitur D. Bernardinus. Denique, si sensus & cognitionis expertia elementa sic quodammodo senserunt passionem & mortem Domini, & Creatoris sui, *vt terra mota sit, petræ scissæ, velum templi in duas partes diuisum*; quasi pars illa templi, quæ dicebatur Sancta Sanctorum, eiusque saxa Matt. 27.

 & pa-

& parietes veli discisione dolorem suu
stari voluerint, more apud Hebræos vsi
apud quos vestium dilaceratio doloris
fuit; si *monumenta aperta sunt*, vt quod t
simum inter homines est, mors; & mort
stitiam mundo annunciarent; quid dic
de Matre Dei, cuius & sensus omnes, in C
STI filij sui passionem & mortē toti im
absorptique erant, & sublimior alia cla
que cognitio omnes ad viuum & exacti
peristases ei repræsentabat. De quibu
hominibus sanctis legimus, eos aliquán
Deo admirabili luce fuisse collustratos
momento temporis clarissimè perspica
méque siue humana, siue diuina plurin
maxima cógnouerint. Sic S.P.N. Ignatio,
mo conuersionis anno Minoressæ ad Ru
catum amnem tanta oborta lux est, tán
mirifica, vt puncto temporis quàm plu
clarè perspexerit, non solùm de fidei C
stianæ mysterijs, verùm etiam de naturæ
canis, & vel subtilissimis Philosopho
quæstionibus; quasi nitidissimo quo
in speculo perspicuè ea cerneret. Sic in
Alphonsi Rodriquez Societatis nostræ
adiutoris l.1.c.13. refertur, eum quadam
dum Missam audiret, luce extraordinari
lustratum, quæ ei visa est infinito interua
superâsse limites omnis creatæ intelligen
Alia vice, intra breue temporis spatium,
gelos & Cælites omnes & singulos seors
D

Deo illustrante, clarè ac perspicuè agnouit, notius nimis, quàm, si eâ notitia ex diuturna conuersatione ac familiaritate orta fuisset. An verò similem cognitionem humanarum diuinarúmque rerum, &, quod nunc agimus, earum, quæ ad patientem CHRISTVM pertinebant, Deiparæ negabimus? imò verò an non longè maiorem concedemus? Concedamus ergo pariter & affirmemus, vehementissimum in ea, ex hoc capite, dolorem, vt verũ sit illud: *Qui addit scientiam, addit & laborem,* atque etiam dolorem. *Eccl. 1.*

CAPVT IV.

Amor Deiparæ in Filium supernaturalis, & ex eo dolor.

QVæ hactenus de amore & dolore B. Virginis attulimus, in naturali affectu fundantur, non quidem solitario & incomitato. Nam natura & gratia in Virgine ita sibi associantur, vt hęc illi indiuidua comes adhęreat, vt ex dictis colligere est. Agemus nunc de puro amore eius supernaturali, quo ab infantia sua erga Deum arsit; & ex eius immensitate, immensitatem doloris (si, quod immensum est, mensuram admittere potest) metiemur.

§. I.

Amore Dei Deipara à primo suæ Conceptionis

nis instanti sine vlla vnquam interru ne tota flagrauit.

Multa de hoc amore præclarè disp insignes & magni nominis Theologi, è q quæ planiora sunt, & aliquo saltem adh conatu ac studio, faciliùs ab omnibus, ijs, qui Theologiæ Scholasticæ non studu capi possunt, adferam. Sunt autem hæc.

Primum: Amorem hunc in Deum in V nis corde & anima exarsisse, in primo creationis eius & conceptionis instant quo à peccato originali præseruata ta gratiam, ex communiore Theologorum tentia, à Deo sibi infusam accepit, qua nullus vel purorum hominum, vel An rum, etiam supremus habuit, aut habet. enim decuit eam, quæ iam tum à Sp Sancto præparabatur, *vt dignum Filij*

Psal. 86. *habitaculum effici mereretur. Funda ta eius*, inquit Regius Vates, *in montibus ctis*, vbi scilicet alij Sancti suam sanctit ad cacumen perducunt & absoluunt, illos montes, super illud cacumen illa sanctitatis fundamentum iacit, eamqu ehoat. Vnde vocatur ab Isaia ex SS. Pa

Is. 2. sensu, *Mons Domini præparatus supra v cem montium.* Simul autem cum inf ne tantæ gratiæ, eodem momento, in D amore sicut dixi, exarsit, tantoque ar atque intensione, vt quemuis etiam San

sin

[sum]m Angelum eo quoque superaret; quem Angelum affirmat Suarez vno actu omnia sua merita consummasse, eóque plus meruisse, quàm mille & mille homines mereantur per totam vitam. Qualis & quantus ergo fuerit in instanti conceptionis actus amoris B. Virginis, qui hoc longè fuit perfectior?

Secundum: Amor hic in Virgine fuit continuus, & nunquam toto vitæ tempore interruptus, ita vt à primo illo instanti vsque ad vitæ finem, nè breuissimo quidem temporis interuallo ab amando feruentissimè Deo nunquam cessârit. Ita docuit Vasquez 1. p. d. 118. cap. vlt. qui per continuam & indeficientem contemplationem, & feruorem charitatis in Deum, explicat, quomodo in ea extinctus fuerit fomes peccati, vt nullum inordinatum motum sentiret. Vnde S. Bonauentura in speculo illam comparat primùm quidem carboni ignito. *MARIA, inquit, bene per Sarram significari potest; Sarra enim interpretatur carbo; hoc autem bene MARIAE conuenit, quæ tanquam carbo ardore charitatis ignita fuit.* Et, nè dicere quis posset, in carbone ignem tandem deficere ac consumi, eumque in fauillas abire, subdit deinde, & se quasi corrigit: *Melius ergo, inquit, per Rubum significatur, qui ardebat incombustus*, qui scilicet & continenter arde-

ardebat, & nihil, quo ardere desineret, a
tebat.

Ardebat autem Deipara tota, & non
dum vnam aliquam duntaxat sui partem
secundum omnes animæ & corporis fac
tes & potentias, omnes, internos, externó
sensus. Quocirca S. Ildephonsus ser. 1. de
sumpt. confert illam cum ferro ignito.
RIAM, inquit, *velut ignis ferrum Spiritus*
ctus totam decoxit, incanduit, & igniuit, it
in ea Spiritûs Sancti flamma tantum vide
nec sentiatur nisi tantùm ignis amoris Dei
hoc amoris ardore prodibant omnes &
gulæ SS. Virginis internæ, externæque ac
nes, sicut ex ferro candente scintillæ, nihi
gnitiei, nihil teporis admittentes. Omnia
nim ex feruentißimo charitatis actu agel
& in Dei amorem omnia referebat. Quo
ctat illud D. Bernardi in serm. super Sign
magnum, vbi ait MARIAM amoris Dei ig
non velut summatim tactam, sed opertam
dique & tanquam ipso igne conclusam.
postea. *Candidißimus sanè*, inquit, *& calidi*
mus huius mulieris amictus, *cuius omnia t*
excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in
non dico, tenebrosum, vel minùs lucidum, sed
tepidum quidem aut non feruentißimum lic
suspicari. S. Ignatius, Societatis nostræ Func
tor, vt est in eius Vita, amore diuino ita i
flammari solebat, vt facies eius ardere vid
retur, essétque tota instar cocti cancri rubi

Præterea illud ipse de se aliquando dixit, se vincere non posse, si quid in anima sua humanum, & non omni ex parte diuinum aduerteret. Vnde & in actionibus omnibus particularibus id semper syncerè spectabat, vt fierent purè propter ipsum Deum, easque singulas dirigebat ad Dei gloriam. Neque hoc contentus erat, sed cum reflexione quadam animi operam dabat, vt in quàm maximam Dei gloriam redundarent. Hinc illa solemnia illi verba, toties in scribendis Constitutionibus, & aliás semper vsurpata: *Ad maiorem Dei gloriã. Ad maius Dei & Creatoris nostri obsequium.* Testati hoc sunt, ex multorum iuratorum testium certa assenueratione, Eminentissimi tum Sacrorum Rituum Cardinales, tum Sacræ Rotæ Auditores *in relatione* Summo Pontifici data *his grauissimis* verbis: *Tanto erga Deum amore flagrabat, vt tota die illum exquireret, & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quàm placere Deo, & ipsius obtemperare voluntati: Itaque illi totum se committebat, illum omnino sequi decreuerat, etiamsi toto cælo, terraq; priuaretur: Omnes suas cogitationes, verba, opera in Deum tanquam in finem referebat; ad Deum ac Dei gloriam honorémque destinabat.* Quorsum ego hæc commemoro? Nimirum, vt magis concipiamus, & aliquantò faciliùs intelligamus, quomodo *B.* Virgo amore tota ita arserit, vt erga omnes & singulos in particulari affe-

ctus, cogitationes, verba, operas, peculiar in Deum retulerit; cui comparatus, qu túmvis totus ardens, & igneus Ignatius, & quiuis alius Sanctus, gelu potiùs quà gnis dicendus est.

§. 2.

In amore Dei semper creuit; & quid de hoc cremento senserit Suarez.

Tertium, quod de Virginis diuino am tradunt Theologi, est: eum quantúmvis, vt ctum est, ab initio ardentissimum & supe raphicum; non tamen in eo statu, in quo constitisse, sed creuisse semper ingentibus crementis, & in maiores assiduè ac maio ardores atque incendia euasisse. Qua in re & singularis est sententia P. Suarez, exi cultoris atque amatoris B. Virginis; cuius ac beneficio, eam, quam in illo miramur, d ctrinæ copiam & præstantiam est consecut Is, vt probet Deiparam plus acquisiuisse gr tiæ ac gloriæ, quàm sit, aut futura sit omniu Sanctorum non tantùm seorsim sumptoru sed etiam, si simul omnium in vnum coac uaretur hominum Beatorum & Angeloru (quam ille assertionem in scholas inuex eúmque deinceps multi, præsertim ex Soci tate nostra secuti sunt) vt, inquam, hanc a sertionem firmet, pro fundamento ponit Vi ginem tantos progressus atque incrementa actibi

actibus amoris erga Deum cõtinuè fecisse, vt actus, qui primũ sequebatur, duplo esset illo anterior, & isto tertius quadruplo, & hoc quartus octuplo, & sic deinceps per totam vitam (quæ secundùm probabiliorem, & hodie passim receptam sententiam fuit septuaginta duorum annorum) singulos actus ita processisse, vt posterior actus meritorius aut charitatis anteriorẽ in dupla proportione superaret. Ratio ipsius est: quia semper operata fuit secundùm omnem intensionem charitatis & gratiæ, ita vt verissimè dicere posset: *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Ergo, si in primo instanti habuit v. g. gratiam & charitatem vt 1000. elicuit tunc actum charitatis vt 1000. per quem meruit gratiæ & charitatis augmentum itidem vt 1000. atque ita eo instanti iam hoc *adepta fuit*, vt haberet charitatis bis *mille gradus*. *Sequenti* igitur actu charitatis, *cùm itidem* secundùm totam intensionem charitatis operaretur, acquisiuit charitatem vt quatuor millia, & ita consequenter, vt paulò antè dictum est. Quæ suppositio & discursus immensam & à nobis prorsus incomprehensibilem, non tantùm diuinæ gratiæ copiam adstruit, sed etiam diuini amoris intensionem. Sanè Mathematicus quidam hunc iniuit computum. *Si verum est*, inquit, *quod nonnulli asserunt, Augustissima* Deiparæ *gratiam* (idem est de meritorijs aut amoris Dei actibus) *proportionalia & du-* 1. Cor.

 pla-

pla per singulos actus habuisse incremen post 64. actus, creuerat eâ proportione, qu habent 13446744073709551615 *.ad vnum*. Qu ingens hic numerus! Quid igitur, si nō ab actu vnius gradûs intensionis ad 64. num per proportionalia dupla incrementa pro damus; imò nè à mille quidem duntaxat g dibus, sed incipiamus à mille millionibus, vel per vnum diem, non dico ad 64. nume sed ad milliones numerando progrediam Non enim est dubium, quin B. Virgo in vnum diem aliquot actuum Sanctorum m liones elicuerit, præsertim cùm etiam d miens operaretur ope scientiæ & cognit nis infusæ, quæ non dependet à phantasm bus; quam cognitionem illi quis neget, c contemplatiuis quibusdam tribuatur? Et p terea nullum illi momētum sine pio actu p teriret, & denique nullus prorsus actus ill fuerit indeliberatus, cùm haberet omni suorum actuū perfectum dominiū, & pecc fomite careret? Quod si vnus dies, tantū in sionis, siue diuinæ gratiæ, siue actuum amo augmentū in D. Virgine ponit, vt ad id cōci endū mēs humana fatiscat; quid, si augme illud ad integram hebdomadam sic per du proportionalia cōtinua additamēta extend mus? quid, si ad mensem? quid, si ad annū? qu verò, si ad 49. annum (eum enim agebat c CHRISTVS pateretur) à primo concepti nis instanti, à quo, & deinceps ratione vti,
sanc

sancti operari cœpit, & perrexit, continue-
mentè porrò ad 72. annum, quo vitam hanc
mortalem cum immortali commutauit, gra-
datim per singulorũ actuum dupla incremẽta
ascendimus? Qui potest hanc quasi infinitatẽ
quandam capere, capiat: sed vereor, vt possit.

Ex hac doctrina deducit vlteriùs Suarez
(vt hoc etiam ad laudem & decus Virginis ab
illo Patre ei attributum addam) B. Virginem
circa finem vitæ, vnico actu amoris Dei, per
vnum momentum plus meruisse, quàm me-
ruerint omnes Sancti & Beati homines &
Angeli, qui sunt, erunt, fuerunt, omnibus si-
mul sumptis meritorijs actibus, omni quo
meriti sunt & merebuntur tempore; eò quòd
actus ille fuerit intensione & perfectione ma-
ior, quàm omnes simul sumpti omnium San-
ctorum *simul sumptorum*. Quod illi procliue
est *dicere*, cùm probabile etiam existimet,
quòd, etiamsi non elicuisset D. Virgo toto vi-
tæ *suæ* tempore perfectiores & intensiores a-
ctus Deo placentes, quàm fuerit is, quem pri-
mo conceptionis suæ instanti elicuit (qui, vt
ex recepta Theologorum sententia suprà di-
xi, fuit perfectior ex se, & magis meritorius,
quàm cuiuscunque etiam sublimissimi san-
ctissimique Angeli) adhuc tamen circa finem
vitæ ampliorem & copiosiorem gratiæ cu-
mulum ac thesaurum congregatum per om-
nes *vitæ actus* haberet, quàm alij Sancti om-
nes, eò quòd pœne innumerabilis sit in tot

annis, quibus B. Virgo vixit, actuũ multi quos sine intermissione, continenter, & per eliciebat, & quolibet tali actu quen Sãctum merito excedebat. Hoc illud est:
Prou. 31. *ta filia congregauerunt diuitias, tu superg es vniuersas.* Quod eò libentiùs ex Suari memoro. Nam si hoc ille sentit de actib. tinuatis, tametsi in eadem intensione & p ctione permanentibus, & ad vlteriorem progrediẽtibus; facilè ab illo aut impetr aut euincam, vt consequenter dicat, po quòd Augustissima Mater creuerit indefi ter in intensione actuum, ita vt posteri semper & posteriores duplo essent intẽsi quàm priores & priores; illam tẽpore pas nis incomparabiliter multò fuisse sancti siue maiorẽ habuisse gratiæ cumulum, qu in fine vitæ habuisset, si in eodem tantũ ei dem intensionis actu perseuerasset, eumq; ne cessatione repetiuisset; longè enim, imò gissimo longiùs in illo statu per 48. aut 49. a nos quam in hoc per 72. maiorem necessè consurgere gratiæ cumulum, vt considera & computanti est euidentissimum: & cons quenter, si tẽpore passionis elicuit actus m ritorios habitui gratię quoad intensionẽ pr portionatos (Hoc enim eam semper fecis vult Suarez, & in hoc totum suum discursu ac sententiam fundat) eam iam tum etiam eli cuisse actus amoris diuini tam intensos, vt o mnium Sanctorum hominum & Angelorun simu

simul sumptorum, simul sumptos actus, intensione & perfectione excederent. Id quod ad nostrum propositum apprimè facit, qui hoc capite ostendere intendo magnitudinem eius amoris, vt ex ea conijciamus magnitudinem doloris. Nam pro magnitudine amoris fuit magnitudo doloris. Hæc ego, ad laudem Deiparæ, ex Suario, aliquantò fortasse, quàm debuissem, prolixiùs (quanquam Deiparam Virginem amantibus hæc prolixitas spero grauis non erit) retuli, viro & pientissimo Diuæque Matris studiosissimo, & doctissimo, vt eum non immeritò aliqui, nostræ ætatis Doctorem appellent. Porrò quæ retuli, Theologis discutienda ac diiudicanda permitto, quorum aliqui cùm opinionem Suarij de abundãtia gratiæ B. Virg. super omnes Sanctos simul sumptos libenter admittant, & cupidè, pro suo erga Deiparam studio, amplectantur; rationem tamen & fundamentum, quo nititur, non perinde probant.

§. 3.

Idem de continuo B. Virginis diuini amoris incremento aliis piis rationibus statuitur, & sententiæ Suarij probabilitas stabilitur.

Vtut sit, siue calculatio Suarij per proportionalia dupla incrementa, gratiæ & actus charitatis intensionem auctam esse contendentis subsistat, siue non; certum est B. Virginem semper totâ vitâ saltem mora-

moraliter loquendo, magis ac magis atqu intensiùs quotidie & in horas Deum amass Nam si S. P. N. Ignatius (de quo, quia superiù iam institui dicere, hoc etiam attexo) vt de s ipse rogatus asseruit, quæ sentis diei profect cum præterito conferens, inueniebat & a gnoscebat longiùs se quotidie progressum; & ardentioribus in diuino obsequio inflamma tum studijs, vsque adeò, vt suum Minoresiani statum initio statim conuersionis, in quo mi rabilibus Dei donis ornatus & illustratus fuit, extrema iam ætate appellaret prima rudimē ta, & quasi lineamenta, quæ quotidie in se Deus expoliret atque perficeret; tantò maiora in hoc genere de Dei Matre dicenda sunt, quantò illa magis quemcunque Sanctorum dignitate superat. In Vita B. Catharinæ Genuensis à Matthia Tanner Carthusiano in Latinum conuersa cap. 6. affirmat de se hæc Beata, quòd, postquam Deum amare cœpisset, nunquam ampliùs defecerit iste amor; imò magis ac magis vsque ad finem vitæ in intimo cordis sui creuerit. Idem dicit c. 9. *Amorem, quo dilectum meum Amorem prosequebar, quotidie in me maiorem animaduerti.* Et addit: *Tam ardentem ignem intra me sine igne sustineo, vt quemlibet cuperem eum intelligere posse; ac certa sum, quòd omnia quæ afflarem, igne diuini amoris incenderem & concremarem.* c. vero 36. rogantibus, vt aliquid de suo amore referret, respondit: *Desunt verba tam ignito*

amoris

amoris congruentia; quacunque proferrem, adeo ipsi dissimilia essent, vt eidem iniuriam facerē. Quod vobis narrare possum, hoc est: Vnica guttula de eo, quo cor meum plenum est, in infernum delapsa, mutaret illum planè in vitam æternam, tantúsque ibi foret amor atq; vnio, vt Dæmones in Angelos, & tormenta in oblectamenta verterentur. Similia vel his maiora de alijs quibusdam Sanctis narrantur. Quæ ego iterum, quemadmodum §. præcedenti de S. Ignatio eo fine commemoro, vt per aliquam analogiam, Deiparæ amor in Deum Filium, & continuus in eo progressus, aliquatenus tametsi imperfectissimè à nobis concipiatur, & cognoscatur.

Deinde illud etiam existimandū est, quòd, licèt non sit omnino manifestum, B. Virginis amorem *per proportionalia* dupla incremēta *quasi singulis* momentis fuisse auctum, vt *vult Suarez*, cùm de hoc nullam habeamus *reuelationem*; certum tamen est, Dei virtute & auxilio sic, & multò etiam magis augeri potuisse. Ex quo saltem probabilis coniectura sumi potest, ita reuera factum esse, vel ex cōmuni sensu est principijs illis quæ fideles ac pij de Dei Matre sibi persuadent; quorum vnum est: Nullum donum gratiæ collatum esse puræ creaturæ, quod simili vel perfectiori modo non fuerit datum Virgini. Atqui Angelis datum est, vt in statu viæ tam intensum

amoris

amoris Dei actum elicerent, vt eo intensio habitûs adæquarent. Quidni igitur hoc D Matri tribuatur? At enim, dicere aliquis po fet: nõ est comparatio diuturnitatis statûs v Angelorum cum diuturnitate statûs viæ Virginis, vt videatur incredibile per 72. ai nos eum operandi modum esse continu tum. Sed neque est comparatio Angeloru

Heb. 1. cum illa, *tantò melior Angelis effecta, quan tò differentius nomen præ illis hæreditauit. C enim dixit aliquando Angelorum* Deus: Mate mea es tu, aut quis Angelorum dicere potui Deo: *Filius meus es tu, ego genui te?* An no potiùs videatur incredibile, quod semel da tum est Angelis, non datum esse illi semper nimiúmque esse dare illi semper, quod nor nimiũ est dare semel Angelis? *Dei Matris* (in quit S. Damascen. orat. 1. de dormitione Virginis) *& seruorum Dei infinitum est discrimen.* Alterum principium & sensus fidelium piorúmque est: omnia quæ ad sanctitatem & dignitatem spectant, Magnæ Dei Matri attribuẽda esse, quæ sine inconuenientia possunt; etiamsi nullum præterea habeamus earũ rerum fundamentum, cùm illa sit idea diuinæ liberalitatis & beneficentiæ, & cõmunicationis ad extrà, quã Deus puræ creaturæ cõtulit Nullũ autem est inconueniens, præbita illi esse continenter efficacia auxilia gratiæ præuenientis & excitantis, per quæ eliceret actum charitatis non modò æqualem, sed etiam intensio-

rem

rem habitu: præsertim, cùm non desint Theologi, qui dicant, augmentum charitatis & gratiæ nó fieri nisi per actus intẽsiores; quod siue verũ sit, siue non, certè quod Theologi isti requirunt ad augẽdam gratiam in alijs, hoc Matri Dei sic est concedendum, vt, cùm per totã vitam assiduè sibi auxerit gratiam & charitatẽ, quod nemo facilè negabit, dicatur auxisse semper per actus non modò æquales, vt contendit Suarez, sed etiam feruentiores habitu. Et verò, si in alijs hominibus multa sunt, quæ illos impediũt, quò minùs actũ charitatis habitu feruidiorẽ exerceãt; vt: cõcupiscentia, & partis inferioris rebellio, ac fomes peccati; tẽtatio itẽ, distractio, grauedo corporis &c. his omnib. Virgo caruit. Itaq; nullã sensit difficultatẽ in exercendis virtutũ actib⁹, nulloq; affectu inordinato nó modò inquinabatur, sed nè inquietabatur quidẽ aut retardabatur, quò minùs se totã in Deũ eiusq; amorẽ immergeret.

Ad hæc si quid in rerũ natura fuit, quod Virgo immenso studio desideraret, id erat vt Deũ quã maximè, maximeq; assiduè diligeret, quẽ infinitè amabilem clarissimã luce cognoscebat, ac proinde quantùm potuit, diligebat, ita vt alternis se fouerent & augerent incrementis amor & amãndi desiderium, & in infinitũ procederent. Hoc præterea erat, quod assiduis & feruentissimis precibus à Deo exposcebat, vt Deum singulis momentis immensis modis amaret, vt singula vitæ suæ

momen-

momenta, quantis possent augmentis, in amore priora momenta superarent, vt tota in amorē verteretur. Et potuit Deus illi personæ, illi suæ Matri hoc negare, quod tā iustè petebatur? & ad quod, si vel nō peteretur, inclinabatur? quippe qui in illā animā sibi adeò dilectā, & ad hoc electā, vt diuinæ bonitatis, largitatis, & charitatis esset repræsentatio, sua sponte se largissimè effundebat. Vnum alterúmve verbum ab ea prolatum, cùm nihil tunc peteret, sed salutaret tantùm Elizabeth, totam eius domum Spiritu Sancto repleuit, vt prophetaret Elizabeth, infans Spiritu Sancto tunc primùm plenus exultaret in vtero.
Luc. 1. *Vt audita est*, inquit Elizabeth, *vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Quid igitur, si non locuta tantùm est, sed orauit, & orauit pro se? Nam, si alij per illam tantum consecuti sunt, qui non tantum fuerunt gratiâ digni, nec ad illam accipiendam tantùm dispositi, quid illa? Adeò potens & secura fuit id omne obtinendi, quod desideraret & peteret, vt etiamsi alioquin quasi Deus aliud iam decreuisset, ipsâ tamen vel deprecante, & vel insinuante, quod postularet, fieret. Sic, posteaquam in nuptijs Canæ Galilææ
Ioan. 2. hoc tantum protulit: *Vinum non habent*: cùm dictum ei esset: *Nondum venit hora mea*; illa tamen tam certa rei petitę aut potiùs insinuatæ consequendæ fuit, quàm si dictum sibi esset: Faciam quod optas. & versa ad ministros iuberet

iuberet rem impetratam & imperatam perficere. Quid igitur non potuit obtinere pro se in negotio sanctitatis, quæ in amore Dei cósistit, quæ pro alijs in negotio quasi mere politico, tantum, & tali modo obtinuit? Nónne multò magis à Deo Patre, Filio, Sponso suo, petierit atque impetrarit, vt *introduceret se in cellam vinariam, & ordinaret in se charitatẽ*; Cant. 2. ordinaret, inquam, ita, vt temporis & intensionis ordine ac serie, maiora semper ac maiora, quàm priora fuerint, charitatis caperet incrementa. Ex hucusque disputatis satis, vt opinor, constat, quantæ fuerint amoris & charitatis flammæ, quæ in Virgineo pectore in Deum filium suum à primo creationis animæ instanti conceptæ & arderent iugiter & crescerent. Imò verò, vt ex S. Augustini apud D. Bonauenturam c. 14. in spec. verbis colligere licet; non tam amauit, quàm charitatis naturam induit, & ipsa charitas fuit. Sic enim ait: *Quis dubitare potest omnino in charitatis affectionem transijsse viscera MARIAE, in quibus ipsa, qua Deus est, charitas nouem mensibus corporaliter requieuit?*

§. 4.

Ad hunc amorem & ex eo dolorem sustinendum peculiariter à Deo confortata est Deipara.

Dices. Non videtur fieri aut concipi posse, vt pura aliqua creatura, & præsertim homo per

per tot annos sufferat tam longam & continuam mentis aliarumq; potentiarum attētionem, intentionem & contentionem. est enim extrema, adeoque violenta. Respondeo, quod nobis videtur fieri non posse, id procul dubio Dei ope fieri potest, animā, corpus & potentias corroborante, & peculiaria auxilia cōtinuè subministrāte, vt iā superiùs dixi. Et certè est, multa extraordinaria in Virgine accidisse quæ nobis reuelata non sunt, quæq; nec cōcipere possumus. Et quā multa in alijs Sāctis miramur, & vix credimus, quæ tamē indubitata sunt? Memini certè me legere de quibusdam, adeò multos intra vnū diem, aut etiam horam internos amoris diuini & aliarum virtutum, earúmque diuersarum & multiplicium actus elicuisse, vt id nobis imperfectis videatur incredibile. idque illi de se ipsis confessi sunt, recensentes vnius generis multa millia actuū, quos intra diem exercuerint aut exerceant; aliorū autem referentes tantum esse numerū, vt iniri non possit, & soli Deo ant cælitib. notus sit. Præterea intra ferè momentū plurimos diuersi generis affectus se elicere testati sunt: imò solet, vt quidā ait, *diuina Maiestas fideliter & feruēter sibi seruientibus animabus, tantam ad tales affectus effundendos concedere promptitudinem, & quandam agilitatem, vt in breuißimo temporis spatio, & quasi instanti, multa valde simul, idq; clarè & distinctè concipiāt cogitentq;, & voluntatis actib. exprimant, quæ si aliis,*

si alia verbo exprimere deberent, valde longo tempore ad id opus esset. Parciórne aut cōtractior fuerit diuina Maiestas in Matrē, quàm in suos seruos? An non amplior & in subliniori genere filij erga Matrem liberalitas, vt, quàm erga seruum? Hinc tu potiùs collige, Augustissimam Matrem non solùm cōtinenter creuisse in Dei amore, sed plurimos simul intra idem tēpus diuersissimosq́; Deo summè placentes actus elicuisse, adeoq́; cùm aliquē virtutis alicuius, v.g. diuini amoris actū per longius spatium (quod alijs etiam Sanctis vsitatū est) continuauit; ei maximam aliorum actuū copiam adiūxisse, simulq́; in illo, maiore semper ac maiore intensione processisse: idq́; etiam, quādò cum alijs hominibus familiariter agebat, & colloquebatur. Neq́; enim hæc nostro intelligendi modulo metiri debemus. S. P.N. Ignatius (*vt habetur in libello, qui inscribitur: Gloria S. Ignatij. c. 7.*) cùm P. Ioanni Polanco quædam ad eius instructionem aliquādo narraret, isque candidè ex eo quæreret: nū vanam gloriā metueret talia narrando? respōdit, nullum se vitium minùs timere: addiditque hoc admirabile prorsus ac stupendum: *Certò scias, Polance, me ex mille partibus Dei donorum mihi diuinitus concessorum, nè vnam quidem narrare, ob incapacitatem eorum, qui me audire possent.* Et tamen nimis compertum est, S. Ignatium habuisse socios, & familiares præclaro ingenio, iudicio, experientiā, doctri-

doctrinâ, & sanctitate præditos, magnaq; r
rum diuinarum cognitione imbutos; qual
fuêre inter cæteros Iacobus Laynez, & A
phonsus Salmeron, Summi Pontificis in Tr
dentino Concilio Theologi, summæ eruc
tionis laude notissimi. Quòd si hi millesima
partem donorum S. Ignatij capere non potu
rant, quis ex nobis audeat, intellectûs sui ca
pacitate metiri velle B. Virginis dona, grati
diuinæ superfluentis copiam, & internoru
actuum intensionem, numerum, modum? Se
alio id præterea exemplo, quod cum superi
dictis aliquam habet affinitatem, explicemu
De Marinâ de Escobar Virgine Vallisoleti i
Hispania Anno 1633. 8. Iunij mortua, & in tem
plo domûs Professæ Societatis nostræ cu
omnium ordinum incredibili concursu sepul
ta quàm mira narrantur, eaque grauissimi
magnorum virorum testimonijs confirmata
ac inprimis P. Ludouici de Ponte viri eximi
Sanctitatis, qui per 33. annos eius fuit confes
sarius? A tertio ætatis anno Deum amasse, nũ
quam in vigilia de Deo cogitationem depo
suisse (vixit autem circiter 80. annos) per o
mnes Theologiæ mysticæ vias transiuisse, &
altissimæ contemplationi deditam, simúlqu
acerrimis doloribus per multos annos excru
ciatam, simul tamen familiariter cum homi
nibus collocutam, Deo naturalium virium
defectum supplente. Et quantum illa abfuit
Dei Matre, quam in summa contemplation

& lon-

& longè quàm aliorum Sanctorum sublimiores semper fuisse retuli initio huius capitis ex Vasquez; & tamen (quod ad rem nostram etiam facit) extasim aut raptum fuisse passam nō legimus, cùm eos raptus in alijs Sanctis stupeamus. Cur id? quia, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 175. a. 2. in extasi & raptu abstractio exterior sensuum ab omni eorum vsu, orta ex vehementi mentis occupatione, indicat virium defectum & insufficientiam, eò quòd nō possit homo tàm intentè diuinis insistere, & simul vsum sensuum retinere. Cùm ergo in B. Virgine (multóque magis in CHRISTO) & maior mentis occupatio (quippe multò sublimior contemplatio) fuerit, & tamen vsum sensuum retinuerit, signum est non fuisse illū virium defectum, adeóque fuisse à Deo confortatam extraordinariè. Nimirum, in illo charitatis continuo æstu *virtus Altissimi obumbrauit illi*, nè eo consumeretur. Hoc enim etiam videtur voluisse significare Angelus Gabriel, qui, postquam illam appellasset *gratiâ plenam*, addidit, insuper *superuenturum in eā Spiritum Sanctum*, qui amor est & *ignis consumens*, eam vtique ardentiori amore inflammaturus, cuius ardorem sufferre vt posset, Altissimi obumbrantis virtute consecuturam. Vnde ab Habacuc c. 3. vocatur *mons Pharam*, siue vt vertunt Septuaginta, *mons vmbrosus*. *Deus*, inquit, *ab Austro veniet*, à summi scilicet caloris, diuinique amoris, & in se & in Luc. 1. Heb. 12.

Virgine, meridie: *& Sanctus de monte Phara*
Exod. 3. *de monte vmbroso & condenso.* Deniq; sancti-
sima Virgo sæpe cōparatur rubo incombust
qui ardebat, & tamen virorem suum atq; in-
tegritatem retinebat. Sic illa in amoris conti-
nuo igne, Deo confortante & subministran-
vires habebat; imò maiores semper ac maio-
res ad maiora amoris incendia acquireba
Porrò quod de amore dictum est, idem & d
dolore dici debet, nempe peculiari quoqu
Dei ope indiguisse Virginē ad eum in filij s
passione tolerandum, ob immensam eius ma-
gnitudinem, vt hic quoque rubo rectè repræ-
sentetur. Cùm enim dolores in ea *exarserin*
Ps. 16. *sicut ignis in spinis*, &, cùm verè dicere posse
illud Thren. *Misit ignem* (dolorem) *in ossibu*
meis, eo tamen sicut rubus non combustus, it
illa consumpta non est: De qua doloris ma-
gnitudine, præter ea, quæ hoc capite comme-
morata sunt, vix quidquam opus esset addere
Cùm enim commensuretur amori, ex quo qu
oriatur, si amoris tanta fuit vehementia, ean-
dem & doloris fuisse, necessè est. Addamu
tamen aliquid.

§. 5.

Doloris ex hoc amore magnitudo.

Solemne est sacris litteris, tribulationes, æ-
rumnas, dolores significare nomine aquarū.
Sic, nè longiùs abeam, cruciatus CHRISTI
pe

per aquas passim explicantur, & ita quidem, eorum acerbitatē aliunde intelligere magis possimus: *De torrente in via bibet*: inquit Regius Vates ps. 109. quæ verba de passione CHRISTI accipiũt Interpretes. *Omnes fluctus tuos induxisti super me*. ps. 87. sed maximè ps. 68. in quo CHRISTVS non tantùm se deiectum ait in profundum aquarum, in puteum, in tempestatem aquæ, à qua petit liberari: *Libera me*, inquit, *ab ijs qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque vrgeat super me puteus os suum*; sed plane in ipsum dolorum mare præcipitatum, in quo ita demersus sit, vt magis ac magis in imum dolorum deueniendo, aut fundum inuenire nequeát, aut, si illum attigisse videatur, *is solidus* non sit, nec figere pedem sinat, sed ad vlteriores, profundiores & grauiores dolores aditum præbeat, & aperiat. Hoc enim indicant verba psalmi. *Veni*, inquit, *in altitudinem maris*, in quo non in superficie natem, sed eo toto operiar & obruar, *Et tempestas demersit me*: neque demersit quomodocunque, sed in imum detrusit ac defixit: *Infixus sum in limo profundi*. ac nihil ibi solidum reperio, in quo sistam. *Et non est substantia*; vlteriùs ac magis cum doloribus luctandum est. Neque hoc satis, in dolorum mare mersum esse; sed indicat ibidem CHRISTVS, totum se amaritudinum mare hausisse, &

intra se recepisse: *Intrauerunt aquæ vsq ad animam meam.* Hoc ipsum præfigurat de CHRISTO est in Iona Propheta, qui ita loquitur: *Proiecisti me in profundū in c de maris, & flumen circumdedit me: omnes g gites tui & fluctus tui super me transierunt.* subdit: *Circumdederunt me aquæ vsque ad a mam: abyssus vallauit me, pelagus operuit cap meum.* Quid, oro, significantius fingi pote quod immensitatem dolorum CHRISTI m gis exprimat?

Sicut igitur immensos Christi dolores; & Deiparæ non meliùs, quàm per aquas m tas & maria cum Scriptura Sacra possum explicare; præsertim, cùm mare doloru CHRISTI, quasi in Euripo & æstu super i

Ps. 41. longè latéque se effuderit, & *omnia exce eius, & fluctus eius super eam transierint*; in *abyssus* passionis filij, *abyssum* compassionis mantissimæ Matris *inuocauerit*; sed & abyss amoris comitem sibi abyssum doloris adsc uerit, pari passu procedentium; amoris, i quam, & doloris orti non tantùm ex CHRI STI doloribus, sed multò magis ex eoru adiunctis: nempe secundùm magnitudine amoris in corde eius tribulationes CHRI STI contribulauerunt animam eius. An no

Luc. 2. illa, sicut dictum ei est: *Et tuam ipsius anima pertransibit gladius* doloris, ita dicere cu psalmista potuit ps. 123. *Torrentem pertransiu anima mea*; quin & *anima mea pertransiu*

aquas

tam *intolerabilem?* An non æquiùs, quàm
Hieremias non ex aspectu vastatæ, atque euersæ
Hierosolymæ, templi diruti, atque incensi,
sed ex aspectu vulnerati, crucifixi, mortui a-
mantissimi Dei sui, vsurpauerit illud Thren. 3.
Inundauerunt aquæ vsque ad animam meam?
An non aptiùs illi conueniat: *Ne vocetis me* *Ruth.* 1.
Noemi, sed vocate me Mara, (id est amaram)
quia amaritudine valdè repleuit me omnipo-
tens. Quanquam nec nomen MARIA à mari
abludit, vt iam tùm, cùm ei hoc nomen diui-
nitus imponeretur, futurarum amaritudinũ,
earúmque maximarum omen esset & præsa-
gium. Propheta Ieremias, cùm non inueniret
similitudinem, per quam has amaritudines &
dolores declararet, quam diu & multùm quæ-
sierat: *Cui comparabo te?* inquit, *vel cui assi-*
milabo te Filia Ierusalem? cui exæquabo te Vir-
go Filia Sion? Tandem ad mare recurrit: *Ma-*
gna, ait, est velut mare contritio tua. Vbi No-
ta, non dicere Prophetam, quòd Virgo intra-
uerit contritionis & afflictionis mare, in eo-
que fuerit mersa; sed, quòd contritio afflictióque
in illa sit magna velut mare, ita vt mare to-
tum intra se hauserit ac receperit.

Gen. 1. dixit Deus: *Congregentur aquæ, quæ*
sub cælo sunt, in locum vnum. Et factum est ita,
appellauitq; Deus congregationes aquarum
MARIA. Concinnè hæc ac venustè B. Virgini
conueniunt, in quam velut in vnum locum
Deus congregauit gratias omnes, quæ per

 homi-

homines sanctos vniuersos, imò & cœlo i
digenes Angelos sunt, erunt, & fuerunt spa
sæ; imò & his longè plures, vt hoc capite vid
mus. Quare rectè his congregationibus aqu
rum, seu potiùs gratiarum, & Dei donoru
nomen quoq; inditum est MARIA. Cæter
sicut gratiarũ atq; amoris in Deum, mare c
plectitur, & in se congregatum continet MA
RIA; ita & continet mare dolorum atq; am
ritudinum, quæ velut aquæ congregatæ etia
sunt partim ex rationibus ac motiuis cælest
bus, supernaturalibus, & diuinis, eæque in pa
tiente Deo considerate amaritudinem in im
mensum auxerunt; partim ex naturalibus &
humanis, affectu scilicet Virgineo, materno
in talem filium, sic tractatum; &, vt suprà dixi
neutræ sine dubio sustineri potuissent, ni
Virginem singulariter firmasset Deus. Qu
referre possumus illud ex eodem iam citat
Geneseos cap. *Dixit quoque Deus: Fiat firma*
mentum in medio aquarum, & diuidat aqua
ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitq;
aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ e-
rant super firmamentum. Atque ita firma-
mentum & eas aquas, quæ supra se erant,
sustentauit, ac sustinuit; & eas, quæ erant in-
frà, protexit ac fouit; vti etiamnum & illas
sustinet, & has protegit, fouétque. Pari ra-
tione Deus Virgineo in pectore robur ac fir-
mamentum suæ opis & gratiæ constituit,
per quod & amaritudinum aquas ex mo-
tiuis

tum supernaturalibus congestas sustineret, & in ijs quæ ex naturali Matris affectu oriebantur, succumberet, protegeretur ac foueretur.

§. 6.

Psalmus 92. ad ea quæ dicta sunt, accommodatur.

Iubet hîc ad amplificandam Deiparæ laudem, psalmum 92. eiusque explicationem saltem in sensu accommodatitio attexere, quod eo libentiùs facimus, quòd psalmus hic frequentissimè in Horis Canonicis ad Laudes, & alias recitetur, vt ex eo B. Virgini accommodato aliquis fortasse in eã pietatis affectus ac sensus in orantibus inter orandum excitetur. Videtur mihi Propheta initio huius psalmi, Deũ inducere, *velut* Regio schemate ac cultu ornatum, *Regium* quid ac magnificũ molientem, *& simul* firmum ac validũ, totâ ad id adhibitâ Regiâ potentiâ & viribus. *Dominus, inquit, regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* quasi sic se haberet Deus, quomodo solent Reges aut Imperatores, cũ iurisdictioné Imperatoriam exercere, vt, si Principẽ aliqué creare, aut quid simile, intendunt. Tũc enim talia assumũt, per quæ se regnare, Regesq; aut Imperatores esse demonstrent; nẽpe diadema capiti imponunt, purpurá & paludamẽto se vestiunt, manuũ altera pomũ aureũ, altera sceptrũ gestãt sublimi

in solio sedent: & hoc est regnare & decor induere. Additur autem; *indutus est Domin. fortitudinem, & præcinxit se.* Vt ostendatur, peri destinato non regiam tantùm authoritatem, sed etiam fortitudinem ac potentia adhiberi, & ad quod peragendum Deus ip ac Dominus se præcingat, vt sit expeditio Sed quorsum tandem hic tantus apparatu *Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* Tantiné moliminis fuit terram con dere ac firmare, cùm cæli ipsi non sint nisi *Ps. 8.* *opera digitorum Dei?* Per hanc terram intellig Beatissimam Virginem MARIAM. hæc enim *Is. 45.* est *terra* illa, quæ *germinauit Saluatorem*; hæc *Ps. 66.* est, cui *Dominus dedit benedictionem, & terra nostra dedit fructum suum.* Hanc Deus firmauit, & non commota est, neque commouebitur, vel vt dicitur ps. 103. *Fundata est terra hæc super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi.* Quia in centro vniuersi, hoc est, in Deo suo, velut in suo stabilimento, firmamento, & centro firmiter requiescit, à quo nunquam dimoueri, ac nè inclinari quidem vnquam potuit vlla inferorum vi, vllo vel originali, vel actuali peccato. Sed non sola huic terræ firmitas est; maius aliquid Regio illo apparatu molitus es Domine: *Parata sedes tua ex tunc: à sæculo tu es.* Mira res! Nonne tu, *Is. 66. &c* Domine, olim dixisti; *Cælum mihi sedes est?* quomodo ergo nunc terram, tanquam sedem tuam paratam habes? An cælum deserere vis,

& ad

in terram hanc, vt ad paratam sedem tuam
[illegible] ac descendere? Ita omnino res
est. Decreuisti enim *propter nos homines &*
propter nostram salutem descendere de cælis,
[illegible] aliò quàm in hãc terrã. An fortasse etiã
[illegible] hæc simul terræ cæliq; vices obit, vt &
firmitate ac stabilitate sit terra, nunquam à
centro mota aut mobilis, & splendore orna-
tisque cælum? Et hoc quoque sic se habet.
Pulchra enim *est vt luna, electa vt sol, terribilis*
vt castrorum acies ordinata. Cant. 6. siue vt
pulcherrimus ille siderũ chorus, qui nomine
militiæ cæli sæpe in S. Scriptura indigitatur,
estque sui aspectu simul iucundissimus, simul
velut acies ordinata terribilis. imò *formosa est*
sicut tota *Ierusalem* cælestis. Nimirum ita à te
parata est sedes *tua, ita*, inquam, *vt dignum Dei*
habitaculum siue sedes *effici mereretur, Spiri-*
tu Sancto cooperante, præparata; & quidem
sicut à sæculo tu es, sic *ex tunc parata est*, vt de
se ipsa dicit: *Dominus possedit me in initio via-* Prou. 8.
rum suarum, antequam quidquam faceret à
principio; ab æterno ordinata sum; ab initio &
ante sæcula creata sum. Sed quomodo, mi
Deus, hæc tua sedes parata est? *Eleuauerunt*
flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem
suam: eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus
aquarum multarum. Mirabiles elationes ma-
ris. Quando hic orbis terræ, quem nunc in-
habitamus, primùm creatus fuit, totum illum

aquæ aperiebant, & ita quidem, vt ad cælum vsque Empyrium immensa aquarum vastitas quidquid intermedij est spatij, occuparet, magnóque tunc motu ac fremitu inundatio aquarũ eleuabãtur super terram, & vt Genesi dicitur; *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Mirabiles certè hæ elationes maris, mirabiles aquarum inundationes; sed mirabiliores MARIAE, quæ terram hanc benedictã vsque ad cælum operiebant atque obruebant; eæq; duplices: alteræ, diuinæ gratiæ abũdantissimæ, & auxiliorũ diuinorum, quibus interna sanctitas & charitas multiplicabatur, eleuabatur, & excrescebat in infinitũ. Non enim guttatim, & per modum *pluuiæ voluntariæ*, quam *segregauit Deus hæreditati suæ*, & alijs Sanctis cõmunicauit, Dei gratia in eam effundebatur; sed maximorum fluminum instar ingẽti cum vndarum mole impetu, strepitúque ruentium. Nam *fluminis impetus lætificat* hanc *ciuitatem Dei*; hanc sedem à sæculo paratam, & *sanctificat* hoc sibi *tabernaculum suum Altissimus.* Et quid dico, flumina? Non hæc solùm *eleuauerunt fluctus suos*, & *eleuauerunt vocem suam* ac sonitum, qui magni impetus inundationisque index est; sed & gratiæ charitatisque MARIA; ea enim sibi postulabat MARIA, quorum mirabiles erant elationes. Nam maria super maria in sublime sese efferebant, vnúmque, sed immensum mare innumera maria, alia alijs addita faciebant.

Ps. 67.

Ps. 45.

O ve-

O verè *mirabiles elationes* huius *maris*, hu-[illegible] *MARIAE*! vt existimem, si guttæ & singulæ, & simul vniuersæ, quæ erant in illis aquis, quæ primo creationis mundi die, terræ globum ad cælum vsque Empyrium operiebant, numerarentur, ac percenserentur, longè futuras pauciores, quàm fuerint & sunt gradus & incrementa gratiæ in MARIA.

Alteræ aquæ in Mariano mari erant aquæ tribulationis & afflictionis internæ, in passione & morte Filij sui, quibus itidem tota hæc terra amiciebatur & operiebatur. Nempe quod ait psalmista ps. 103. *Abyssus* (doloris) *amictus eius, super montes stabunt aquæ. Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos*. ps. 106. plus quàm decumanos & immanes *doloris fluctus* voluentes. Et quomodo *tolerari potuerunt*? Declarat hoc Psalmista *ps. illo 103*. Nam priùs quàm diceret. *Abyssus amictus eius*, præmisit: *Fundasti terram super stabilitatem suam; non inclinabitur*. Atque vt sciremus, quo die id contigerit, ostendit eum diem titulus psalmi 92. (quem nunc explicamus) qui est: *Laus cantici ipsi David, in die ante sabbathum* (hoc est feria 6. cùm passus est CHRISTVS) *quando fundata est terra & firmata*. Et hoc est, quòd eodem hoc psalm. 92. inducitur Dominus regnans non tantùm *indutus decorem*; sed

etiam *indutus fortitudinem*, & *præcinct*[…] vt terram sedem suam, suum tabernacul[…] & habitaculum MARIAM, non solùm dec[…] ram faceret, & gratiâ plenam, maris instar aquarum, super quas *ferretur spiritus*, aut p[…] tiùs *superueniret Spiritus Sanctus*; verùm e[…] *fundaret super stabilitatem suam*, fortitudi[…] & robore ad dolores omnes, maris insta[…] exæstuantes sustinendos obarmaret ac co[…] firmaret.

O quàm *mirabilis es in altis Domine!* Dice[…] ris mirabilis in terra, mirabilior in mari; sed i[…] MARIA, in qua terra & mare conueniun[…] plùs quàm mirabilis & mirabilior es. Et qui hæc tam magna, & mirabilia de hac terra, qu[…] sedes tua est, credere, quis animo conciper[…] posset? Sed enim quod in psalmo sequitur *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Satis nobis est, quòd sit Mater Dei, quod nobi[…] testatissimum & *credibile nimis* testimoni[…] tuo esse voluisti, quòd sit sedes & domus tua ex hoc vno omnia, quæ ad sanctitudinem eius pertinent, de ea nobis persuadebimus. Nã *Domum tuam decet sanctitudo.* Quòd si olim Salomon, vt domum sanctam tibi ædificaret, in qua non tam habitares (*qui in manufactis non habitas*) quàm aliquid gloriæ tuæ ostenderes, tantas & tam incredibiles impensas fecit; quæ tria millia millionum aureorum attingerent, idque ideo; *Non enim*, inquit Dauid, *homini præparatur habitatio, sed Deo.* quid

Act.7.

1. *Para-lip.29.*

...censendum nobis de te est, qui *plùs quã* Matt. 12.
...*es*, quique & quid te deceat, magis
...s, & quod intelligis, potes, & tanquã
...vis, quam vt *Virginalem aulam*, *in*
...*tates*, *eligere dignatus es*. Decet sanè,
...llam *sanctitudo*, quæ à primo creatio-
...stanti, & à die quando fundari est hæc
...cæpta, cresceret semper ingentibus in-
...entis *in longitudinem dierum*, quot nem-
...dies intra se continent septuaginta duo vi-
...anni.

CAPVT V.

Amor ex diuturna cum Filio familiaritate, & hinc dolor.

§. I.

Deiparæ cum Filio Deo conuersatio longa, continua, amabilis, sancta.

Inter præcipua quæ B. Virginis eximiam præ omnibus alijs puris creaturis felicitatem ostendunt & exaggerant, est tam longa, tam continua, tam suauis & amabilis, tam sancta conuersatio & amicitia cum Filio Dei. Longa fuit, per totam videlicet Filij vitam, & per omnes eius ætatis gradus, ad ipsam vsque mortem. Continua; nam, vt ait S. Bern. tom. 2. in ser. de B. V. MARIA: *Virgo sanctissima, quæ Saluatorem genuit & aluit, quæ iugiter eius*

 lateri

lateri adhæsit. quæ comes indiuidua nullo rè abfuit itinere, &c. Vnde S. Epiphanius h mil. 78. eam vocat *perpetuam assectatricem SV, cum ipso semper existentem.* & S. Aug. ho de Assumpt. *Absque dubio omni opere mi stratrix extitit, quæ hunc in vtero gessit, p túque profusum aluit & fouit, in præsepio r clinauit, & à facie Herodis in Aegyptum f giens abscondit, & omnem infantiam eius, m tris affectu ita prosecuta est, vt ad vsque cr cem, in qua filium iam virum perfectum vi pendentem, ab eius indubitanter ministe non recesserit; consecuta non solùm gressib pedum, tanquam pro amore filij, verùm etia imitatione morum, tanquam pro reuerenti Dei.* Et certè si vitam CHRISTI animo re colamus, inueniemus B. Virginem continen ter & assiduè cum eo fuisse. Nam de pueriti & reliquo tempore vsque ad annum trigesi mum, quo cœpit CHRISTVS prædicare, nul lum est dubium. De tempore prædicationi etiam colligitur tum ex Euangelijs, tum ex i allatis, alijsque Sanctorum Patrum senten tijs. Fuit item conuersatio illa suauis atque amabilis, inter personas coniunctissimas ma tris & filij, inter quas non modò sanguinis summa esset necessitudo, qualis inter nul las alias dari potest; sed etiam iudiciorum voluntatúmque conspiratio; & præterea sum ma rerum facultatum, imò & obsequiorum mutua communicatio. Et quid suauius, quid amabi-

amabilius fingi queat, quàm cum Dei filio, humanitate induto, amicè agere,& conuersari? in quo quidquid ad beatam & amabilem conuersationem desideres, infinitè suppetit,& nihil prorsus est, quod eam minùs amabilem reddat? *Non habet*, inquit Sapiens *Sap. 8.* *amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Fuit denique Sancta inter personas, omnium, quæ sunt, fuerunt & erunt sanctissimas, de rebus sanctissimis inter se agentes. Porrò hæc familiaritas & conuersatio, si eius originem & progressum spectemus, & orta ex mutuo amore est, & eum plurimum auxit; & maximorum in Virgine bonorum origo fuit.

§. 2.

Familiaritas Deiparæ cum Filio ex syncero amore orta Ionathæ & Dauidis exemplo declaratur.

Orta, *vt dixi*. hæc familiaritas est ex amore, eoque non imperfecto, siue concupiscentiæ, quâ sibi tantùm quis bonum vult & quærit, sed perfectissimæ, verissimæ & synceriſsimæ amicitiæ ac beneuolentiæ, quâ amicorũ alter alteri non minùs quàm sibi fauet,& bene vult. Hic amor amantes vehementer impellit, vt cupiant simul esse; nihilque magis horret, quã mutuam disiunctionem; imò, si fieri potest, cupit ex duobus vnum fieri. Sic enim loquitur Aristoteles ex Aristophane 2. polit. 2.

Aman-

Amantes ex ambobus desiderant fieri vnu; sed, quia hoc fieri nequit, quærunt simul esse, conuersari. Habemus huius rei luculenti exemplum 1. Reg. 18. vbi Ionathas describit concepisse ingentem amorem erga Dauide. *Anima Ionathæ*, inquit sacer textus, *conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionath quasi animam suam.* Et statim subditur. *Tulit eum Saul in die illa, & non concessit, vt reuerteretur in domum patris sui.* Hoc, sine dubi vt etiam animaduertit Salianus, adnitente Ionathâ, factum est, vt Saul Dauidi non conce deret reditum ad patriam & parentes, sed e apud se, & inter suos retineret: quia videlice Ionathas tanto in eum amore accensus, care re eius præsentiâ & familiaritate non pote rat; quin imò, vt securior esset constantis per petuęque amicitię ac societatis, eâ inito fœ dere stabiliuit. Quare sequitur: *Inierunt auten Dauid & Ionathas fœdus: diligebat enim eun quasi animam suam.* Idque, vt vult Abulens. seruatis solemnibus & vsitatis cæremonijs, quod fœdus semel iterúmque renouauit, vt patet ex c. 20. & 23. lib. 1. reg. & quidem cum deieratione, non quòd Dauidi Ionathas diffideret; sed fecit id ex amore, magis magisque se illi adstringere volens, nè quo modo ab eo separari posset. Vnde causa illa identidem repetitur, *eò quòd diligeret eum; sicut enim animam suam diligebat eum.* Ex quo patet quàm proprium amori sit, cum amico consociari, & coniun-

coniungi; quàm aduersum ab eo disiungi. Sed illud magis consideratione admirationéque est dignum, quòd Ionathas etiam *tunicâ suâ expoliauit se, qua erat indutus, & dedit eam Dauidi, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium & arcum suum.* Nimirum significare voluit, se non modò cum Dauide semper esse velle, sed etiam in eum transire quomodo posset, saltem per vestimenta sua, vt cùm Dauidem illis vestitum videret, se quodammodo in illo cerneret. Nam, vt ait S. Dionysius de diuin. nomin. *amans magis est vbi amat, quàm vbi animat.*

Facile ex his est intelligere, quid amor inter B. Virginem & CHRISTVM effecerit, qui tantum in Ionatha & Dauide potuit, cùm nulla vtriusque sit comparatio, tantúmque *hic ab illo superatus* sit, quantò qui se amabãt amabiliores, & sanguinis, virtutis, rerúmque *omnium necessitudine* coniunctiores essent, séque magis nossent. Multò sanè aptiùs dici de B. Virgine potest: *Anima MARIAE conglutinata est animæ IESV, & dilexit eum* non tantùm *quasi animam suam*, sed plùs quàm animam suam. Multò illa meliùs suo IESV, & Deo suo dicere, quàm David: *Adhæsit anima mea post te: Mihi autem adhærere Deo bonum est;* aut, quàm Sponsa: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius: Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam;* aut Apostolus ille. *Qui me separabit à charitate*, imò & à familiaritate

Ps. 26.
Ps. 72.
Cant. 7.
Cant. 3.
Rom. 8.

haritate & consortio IESV. Neque verò fuit inter hos amantes pactum & foedus, c se Virgo totam filio Deo consecrarit, & v Virginitatis prima obstrinxerit, *vt nullum p ter eum amatorem admitteret*, & filius h ipso quòd eam sibi ipse elegerit in matre ad eam amandum se quoque obligauit. quid opus est inter matrem & filium ali foedus quærere, quos natura ipsa fœder uit? quid inter castissimam sponsam, & p rissimum sponsum? inter dulcissimum patre & charissimam filiam? hos qui disiungere v lit, lumen à sole, ab igne calorem faciliùs di iungat. Illud verò, quòd Ionathas Dauidē su vestimentis ornarit, dederitq; ei insuper ar & gladium, quā rectè in hos amantes quadra Vestē enim Virgo filio, non tantū qua coop riebatur, sed quā cōstabat, dedit, nēpe sangu nē suum, ex quo incarnatus & humanatus e Deus. Vestem vicissim filius dedit Matri, *vt a*
44. *Ps.* *sisteret ei à dextris Regina in vestitu deaurat circumdata varietate*: Pulchrè ad hoc propo situm loquitur S. Bernardus in serm. Signum magnum, B. V. sic alloquens. *Quàm familiari ei facta es: quàm proxima: imò quā intima fieri meruisti: quantā inuenisti gratiam apud Deū: I te manet, & tu in eo: vestis eū, & vestiris ab eo vestis eum substantia carnis, & vestit ille te glo ria sua Maiestatis: vestis solem nube, & sole ipsa vestiris*: Dedit & alter alteri arcum & sagittas Nam & Virgo suauissimas amoris sagittas

in co

in cor filij alias super alias iecit, vt posset illud Canticorum vsurpare: *Vulnerasti cor* Cant. 4.
meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum:
& easdem filius Matri reddidit, quibus cor eius vicissim ita icit, vt ardentissimè & eum diligeret, & ab ea diligeretur. Nam si S. Theresia igneo amoris iaculo est transfixa, si S. August. de se fatetur: *Sagittaueras, tu Domine, cor nostrum charitate tua*; imò, si *sagittæ* Ps. 44.
CHRISTI fuerunt *acutæ etiam in corda inimicorum Regis*, vt ea charitate vulneraret & sibi subijceret; quàm fuerint acutæ, quàm ardentes in cor Matris, personæ sibi amicissimæ, vt diceret: *Dicite dilecto meo,* Cant. 2.
quia amore eius langueo. Meritò ergo S. Bern. serm. 29. in cant. *Sagitta*, inquit, *electa est amor CHRISTI quæ MARIAE animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore Virginali particulam amore vacuam relinqueret; sed toto corde, tota anima, tota virtute, diligeret, & esset gratia plena.*
Denique gladium cum baltheo quoque hi amantes sibi communicarunt, non minùs quàm Ionathas Dauidi, cùm casus sæpe acerbos atque asperos, & multarum ærumnarum aduersitatumque velut gladiorum ictus ac punctiones indiuiduâ societate, velut baltheo colligati, pertulerunt; vt cùm ad necē à Tyrāno quæreretur filius, & capiēda in AEgyptum esset fuga &c. qui tamen gladij & eorum ictus, Gordium inter hos amantes nodū
non

non disciderunt, amorem non hebetarunt, sed acuerunt magis.

§. 3.

Quàm difficilis amantibus, adeóque B. Virg. à Filio disiunctio.

Iam ergo, vt ad scopum propositæ similitudinis atque exempli redeamus, si amor Ionatham inter & Dauidem eum fecit nexum, vt nihil magis quàm eius solutionem primò metuerent, ac deinde etiam nihil dolerent magis; vt patet ex c. 20. l. 1. Regum, vbi cùm ob persecutionem Saulis in Dauidem, separandi essent, *osculantes se alterutrum, fleuerunt pariter*; adeóque hanc separationem sensit Ionathas, vt eius impatiens, per nemora & siluas Dauidem quæreret; &, quem Saulis furor dimissis circumquaque exploratoribus, cum exercitu inuenire non poterat, vnius Ionathæ amor inueniret: quid cogitandum nobis erit de Deipara, quid animi, quid sensûs illi fuerit Filium amantissimum, cum quo vitam familiarissimè suauissiméque transegerit, nō quomodocunque ab se abiungi, sed morte crude-
1. Reg. 15. lissima in suo conspectu tolli? *Quomodo separat amara mors?* Hoc vnicum quidem, non tamen leue Ionathâ & Saulis solatium in illa tanta totius Israelitici populi clade, quæ describitur 1. Reg. 31. in Regiæ familiæ occasu ac pæne internecione inuenit Dauid, quòd nec filio

[illegible] pater, nec patri filius superstes remansere, sed eiusdem mortis societate potiti, alter [illegible] altero non esset. *Saul & Ionathas*, inquit [illegible] cap. 1. *amabiles & decori in vita sua, in* [illegible] *quoque non sunt diuisi.* Qua de re sic loquitur S. Chrysostomus. *Quòd autem neque in* [illegible] *te separati sunt, id solatium doloris est. Iam* [illegible], inquit, *non potest dici, quòd filius orphanū* [illegible] *lugeat, neque quod pater orbitatem suam* [illegible] *ploret; verùm quod nullis obtigit, illis conti-* [illegible] *videlicet vno eodemq́ue die è viuis eripi, neu-* [illegible] *alteri superstite; existimabat enim vitam* [illegible] *dam fore, si alter ab altero fuisset diuul-* [illegible]. At enim diuulsa à filio dilectißimo, con-[illegible]ctißimo, familiarißimo IESV fuit Mater MARIA; & diuulsa morte amarißimâ, orbáque filio relicta. Quid igitur illi superstiti in ea orbitate remanet solatij? imò quid non doloris manet, quid non lachrymarum? vt poßit illud ex Canticis ei congruenter accommodari: *Pulchra sunt gena tua* (tanto scilicet lachrymarum profluuio lotæ) *sicut turturis*, iam viduæ & orbæ, dilectum suum & comparē cū gemitu requirētis, nec in vllo viridi ramo cōsidentis, nullū videlicet solatiū, nullū mœrori leuamen admittentis. Quid. n. mors solatij relinquat ablatâ dilecti vitâ, vitâ propriâ chariore, & à qua vita Deiparæ depēdebat; imò qui eius vita erat? quid restabat, nisi vt sine vita viueret, si viueret; adeóque viueret sicut sine vita, ita sine vitæ vllo solatio; & si sine vita viue-

viueret, morte viueret, adeóque viueret c
omni amaritudine, quæ in morte est? Et q
dico & quæro an mors aliquid solatij re
quere posit, cùm vel sola absentia tametsi
uentis, eius quẽ intimè diligas, cùm quo d
cissimè egeris, intoleranda esse soleat? Ce
(vt nihil præterea de acerbissima disiunct
ne Ionathæ à Dauide, cuius suprà mention
feci, dicã.) Tobiæ mater Anna, misso pere
filio, ex causa necessaria, cũ fidelissimo cor
te, absentiam eius ferre non poterat, nullis
uitijs, nullâ opulentiâ compensandam, sed
dixit; *Sufficiebat nobis paupertas nostra, vt*
uitias computaremus hoc, quòd videbamus fi
nostrũ; cœpitq́; vt habetur c. 10. *contristari*
mis, & flebat irremediabilibus lachrymis, a
dicebat: Heu heu me fili mi, vt quid te misim
peregrinari lumen oculorum nostrorum, bac
lum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ &
Omnia simul in te vno habentes, te non deba
mus dimittere ire à nobis. Cumque eam sola
vellet vir eius, *illa nullo modo consolari pot*
erat, sed quotidie (eo carere non sustinens) *ex*
liens circumspiciebat, & circuibat vias omne
per quas spes remeandi videbatur, vt procul v
deret eum, si fieri posset, venientem. Quanta hi
affectuum in materno pectore congeries? Cõ
para iam hanc matrem cum illa matre, hun
cum illo filio, modum vtriusque absenti
disquire, & discute, causas causis oppone,
apud te statue, quantarum origo lachryma
rum

... doloris esse debuit in amantiore ... amantioris & amabilioris filij acerbio... ...sione. Sponsa in Canticis quàm a... ...fert, quoties abest à Sponso. *Circuit ci-* Cant. 3.
...per vias & plateas. Eum *quærit*, ob... ...rene quosque, & *vigiles qui custodiunt* ... interrogat: *Num quem diligit ani-* *...ea vidistis?* Nihil de reliquo sollicita, hoc ... sibi indicari postulat, *vbi pascat, vbi iu-* *...in meridie.* Hoc enim si sciat, non diu eius ...entia est caritura, sed confestim ad eum ...tura. En quàm difficile est, non esse cũ ...em diligas, quàm acerbum ab eo sepa... ... quid multis opus est? illa ipsa SS. Vir-... & Mater, cùm aliquando Filium amisisset, & ... in templo inter Doctores dispu-...tem reperisset; *ipsa* tunc dolorem amissi filij sui testata est: *Fili quid fecisti nobis sic? Pa-* Luc. 2.
ter tuus & ego dolentes quærebamus te. Viuum dolens amittebat, & luctuosissimè mortuum ... lugubriter & amare doleret.

... hæc quidem, quæ hactenus disserui... ... potissimùm ostendunt, suauem cõ-...nem ac familiaritatem amicorũ inter se, quæ ex amore oritur, difficillimè atque æ-...rimè abrumpi; præsertim si eum nõ neces-...tas aliqua, aut subitò exortus casus, sine ta-... vitæ dispendio ac periculo; sed mors ipsa ...umpat. Iam verò, si non tantùm illa oriatur ... amore, sed ex illa vicissim oriatur a-..., aut certè nimium quantum augeatur;

&, si

&c, si præterea plurimorum eorúmque p
stantissimorum atque honestissimorũ bon
causa sit ac radix: quanti tandem doloris
eam intercidi ac tolli? quàm intolerabile
cum quo dulcissimè semper vixeris, & q
diutiùs vixeris, eo maiore ex eius consue
dine in eum amore exarseris; dirâ atque at
ci morte tibi eripi?

§. 4.

Difficiliorem disiunctionem reddebat ipsa co uersationis ratio, Virgini amoris & omi um bonorum fons, & qualis ea fuerit qu colloquia.

Quænam igitur, inquies, & qualis fuit D paræ cum filio IESV conuersatio, quanti moris bonorúmque origo? S. Anselm. lib. excell. Virg. *Ex amore*, ait, *quo se amant bo filius & bona mater, aliquatenus tentemus, quo modo coniectare valeamus amorem hu bona matris erga verè bonum & vnicum filiu suum, & istius boni filij, erga verè bonam dulcissimam Matrem suàm.* Nimirum analog aliquam, sed valde imperfectam iuxta S. A selmum hinc desumere possumus ad e plicandum vel rudîter qualisnam inter V ginem Matrem & Filium intercesserit consu tudo, quis amor, ita vt, sicut bona mater cu bono filio agens, eiusque aspectu, & alloqui imò & obsequio fruens, magis ac magis m

terr

...o & tenero affectu in eum inardescit;
...a agens cum Filio Deo; si tamen di-
...mus *sic*, vbi nulla est paritas, nulla
...tio. Stupenda prorsus res, & omni
...bilitate maior, puram creaturam eò
...re, vt cum Deo quotidie & semper tã
...ariter agat, vt mater cum filio, eius a-
...u & colloquio, conuictu, consortio, inti-
...â & perpetuâ consuetudine fruatur, eius
...num & sermonum sit conscia & arbitra.
...is nobis diceret, qui *fuerint hi sermo-* Luc. 24.
...es conferebant ad inuicem, quæ & qua-
...m sancta, quàm beata hæ duæ sanctis-
...ę animę inter se miscuerint colloquia, qui-
bus veluti flabris immensum & inter illas &
in Deum excitabatur incendium, quod matrẽ
liquefaciebat, & in Deum filium quodammo-
do transfundebat? *Qui enim adhæret Deo vnus spi-* 1. Cor. 6.
ritus efficitur cum illo; &, vt ait Sponsa. *Anima* Cant. 5.
mea liquefacta est, vt dilectus meus locutus est.
Duo illi discipuli, desertis alijs CHRISTI as-
seclis atque Apostolis, euntes in Emmaus, à
CHRISTO increpiti, vt *stulti & tardi corde*, Luc. 24.
de tamen ipsi affirmant: *Nonne cor nostrum
ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in
via?* Maria Magdalena, *quæ erat in ciuitate pec-* Luc. 7.
catrix, vnâ CHRISTI concione auditâ, facta
subitò est maxima eius amatrix, & CHRI-
STO ipso attestante, *dilexit multùm:* neque
inde vnquam auelli à pedibus, & ab au-
diendo verbo eius potuit, quod semel experta

erat, quantas ad inflammandum cœlesti ig
pectus vires haberet. S. Petrus abesse se, alio
que Apostolos à CHRISTO, atque ab eius so
cietate separari posse negat. cur? *Domine*, i
quit, *ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ hab*
Io. 6. Ministri illi *missi à Principibus & Phar*
sæis, vt apprehenderent IESVM, eo audito, n
modo nefariam voluntatem nocēdi deposu
runt, sed in alios mutati, dixerunt ijs, à quib
missi erant: *Nunquam sic locutus est homo, sic*
hic homo. Io. 7. Quid iam turbas commemor
quanto hæ cum sensu, & animorum motu a
ore CHRISTI pendebant, eum per plana, a
ardua, per vrbes & oppida, per deserta & in
uia sequentes, cibi potionisque oblitę; imò a
eum tantâ auiditate audiendi ruentes, vt
scaphâ ac mare se recipere cogeretur? Tan
vim habuit ad permouendos animos CHRI
STI vox vel semel audita, in Apostolis, profu
gis discipulis, peccatoribus, hostibus, turbis
Quid igitur in innocentissima, sanctissima
prudentissima, doctrinæ & institutionis, San
cti affectûs & amoris capacissima, aptissimáq
Matre non semel, aut bis, aut ter; imò non v
no, duobus tribúsve annis; sed per omnes an
nos, totámque vitæ seriem continenter aur
fideli excepta, in imum pectus atque animum
Lu. c. 2. demissa ac recondita? MARIA *enim cõseruaba*
omnia verba hæc conferens ea in corde suo. O
Lu. c. 11. quàm meritò, *loquente* aliquando *IESV ad tur*
bas, voce magna exclamauit mulier illa: *Beatu*
venter

uenter qui te portauit, & vbera quæ suxisti! Vnus CHRISTI sermo à muliere hac auditus, tantopere illam cōmouit, vt se continere non posset, quin in confertissima turba vocem extolleret, & exclamans, ventrem illum beatum prædicaret, qui hanc animorum expugnatricem, dominatricémque suauiloquētiam protulisset, vbera, quæ aluissent. Quid si verò non parentem tātùm, & altricem, sed assiduam ac constantem auditricem, hoc est, eius beatitatis, quam mulier illa semel degustatam tanti fecit, semper compotem, & quidem magis ac meliùs compotem, quàm aliam creaturarum vllam, sciuisset? Certè CHRISTVS ipse magni quoque hāc beatitatem fēcit, vt diceret: *Quin imò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

§. 5.

Dictū S. Bernardi de his colloquijs expenditur.

Obseruat autem S. Bern. t. 2. in serm. de B. V. aliquid, quod ad cumulum beatitatis SS. Virginis ex colloquijs cum CHRISTO institutis addi possit. Sic enim ait: *Licèt CHRISTVS in parabolis loqueretur ad turbas; licèt omnia Apostolis nota faceret vt amicis; quadam tamen credendum est præ cæteris Matrem suam, quemadmodū dilexisse, ita etiā propēsius erudijsse, quædam ei secretiùs intimasse; frequēter eam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris sublimasse, in cellā vinariā occultasse; sui, prout*

 nouit,

nouit, & voluit, gloriam Deificam, & supercælestem reuelasse notitiam. Tria his verbis insinuat S. Doctor. Primum: modum CHRISTI cum B. Virgine loquendi, & eam in rebus diuinis instituendi, non fuisse similem modo quo cum alijs hominibus agebat. Non enim illi loquebatur in parabolis, vt loquebatur ad turbas, & sæpe etiam ad Apostolos; sed patenter & clarè, nullo sermoni prætento velo & omni obscuritate sublatâ. Imò ex verbis S. Bernardi occasio sumi potest suspicandi, modum colloquendi & sua sensa patefaciendi inter diuinissimas illas animas fuisse sæpe au ordinariè Angelico persimilem, vt, tacente etiam ore, aut etiam sopitis somno sensibus intelligentissimè simul & iucundissimè sermocinarentur, déque rebus diuinis ac sublimissimis Mater à Filio doceretur. Dicit enim ei CHRISTVM *sui, prout nouit, & voluit, notitiam supercælestem reuelasse.* Atqui CHRISTVM nouisse modum sic internè, & Angelicè loquendi, siue *notitiam*, vt verbis S. Bernardi vtar, *reuelandi*, quis dubitet? voluisse eo cũ Matre vti, coniectura valde probabilis est; quòd eodem cum quibusdam Sanctis vsus subinde est. Alterũ, quod ex verbis S. Bernardi colligimus, est; multa arcana, & recondita, & valde excellentia, ac sublimia illi declarasse ac patefecisse, quæ nec Apostolis, nec vlli aliorum Sanctorum commiserit, ita vt & *gloriam deificam, & supercælestem notitiam ei reue-*

reuelarit. Quod si Apostolis, ex eo, quòd amici essent, omnia nota fecit, vt ait Io. 15. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus non scit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quidni igitur multò magis matri? Quare verisimile est; didicisse Virginem iam tum à Filio suo futuræ Ecclesiæ statum, eiúsque per omnes ætates incrementa & decrementa; omnium Religiosorum ordinum initia & progressus; imò & particularium personarum vocationes; & fortasse adhuc in viuis positæ, & cum Filio agenti, omnes in Ecclesia militante saluandi homines, & eorum vitæ series, & plurimi etiam damnandi, sunt ostensi, pro quibus illa etiam tum, atque adeo pro me, & pro te, qui hæc legis, orauit; quandoquidem generis humani Aduocata est constituta. Certè si Alphonsus Rodriquez è Societate nostra, vt dixi c. 2. adhuc in hac mortalitate, intra breue tempus, omnium & singulorum Angelorum & Sanctorum, qui tunc erant in Ecclesia triūphante, tam claram à Deo notitiam accepit, ac si diu cum singulis conuersatus fuisset; quid vetet credere, B. Virgini omnes homines in Ecclesia militāte pariter fuisse manifestatos, pro quibus ex officio communis Aduocatæ oraret? Longè enim illi plus, quàm alijs Sanctis est tribuendum. Ob quam causam Suarez tom. 2. in 3. p. d. 18. s. 4. docet, B. Virginem nunc in coelo videre in Verbo, quidquid Deus

nouit scientiâ visionis, exceptis ijs, quæ a CHRISTVM singulariter pertinent. Tertiũ quod S. Bernardus sententia suprà allatâ insinuat, est, quòd Dei mater ex conuersation cum Filio excellẽtissimos in illum Deũ suum affectus senserit. Hoc enim indicant verba illa, CHRISTVM *eam frequenter ad montem myrrhæ, & ad collem thuris sublimasse, in cellam vinariam occultasse, &c.* Quod etiam insinuat S. Anselmus c. 4. de excell. Virginis, nẽpe plurimùm ad eius perfectionem contulisse præsentiã Filij, *ad quem amandum, non tantùm gratia, sed etiam naturæ impetu ferebatur.*

§. 6.

Qualis, & quàm beata conuersatio B. Virginis cum CHRISTO *quoad actiones; siue quàm felix fuerit ex eo, quod sic cum illo egerit?*

Neque verò in hac præsentiâ, & conuersatione cũ Filio, ad profectum & maiorẽ amorem Virginis, spectãda sunt sola verba, & mutua colloquia, de quibus hactenus diximus; sed aliæ etiam actiones. Quantùm enim putamus profecisse, & in amore creuisse, Dei Hominis exemplo (qui priùs *cœpit facere, quàm docere*) Dei Matrem, quod die ac nocte in cõspectu habuit, in quo tot virtutũ tam insignes actus continenter intuebatur, & agnoscebat? Et, vt alios taceam, puta; humilitatis, patiẽtiæ, paupertatis, charitatis &c. quid illud, quòd

Act. 1.

erat

erat subditus illi? quantùm illā & afficiebat, & iuuabat? Afficiebat, inquam, quando mutuis officijs inter se certabant Mater & Filius: illa quidquid curæ & maternæ prouidētiæ, quidquid gratissimorū obsequiorum excogitare posset, Filio Deo, summa charitate impendēs, *in habitatione sancta* (verè sancta) *corā illo ministrans*; hic se illi in omnibus, & ad omnes nutus subdens, & Patris AEterni voluntate, & naturæ lege, quippe filius Matri. Iuuabat autem illam nimiopere hæc CHRISTI subiectio ad omnes gratias & dona sibi, alijsque obtinenda; cumque, vt superiore capite dictū est, immēsa cupiditate teneretur, magis magisque amandi Deum; *ignis* enim *ille nunquā dicit, sufficit*; idq; se consequi posse à Filio, qui ipse Deus erat, videret, quid illa *impetrare* nō posset, quæ illi, à quo id peteret, poterat *imperare*? Dixerit aliquando Filius ille illi Matri: *Naturæ lex est*, & voluntas Patris æterni, vt ego filius tuus, tibi subditus sim, & imperata faciam. Impera ergo, & quid velis, aperi. At illa: Vt te Deum meum, Fili mi, ô infinita bonitas & charitas, quàm maximè amem, vt omnes simul creaturas amando superem, vt semper in amore quā maximis augmētis crescam. Quāta ex hoc fonte amoris exuberātia, cū amoris immēsitate immēsitas desiderij plus & plùs amandi & aleretur, & augeretur, & desiderij immēsitas, vt quod expetebat, assequeretur, Deū, qui omnia potest, nō tantū ad dandum

Luc. 2.

Eccl. 24.

Prou. 30.

dandum paratum haberet ac promptum, E etiam subditum, à quo votorum summa sim & precibus, & quodammodo iure ac domi nio obtinebatur? Iam cùm quodlibet op CHRISTI filij sui sciret esse infiniti meri non hoc solùm Patri æterno offerebat, sed pud Filium suum sibi subditum instabat, idem ipse faceret, infinitè ille gratus, adeó que ex illius voluntate, & quasi imperio, a ctus prodibat Deo dignus, Deo infinitè gra tus, ad omnem impetrationem sufficiens. E posset Deus aliquid negare his duabus ani mabus? O res stupenda! neque enim hin queo mentem cogitationémque abducere: is qui Deus est, erat subditus illi. Plus iam de te ô SS. Virgo, ô beatissima Creatura, quodam modo dici potest, quàm dixerit S. Anselmus, cùm ait: *Nihil tibi, ô Virgo, est æquale; omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te est. Quod supra te est, solus Deus est; quod infra te est, omne est, quod Deus non est.* Imò verò, ô S. Anselme, Deus subditus illi est. Deum immortalem! quãti tandem hanc suam Creaturam Altissimus fecit, vt humanâ naturâ indutus, totam mortalis vitæ periodum cum ea conuersando absoluerit, & quidem illi subditus? Beatam se existimabat Regina Saba, quòd Salomonis præsentiâ, aspectu, alloquio frui posset, eius sapientiâ erudiri, eius mores atque instituta obseruare, ac discere, vt sibi summa votorum attigisse videretur. At quan-

quantò *beatiores oculi MARIAE, qui viderunt* Matt. 13. *quæ illa vidit, & aures quæ audiuerunt ea, quæ illa audiuit*, quam *plus quàm Salomon* suâ Matt. 12. illustrauit sapientiâ, suis moribus vitæq; institutis formauit, mentē pulcherrimis affectib⁹ virtutibúsque exornauit, maximis donis & charismatib⁹ exaggerauit? Illa ad Regē, eúmque alienum adijt; hæc filium, eúmque sibi subditum apud se habuit; illa breui tempore cum illo egit; hæc toto eius vitæ decursu; illa seruis, Salomoni adstantibus ac famulantibus palmam felicitatis concessit, & pœne inuidit; huic quotquot seu serui, seu non serui sunt, erunt, fuerunt, palmam felicitatis cedunt.

Enimuerò magis huic Benedictæ Virgini soli diuina Sapientia se impendit, quàm reliquo toti humano generi, & orbi terrarum. Nam huic quidem præceptis formando, instruendo, redimendo, non videtur nisi tres vltimos vitæ annos dedisse; at soli Matri Sanctissimæ, Creaturæ illi superexcellentissimæ, & superbenedictissimæ instruendæ, ornandæ, sanctificandæ; soli, inquam, dedit annos triginta: tot enim cum ea sola vixit, antequam se ad mundum erudiendum & iuuandum foras daret (si tamen vnum addas S. IOSEPHVM, cuius ea quoque ingens fuit beatitas, horum duorum amantium consuetudinis & habitationis sanctæ fuisse maxima ex parte arbitrum & consortem, cum eximio prorsus animæ suæ bono) reliquos tres communes cum alijs ha-

bere voluit. Decuplo igitur illi pluris fuit ill vnica anima, vt immensa & prodigiosa sancti tate ornaretur, quã totus reliquus orbis. Visitauit aliquando hæc ipsa SS. Virgo, diuin foetu grauida Elizabetham, gestantem vter

Luc. 1. Ioannem Baptistam, mansitque apud illã *qua mensibus tribus.* De hoc quasi trium mensium spatio sic discurrit S. Ambrosius lib. 1. Comment. in Luc. c. 1: *Non sola*, inquit, *familiaritat est causa, quòd diu mansit; sed etiam tanti vati profectus. Nam, si primo ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem MARIAE exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto mater infantis; quantum putamus vsu tanti temporis Sancta MARIAE addidisse præsentiam.* Longa videtur S. Ambrosio trium mensium mora, qua S. Elizabethæ & Præcursori Domini Mater Domini suam communicauit præsentiam, proindeque hoc ipso illum plurimi in spiritu, & Dei amore existimat profecisse quantum igitur ad profectum in sanctitate & amore Dei, valuit triginta trium annorũ præsentia, conuersatio, & consuetudo intima & summa Filij Dei cum sua Matre, quem cum Filium Dei nomino, & eam eius Matrem, nihil dicere in vllo genere plus possum. Papæ! quãta debuit esse sanctitudo, pulchritudoq; illius animæ, in qua exornanda totis triginta tribus

Sap. 7. annis *omnium artifex laborauit*, ipsa *sapiẽtia*! quantus ille ardor ac splendor, quem à Sole iustitiæ, purissima Virgo, velut speculũ illi Soli oppo-

oppositum & obuersum tanto tempore hausit, & deinde in mundum reflexit; cui vt imaginem suam *imago Patris æterni & figura substantiæ eius* imprimeret, neglectis omnibus aliis rebus, soli huic negotio triginta annis vacauit! O duæ sanctæ animæ IESV & MARIÆ animæ! ô Deo plenæ & illi atque inter se quàm simillimæ! Quàm verè dicere potuit Virgo Beatissima, illud de Sapientia æterna, Filio suo: *Super salutem & speciem dilexi illum, & proposui pro luce habere illam, quoniã inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætata sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista Sapientia: infinitus enim est thesaurus, quo qui vsi sunt, facti sunt participes amicitiæ Dei.* Quid aptiùs dici potest? Heb. 1. Sap. 7.

§. 7.

Ex dictis concluditur doloris in Virgine acerbitas.

Longiùs, quàm putaram de conuersatione Beatiss. Virginis cũ suo dulci & amabili IESV differendo progressus sum. Hoc igitur iam solũ restat, vt hinc dolorẽ illius in Filij passione & morte coniijciamus. De quo (vt priorem prolixitatem compensemus) satis erit nobis breuiter audire S. Anselmum c. 5. sic loquentem: *Cùm ergo tanta dilectione, tanta exultatione* (addo ego: tanto sno bono) *Beatæ*

Dei genitrix ex præsentia illius & conuersatione fuerit iucundata, perpendat qui potest, quibus doloribus, quibus gemitibus, quibus suspiriis cruciabatur, quando eum à se crudelium manibus auelli; quando ad condemnandum eum tradi; quando ad subeundam mortem iudicio iudicis iniqui, tribunali conspiceret sisti. Et, cùm, vt eodem libro dicit idem S. Anselmus, *superârit omnes omnium rerũ creatarũ amores & dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in filium suũ, & dulcedinis immẽsitas, quâ exultabat & liquefiebat anima eius in eundẽ Dominũ Deum suum*, si secundùm magnitudinem dulcedinis amoris, ex conuersatione tam beatâ orti, æstimanda est amaritudo doloris, ex auulsione tam crudeli; facilè quiuis conijcere poterit, quanta hæc fuerit, si illa tanta fuit. Celebrant Ethnici scriptores quorundam amicorum tã constantem amicitiam, tam ardentem inter se dilectionem, vt ex oblata occasione alter pro altero mori cuperet, deque morte subeunda inter se concertarẽt. Sed maius hoc est, quod de Christianis in principio Ecclesiæ, refertur, quando, non, vt olim apud Ethnicos, duo triáve amicorum paria, Pylades & Orestes, Nisus & Euryalus, & si qui sunt alij, in mortem alij pro alijs se offerebant; sed de Christianis communiter Ethnici ipsi, passim has voces spargebant: *En vt se amant, vt alter pro altero mori auet?* Quod ex disciplina & institutione, sed magis ex exemplo Christi Christiani

[...]ani hauserunt. O si licuisset, quàm libenter [...]upidè Sanctissima Virgo mortem & tor[...] non semel subijsset pro eo, cum quo [...]diu, tam amicè vixit, quem tam feruidè [...]! Affirmat hoc S. Bernardinus dum ait: *[...] modus amantium, velle pro inuicem mo[...] dubium hoc erat amoris in Virgine Bene[...] vt infinities, si fieri potuisset, se morti pro [...] tradidisset. Si enim hoc voluit Dauid pro [...] quantò magis hæc pro suo.* Cùm igitur [...] potuerit per mortem testari, & quasi ef[...]dere dolorem suum; debuit illum velut, in [...] redactum & conclusum, congemina[...] & concentratum, adeóque vehementiùs vrentem & affligentem sustinere. Quæ verba quia vim, vt arbitror, non exiguam obtinent, malo, vt tu, pie lector, in ijs expendendis diutiùs meditando inhæreas, quàm ego in explanandis. Hæc tantùm dico, flammam illam doloris, ex amore, consuetudine dulcissima corroborato ortam, intus centricè vrentem, videri mihi fuisse rogi instar, non quidem ambitu & extensione, sed intensione & vi vrendi maximi, qui Matris Dolorosæ cor atque animam ita vsit, & in cineres quodammodo ac fauillas redegit, vt eo concremata, Filio & Sponso suo IESV, quantum potuit, parentâ[...]. Apud Indos moris fuit, charissimam coniugum, cuius familiaritate maritus plurimùm [...] vsus, in eundem rogum insilire, quo de[...]us cremabatur, eodem cum illo incen-

 dio

dio concremandam. Sed & Alexander Alexandris lib. 4. Genialium refert, Regi morte sublatis, familiares, & qui cum eo iunctissimè vixerant, charitate Principis dem præstare solitos. Enimuero præstitit quoque, vt potuit, Virgo benedicta, Chri summi Regis & parens, & sponsa, & amica amicissima, in eundémque se amoris & dol ris rogum, quo ille conflagrabat, animo co iecit; imo rogum, & omnibus rogis mai incendium intra suum pectus conclusit, Regi, & Deo, & Filio, & Sponso suo occun benti inferias, quibus digniores esse non po sent, præstaret.

CAPVT VI.

Amor cum summa reuerentia dolorem acuente atque exasperante.

§. I.

Familiaritas B. Virginis cum CHRISTO, *re uerentiam non minuit, sed auxit.*

COmmune inter homines prouerbiũ est *Familiaritas parit contemptum*. Et it quidem ordinariè fit in familiaritatibus ho minum huius mundi. nam, cùm non careant suis vitijs & defectibus, qui eos dedecorãt, & contemptibiles reddunt; ij cùm longo vsu & consuetudine alterius alteri innotescũt, quid mirum, si pariant contemptũ? Deinde vix, aut nè vix quidem inter homines huius sæculi ita

inter

...tur familiaritas, vt, si ad perfectæ amicitiæ ...es exigatur, suis numeris cõstet. Alia prorsus fuit ratio familiaritatis CHRISTUM in... & B. Virginem, qui & nulli vitio, nulli de... obnoxij erant, & perfectißimæ ac di... amicitiæ normam exactißimè imple... Imò verò, quo magis procedebat cre...itque familiaritas, eò magis augebatur ...eipara erga Deum Filium summa atque i... reuerentia, æstimatio atque honor, nun... deficiens, sed semper progrediens. ...atio huius est: quia magis magisque sem... eius perfectiones diuinas & humanas no... tum infusâ, tum experimentali & acquisitâ cognoscebat, atque adeò maiore ac maiore in infinitum reuerentiâ, obseruantiâ, amore & honore dignum intelligebat: &, cùm indubitatâ, *ac firmißimâ* fide crederet, eũ esse verum *Deum*, continenter eum, & quidem *submißißimè* adorabat, vt canit Ecclesia: *Ipsum, quem genuit adorauit*: ipsum, inquam, cũ quo manducabat, quẽ infantem lactabat, adolescentem nutriebat & alebat, cuius iam viri... domi forisque comes indiuidua adhærebat, *in cuius conspectu* lõgè magis ac melius, quàm Elias *stabat*, cui ministrabat, & vicissim ministrari sibi ab eo reciprocâ obseruantiâ aspiciebat. Sciebat præterea, imò & cla... cernebat, eam à Seraphinis & Angelis omnibus adorari, *pedes & faciem* præ ingenti reuerentia *velantibus*, & alternis se vocibus atq; affecti-

3. Reg. 1.

Is. 6.

affectibus ad eam excitãtibus, *clamantibusq́ Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, siue Exercituum, id est, noster; Angeli enim sunt Exercitus Domini. Hos illa omnes simul sumptos suâ in Deum Filium reuerentia & adoratione longè superauit.

Neque verò CHRISTVM, vt Deum duntaxat sic venerabatur & colebat; sed etiam huic homini Filio suo, diuina personalitate subsistenti omnem cultum, reuerentiam, adorationem, & exhibendam ab omnibus creaturis iudicabat, & ipsa præ omnibus, ac pro omnibus exhibebat; idq́; sacro quodam cum horrore ac stupore, ob infinitam eius maiestatem. Quod ipsum & Seraphini faciunt, stupefacti atque attoniti, & quasi extatici præ reuerentia, ad conspectum humanitatis ad vnionem cum Verbo assumptæ, seque mutuò præ admiratione aspicientes. Cuius rei figura fuit id, quod habetur Exodi 25. vbi describuntur duo Cherubim *respicientes se mutuò, versis vultibus in propitiatorium*, id est, in
1. Io. 2. CHRISTVM, *qui est propitiatio pro peccatis* hominum. Eodem sacro horrore plena est ipsa humanitas CHRISTI benedicti, quæ videns, se eleuatam ad thronum Maiestatis diuinæ, & non tantùm in eadem sede, sed & hypostasi cum diuinitate sedere & subsistere, obstupescit & expauescit iuxta illud Habac. 3. *Domine audiui auditionem tuam & timui*, &, vt addunt Septuaginta, *obstupui vel expaui Domine*

opus

[illegible]s tuum. Hanc igitur imitata SS. Virgo ad-[illegible]rans eius dignitatem, sacro cum horrore [illegible]uescebat, & abyssali reuerentiâ eam ve-[illegible]batur ac magnificabat, suum illud solen-[illegible]ans: *Magnificat anima mea Dominum;* [illegible]profundissimè submittens & instar hu-[illegible]ancillæ coram illa se gerens.

§. 2.

[illegible]reuerentia dolor, cùm aduersùs eam agi vi-deret, & quem maximi faciebat CHRI-*STVM, maximè contemni.*

[illegible], supposita hac tanta Virginis erga CHRISTVM reuerentia & æstimatione, quã à nobis inconceptibilem, continuam & nunquam interruptam, & quo diutiùs cum illo egit, magnis incrementis semper auctam habuit, non difficil[illegible] ex ea concludere, quantus eam occuparit dolor, cùm ei contraria [illegible] videret, & filij tum humanitatem, omni honore dignam (de qua sola hoc capite agemus, maioris distinctionis gratia) tum diuinitatem (de qua videbimus c. sequenti) tam [illegible]enter tractari. Si quis coram CHRISTO homine Deo, Virginis Filio, vel otiosa [illegible] & leuia fuisset locutus; multóque magis, si eum alloquens aliquid ad rem non pertinens interposuisset, minùs decenti corporis habitu, situ, aut gestu fuisset vsus, aut aliud quid contra τὸ πρέπον exercuisset, quod irreueren-

nerentiam aliquam oleret, vel hoc sol
sufficiebat, vt magnum indè animo dolor
SS. Virgo conciperet. Nam si alijs quibusd
Sanctis ingentem talia in alijs conspecta cre
runt molestiam, quòd non perinde, vt cup
bant, & fieri debere iudicabant, cum CHR
STO ageretur; quid Reginæ Sanctorum
mniū? De B. Maria Magdalena de Pazzis sc
bitur, quòd, quando videbat aliquam ex M
nialibus in choro sacras preces vel festina
ter, vel tam submissa voce, vt bene ab omn
bus præsentibus exaudiri non posset, rec
tantem; tantum indè ob hanc apprehensa
irreuerentiam, & quendam veluti contem
ptum, concipiebat sensum doloris, vt vel mo
neret eam publicè tunc, cùm id ei per offi
cium licebat, vel si Magistræ Nouitiarum mu
nere non fungebatur, accepta à Præside lice
tia, ex choro discederet, cū summo animi cru
ciatu, & vberibus lachrymis, rei indignitate
ferre non valens. Quemnam igitur sensu
doloris B. MARIAE Matri Dei tribuemus
quæ non has, quas aliqui putant leues (quan
quam viderint ipsi, an verè) irreuerentia
committi contra CHRISTVM videbat, se
summas prorsus & intolerabiles; verbis, fa
ctis, gestibus, & modis omnibus. Et potuitn
quidquam esse acerbius, quàm illud, quo
quem illa maximi inter omnia faciebat atqu
æstimabat, & omnium æstimatione dignum
sciebat; eum cernebat, extremè, prout nullum
vnquam

quam hominum, contemptum; &, vt loquitur Isaias c. 53. *despectum & nouissimum virorum*, sicque habitum, vt eum nemo *reputaret*, *quasi absconditus vultus eius*; imò nè in hominum quidem censu aut numero repositum, sed inter vermes computatum, quemadmodum de se ipse dicit ps. 21. *Ego autem vermis, & non homo*, vt (quo loquendi modo S. Scriptura vilissimam & abiectissimam rem exprimere solet) esset quasi vermis & scarabæus, ex limo & stercore generatus, id est, origine & conditione vilissimus. Vnde S. Hieronymus illud, quod dicitur Habac. 2. iuxta Septuaginta; *Scarabæus de ligno loquetur*; CHRISTO in cruce pendenti accommodat. Et additur ad illa verba psalmi 21. *Opprobrium hominum*. pro quo S. Cyprian. legit. *Maledictum*; quod conuenit cum eo apud S. Paulum ad Gal. 3. vbi idem CHRISTVS dicitur *factus pro nobis maledictum* sine execratio, quem scilicet homines auersarentur, execrarentur, probris & maledictis omnibus incesserent. Denique *& abiectio plebis*; quod Tertullian. interpretatur; *Ludibrium abiectissimorum quorumque hominum*, nouo vocabulo nouam & inauditam rem volens significare. Alij legunt *sterquilinium & facem infimæ plebeculæ*. Quid amplius ad CHRISTI contemptum? quid ad dolorem Virginis ex hac irreuerentia & contemptu ortum atrocius dici potest?

§. 3.

§. 3.

Contemptus CHRISTI enucleatiùs propon- tur ad multiplex Virginei doloris augm- tum.

Sed pensiculatiùs hæc aliquantò iuxta rum gestarum seriem expendamus, & exp catiùs singula, quæ velut in fasce compreh sa protulimus, consideremus, vt aceruum c lorum B. Virginis colligamus. Tam pa CHRISTVS à Iuda, qui aliquot annorum c uictu & consuetudine, eum præ alijs & no & æstimare potuisset, & verò etiam debuiss tam parui, inquam, ille, qui sui præstantiâ dignitate Matris immensam licèt æstimatio & implebat, & in immensum ampliùs exced bat, à Iuda discipulo Magister & Dominus stimabatur, vt pessimus licitator non min

Matt. 26. malis emptoribus diceret: *Quid vultis mi dare & ego vobis eum tradam?* quasi dicere Offerte & date quod vultis, quolibet preti quod vobis collibuerit, eum vobis vendam Et cùm *constituissent ei triginta argenteos*, n hil vltrà poposcit. etiam minore futurus con tentus, si voluissent. O stulte Iuda, quàm ma lè rem facis? tam vile tibi caput est CHRI STVS? Quin tu ad D. Virginem, cæli Reginam Angelorum Dominam adis? Certè, si cum e de filio liciteris, dicasque ei: *Quid mihi vis da re, & ego eum* non hostibus, sed tibi *tradam*

si e

ex æquo & bono iustum pretium, quod illi
[illegible]catur postules, quantam illa faceret au-
[illegible]? quidquid cælo terráque continetur,
[illegible] quidquid Deus in thesauris Omnipoten-
[illegible] habet, exile nimis pretium existima-
[illegible]que insuper, quâ secundùm filium nihil
[illegible] orbis pretiosius, vitámque suam & san-
guinem pro filio addet. At nunc quanto putas
[illegible] dolori est, tam paruo eum quo nec Deus
[illegible]re aut condere potest quid præstantius,
vendi & emi, & emi ad supplicia & mortem?
O super omnem dolorem dolor!

Sed non hic stetit CHRISTI vilipensio.
Nam qui eum à Iuda leuissimo pretio eme-
runt Iudæi, minoris etiam quàm emerint, æ-
stimarunt. Neque enim aliò emerunt, quàm vt
rem non modò suâ opinione vilissimam, sed
planè perdendam atque è mundo exterminã-
dam perditum irent; neque hoc in dubium, ac
ne in quæstionem quidem voluerunt vocari.
Itaque, cùm eum Pilato sistunt, percontanti:
Quam accusationem adfertis aduersus hominẽ Io. 18.
hunc? respondent: *si non esset hic malefactor,*
non tibi tradidissemus eum; quasi tam vile ca-
put [illegible] esset, vt nullam seruari formã
[illegible], nullam de eo institui quæstionem o-
porteret, sed confestim sine vlla considera-
tione tolli ac perimi. O mater, en quanti fit
filius tuus, quem *anima tua magnificat*, quẽ
[illegible] facis. An non nouum hoc iterum &
[illegible] tibi cordolium est?

At

At enim Pilatus æstimare illum tandem vi
tur velle: nam eius liberandi viam & rati
inuit. Sed quam obsecro? Optionē Iudæis
vt, cùm alteruter perdendus sit, dimitten
alteruter, Barabámne an CHRISTVm pot
perditum vellet; ratus, haud dubiè CHR
STVM Barabbæ homini nefario antelatur
Heu me! ergo tam despicabilis habet
CHRISTVS, vt eius aut perdendi, aut seru
optio & potestas fiat, vt, si libeat, è medio t
li possit, & alteri postponi. Ergo cum Barab
terræ filio; quin etiam indigno, quem terra
stineat, qui communem alijs mortalibus a
trahat, in comparationem venit, eumque s
dignitatis & existimationis habet compe
torem? vt in certamen & dubium adducat
vter alteri, CHRISTVS Barabbæ, an Barab
CHRISTO præferendus sit, quod solum
plus, quàm intolerabile? Quid autem, qu
Barabbæ CHRISTVS, totius populi & op
matum iudicio postponitur? ad interitum d
posuitur? An maior fingi contemptus possi
an magis cruciari Mater?

Finxit tamen adhuc Pilatus, & excogitau
solerter, vt putabat, aliquid, quo sibi, nou
inuento, videbatur CHRISTVS ignomin
posse subducere. Verùm eo inuento non p
tuit magis in eam inducere. Vestes ei deri
imperat, nudum loris ad columnam adstri
gi, flagris dirissimè cædi, ac toto corpore q
crudelissimè conscindi ad quàm miserrima
specien

ciem, homo scil. pius ac beneuolus, Chri-
e existimationis retinẽdæ ac tuendæ ca-
s, vt hac ratione Iudæos à maiore insa-
supplicio CHRISTO postulãdo abdu-
maximis iam supplicijs & cruciatibus,
nia maxima, vt sperabat, futuros con-
ac satiatos. Sed eũ spes fefellit, & per
contemptũ atque ignominiã, ad plu-
maiores viam gradumq; fecit. O cælũ, ô
sed tu potissimũ, ô cœlitibus omnib'
Virgo, vidésne Regẽ gloriæ, cui, quod
perperã de Dauide dixit, aptiùs accõ-
discoopertum ante infinitã populi mul- 2. *Reg.* 6.
& *nudatum, quasi si nudetur vnus de*
s? & instar scurræ habetur homo Deus!
es vinculis innexum, columnæ adstrictũ,
flagellorum ictibus velut incudem expositũ?
Vides vt *supra dorsum eius fabricant peccato-* *Ps.* 128.
res; conscindunt illum vulnere super vulnus,
iam non tam percutiatur corpus quã vul-
Congregata sunt super eum flagella, tanto *Ps.* 33.
verberum & vulnerum numero, vt, si *fla-* *Ps.* 72.
gellatus tota die. Ad legem Valeriam & ad
Portiam prouoco, ô Romani, *si licet* *Act.* 22.
non dico *ciuem Romanum*, sed filium Dei
sed silent hic leges seu Romanæ seu
æ, quæ hominem Deum vel plagis eti-
, vel eas intra certum numerũ coerceãt.
us ictus, liuor liuori, dolori dolor, con-
pori dedecus, ignominiæ contumelia ad-
. Exsaturatã, quantumuis insatiabili
cœden-

cædendi rabie, cùm præter faciem & ca
nihil, quod cæderetur iam restaret, illa qu
que, vniuersa ad cædendum concurrente c
horte, alapis cæditur, & insuper spuitur c
1. Pet. 1. tatim ab omnibus in faciem illam, *in qu*
desiderant Angeli prospicere; iamque non
vultus, non decor, sed lutum, & ex conge
sputaminum & excrementorum spurcitia fo
ditas. Capiti ad ludibrium simul & imma
supplicium, non imponitur, sed infigitur c
rona spinea; &, vt fixiùs inhæreat, repetitis f
pe ictibus incutitur altiùs. Vestis, quâ, qua
maximè horrebat nuditatem, quantum co
niti residuis viribus poterat, iam texera
quantumuis vulneribus toto corpore adh
rescens & agglutinata; quippe cui cruor p
Io. 19. glutine fuit, ingenti cùm dolore (nam *cum e*
set desuper contexta per totum, non diffib
landa & sensim explicanda, sed totius cu
corporis conuulsione abstrahenda violent
à vulneribus, & per omnia simul vulnera su
sum trahenda fuit) abstrahitur, purpurea la
cerna substituitur, non quæ nuditatem & ve
Ps. 108. recundiam, vbi potissimùm tegenda erat, te
geret; sed quæ *confusione* & ignominiâ, *vt d*
ploide operiret. Additur manibus, multis cu
sannis tanquam gestamen regium, arund
Hoc schemate indutus producitur specta
Thren. 3. dus ad populum *Ecce Homo*! ecce, inquan
Heb. 10. homo Deus *saturatus opprobrijs & tribulati*
nibus spectaculum factus. Neque hic finis, se
qua

si parum ista forent, ad probrosissimam am, conspirantibus voluntatibus ac sen- condemnatur, crucem, rem malam ab s habitam, sibi ipse, in quam eat, fert, ter latrones, vt pessimus latro è pati- pendulus, eius immanes cruciatus & niæ risus & ioci materia fiunt, à sum- dijs, infimis, conuitijs, probris, male- is oneratur; sitim contestanti suus s spongia ex vulneribus detersus spectabat spongia more Romano, tincta, ad sistendum attactu cruci- sanguinem seruiret, nè eius proflu- morerétur) sanguis, inquam, ex suis- vulneribus detersus ei per ludibrium porrigitur, denique vt multis infan- verbo complectar omnia, infamissimè occiditur.

Iam te non appello, ô Mater afflictissima! quid enim te appellem, dolore ex tot tantis- contemptibus & ignominijs ta- Irreuerentiam vel minimam con- maiestatem ferre non potes, quo- feres hæc probra? has sannas, hæc calumnias, ignominias, ludibria, ptus, contumelias? Ferre vtique non nisi te diuina virtus, & ad hæc & ad ac maiora quæ sequuntur, ferenda su- eret. Te appello, pie lector, pro ea, quam in Deum tuum pietate, & reuerentia, hi, si Venerabilem Eucharistiam, quod

vel mens horret cogitare, cerneres pedib
impiorum conculcari, si in eam spui, si pung
si conscindi, si modis aliis indignissimè tract
ri; quã amaro & acerbo animo id ferres, qu
tum tibi esset cordolium! Et quantula est tu
pietas ac reuerentia in Seruatorem tuum,
cum B. Virginis reuerentia componatur? qu
modica tua fides ad illius fidem ac intelligen
tiam? *Granum sinapis* vix fortasse æquet hui
collata; præterquam quòd quæ nunc indign
Christo in Eucharistia ab improbis fiunt, fian
impassibili, vt plurima alia taceam. Ergo e
tuo dolore, tot & rationibus, & modis, & cir
cumstantijs impari, æstima dolorem Virginis

Andronici Imperatoris tragœdiam cũ le
gimus, mentique obijcimus, Imperio deiecti
cœpis pro Imperatorio diademate coronati
ignominiosè per cõpita & fora traducti, ma
lè & probrosè à populo accepti, & tandẽ cru
deliter occisi; ingens animos nostros tangit
miseratio & dolor: & tamen hæc & nocens
tulit, & CHRISTO paria non tulit, eique neq
dignitate, neque vllâ re aliâ par fuit, aut esse
potuit. Nimirum miserabile nobis videtur, &
dignũ, quod affectus nostros vehementer cõ
moueat, si viri præclari, & sublimi in loco ac
statu constituti, quibus reuerentiam & obse
quium debeas, de suo gradu deiecti, contem
ptum & ignominiam subeant. Quin etiam ta
les viri dedecus ac probra, morte & crucia
tibus omnibus acerbiora ducunt. Quin igitur
& B.

[illegible]. Virgo duxerit CHRISTI dedecora ac [illegible]bra cum morte & cruciatibus coniuncta, [illegible] illum longè plùs quàm se amauit! Quod [illegible]orum illustrium etiam ignotorum, quiq; [illegible] necessitudine contingunt, *iniurijs* [illegible]melijs commouemur; quid amicorũ, [illegible] plus animâ nostrâ diligimus? *Sanè D.* [illegible] lamentatione, Deiparam sic loquentẽ [illegible]cit. *O verè Dei nate, tu mihi Pater, tu mihi [illegible], tu mihi Filius, tu mihi Sponsus, tu mihi [illegible] eras.*

§. 4.

Iniuria CHRISTI, *summa simul Deiparæ Virginis iniuria.*

Accedit, quod CHRISTI iniuriæ atq; ignominiæ in Matrem quoq; redundabant. Quod non humano *tantùm* modo velim cõsideres, quo *ignominios*um, & simul morte tristius [illegible] est, si filij in manus carnificis deue[illegible] extremo supplicio afficiantur; & præ[illegible] suspendantur in patibulo, vti CHRI[illegible] est; sed longè sublimiori alio. [illegible] Virgo omnem suam dignitatem, [illegible] omni humanâ excelsiorem à CHRI[illegible] haberet, vt diceretur, & verè esset Mater [illegible] qui Filium Dei dedecorosè & infamiter [illegible]bant, [illegible] simul, siue Dei materni[illegible] perditum ibat; cùm nequeat esse Mater, [illegible]o aut prole caret. Sed & infamia,

uerentiam aliquam oleret, vel hoc solu sufficiebat, vt magnum indè animo dolore SS. Virgo conciperet. Nam si alijs quibusda Sanctis ingentem talia in alijs conspecta cre: runt molestiam, quòd non perinde, vt cupi(bant, & fieri debere iudicabant, cum CHRI STO ageretur; quid Reginæ Sanctorum o mniũ? De B. Maria Magdalena de Pazzis scr bitur, quòd, quando videbat aliquam ex Mo nialibus in choro sacras preces vel festinan ter, vel tam submissa voce, vt bene ab omni bus præsentibus exaudiri non posset, reci tantem; tantum indè ob hanc apprehensan irreuerentiam, & quendam veluti contem ptum, concipiebat sensum doloris, vt vel mo neret eam publicè tunc, cùm id ei per offi cium licebat, vel si Magistræ Nouitiarum mu nere non fungebatur, accepta à Præside licẽ tia, ex choro discederet, cũ summo animi cru ciatu, & vberibus lachrymis, rei indignitaten ferre non valens. Quemnam igitur sensun doloris B. MARIAE Matri Dei tribuemus; quæ non has, quas aliqui putant leues (quan quam viderint ipsi, an verè) irreuerentias committi contra CHRISTVM videbat, sed summas prorsus & intolerabiles; verbis, fa ctis, gestibus, & modis omnibus. Et potuitne quidquam esse acerbius, quàm illud, quod quem illa maximi inter omnia faciebat atque æstimabat, & omnium æstimatione dignum sciebat; eum cernebat, extremè, prout nullum

vnquam

tanquam hominum, contemptum; &, vt loquitur Isaias c. 53. *despectum & nouissimum virorum*, sicque habitum, vt eum nemo *reputaret*, *quasi absconditus vultus eius*; imò nè in hominum quidem censu aut numero repositum, sed inter vermes computatum, quemadmodum de se ipse dicit ps. 21. *Ego autem vermis, & non homo*, vt (quo loquendi modo S. Scriptura vilissimam & abiectissimam rem exprimere solet) esset quasi vermis & scarabæus, è limo & stercore generatus, id est, origine & conditione vilissimus. Vnde S. Hieronymus illud, quod dicitur Habac. 2. iuxta Septuaginta; *Scarabæus de ligno loquetur*; CHRISTO in cruce pendenti accommodat. Et additur ad illa verba psalmi 21. *Opprobrium hominum.* pro quo S. Cyprian. legit. *Maledictum*; quod conuenit cum eo apud S. Paulum ad Gal. 3. vbi idem CHRISTVS dicitur *factus pro nobis maledictum* siue execratio, quem scilicet homines auersarentur, execrarentur, probris & maledictis omnibus incesserent. Denique *& abiectio plebis*, quod Tertullian. interpretatur: *Purgamen* abiectissimorum quorumque hominum, nouo vocabulo nouam & inauditam rem volens significare. Alij legunt *sterquilinium & facem infimæ plebeculæ.* Quid amplius ad CHRISTI contemptum? quid ad dolorem Virginis ex hac irreuerentia & contemptu ortum atrocius dici potest?

§. 3.

§. 3.

Contemptus CHRISTI enucleatiùs proponi-tur ad multiplex Virginei doloris augmen-tum.

Sed pensiculatiùs hæc aliquantò iuxta rum gestarum seriem expendamus, & expl catiùs singula, quæ velut in fasce compreh sa protulimus, consideremus, vt aceruum c lorum B. Virginis colligamus. Tam pa CHRISTVS à Iuda, qui aliquot annorum c uictu & consuetudine, eum præ aliis & no & æstimare potuisset, & verò etiam debuiss tam parui, inquam, ille, qui sui præstantiâ dignitate Matris immensam licèt æstimatio & implebat, & in immensum ampliùs exced bat, à Iuda discipulo Magister & Dominus stimabatur, vt pessimus licitator non min Matt. 26. malis emptoribus diceret: *Quid vultis mi dare & ego vobis eum tradam?* quasi dicere Offerte & date quod vultis, quolibet preti quod vobis collibuerit, eum vobis vendam Et cùm *constituissent ei triginta argenteos*, n hil vltrà poposcit, etiam minore futurus con tentus, si voluissent. O stultè Iuda, quàm m lè rem facis? tam vile tibi caput est CHRI STVS? Quin tu ad D. Virginem, cæli Reginam Angelorum Dominam adis? Certè, si cum e de filio liciteris, dicasque ei: *Quid mihi vis da re, & ego eum* non hostibus, sed tibi *tradam*

si e

ex æquo & bono iustum pretium, quod illi ...catur postules, quantam illa faceret au... quidquid cælo terráque continetur ...quidquid Deus in thesauris Omnipoten... habet, exile nimis pretium existima... que insuper, quâ secundùm filium nihil ... orbis pretiosius, vitámque suam & san... pro filio àdder. At nunc quanto putas ...dolori est, tam paruo eum quo nec Deus ...e aut condere potest quid præstantius, ... & emi, & emi ad supplicia & mortem? ...er omnem dolorem dolor!

... non hic stetit CHRISTI vilipensio. ...qui eum à Iuda leuissimo pretio eme... ...minoris etiam quàm emerint, æ... Neque enim aliò emerunt, quàm vt ... non modò suâ opinione vilissimam, sed ... perdendam atque è mundo extermina... perditum irent; neque hoc in dubium, ac ... quæstionem quidem voluerunt vocari. ... cùm eum Pilato sistunt, percontanti: ...accusationem adfertis aduersus hominē Io. 18. ...respondent: *si non esset hic malefactor, ...tradidissemus eum*; quasi tam vile ca... ...rium esset, vt nullam seruari formā ...ij, nullam de eo institui quæstionem o... ...ret, sed confestim sine vlla considera... ... tolli ac perimi. O mater, en quanti fit ... tuus, quem *anima tua magnificat*, quē ... facis. An non nouum hoc iterum & ... tibi cordolium est?

At

At enim Pilatus æstimare illum tandem vid tur velle: nam eius liberandi viam & ratio init. Sed quam obsecro? Optionē Iudæis da vt, cùm alteruter perdendus sit, dimittendu alteruter, Barabámne an CHRISTVm potiù perditum vellet; ratus, haud dubiè CHRISTVM Barabbæ homini nefario antelaturos Heu me! ergo tam despicabilis habetu CHRISTVS, vt eius aut perdendi, aut seruād optio & potestas fiat, vt, si libeat, è medio tolli posit, & alteri postponi. Ergo cum Barabb terræ filio; quin etiam indigno, quem terra su stineat, qui communem alijs mortalibus aur trahat, in comparationem venit, eumque su dignitatis & existimationis habet competi torem? vt in certamen & dubium adducatu vter alteri, CHRISTVS Barabbæ, an Barabba CHRISTO præferendus sit, quod solum e plus, quàm intolerabile? Quid autem, quò Barabbæ CHRISTVS, totius populi & opti matum iudicio postponitur? ad interitum de posuitur? An maior fingi contemptus posit, an magis cruciari Mater?

Finxit tamen adhuc Pilatus, & excogitaui solerter, vt putabat, aliquid, quo sibi, nou inuento, videbatur CHRISTVS ignominia posse subducere. Verùm eo inuento non po tuit magis in eam inducere. Vestes ei derip imperat, nudum loris ad columnam adstrin gi, flagris dirissimè cædi, ac toto corpore qu crudelissimè conscindi ad quàm miserrimam

speciem

speciem, homo scil. pius ac beneuolus, Christianæ existimationis retinédæ ac tuendæ causa, vt hac ratione Iudæos à maiore infamia & supplicio CHRISTO postulãdo abduceret, maximis iam supplicijs & cruciatibus, ignominia maxima, vt sperabat, futuros contentos ac satiatos. Sed eũ spes fefellit, & per ignominiã contemptũ atque ignominiã, ad plures maiores viam graduṁq; fecit. O cælũ, ô terra: sed tu potissimũ, ô cœlitibus omnib⁹ maior Virgo, vidésne Regẽ gloriæ, cui, quod Michol perperã de Dauide dixit, aptiùs accõmodes, *discoopertum* ante infinitã populi multitudinẽ *& nudatum, quasi si nudetur vnus de scurris*. ô ô instar scurræ habetur homo Deus! Vides vinculis innexum, columnæ adstrictũ, flagellorum ictibus velut incudem expositũ? Vides vt *supra dorsum eius fabricant peccatores*; conscindunt illum vulnere super vulnus, *vt iam non tam* percutiatur corpus quã vulnus, *congregata sunt super eum flagella*, tanto & verberum & vulnerum numero, vt, si *flagellatus tota die*. Ad legem Valeriam & ad legem Portiam prouoco, ô Romani, *si licet vobis*, nõ dico *ciuem Romanum*, sed filium Dei *flagellare*? sed silent hîc leges seu Romanæ seu Iudaicæ, quæ hominem Deum vel plagis eripiant, vel eas intra certum numerũ coerceãt. Ictibus ictus, liuor liuori, dolori dolor, contemptui dedecus, ignominiæ contumelia additur. Exsaturatâ, quantumuis insatiabili

cœden-

2. Reg. 6.

Ps. 128.

Ps. 33.

Ps. 72.

Act. 22.

cædendi rabie, cùm præter faciem & capi
nihil, quod cæderetur iam restaret, illa quo-
que, vniuersa ad cædendum concurrente co-
horte, alapis cæditur, & insuper spuitur cer-
tatim ab omnibus in faciem illam, *in quam*
1.Pet. 1. *desiderant Angeli prospicere*; iamque non il-
vultus, non decor, sed lutum, & ex congesti
sputaminum & excrementorum spurcitia fœ-
ditas. Capiti ad ludibrium simul & imman-
supplicium, non imponitur, sed infigitur co-
rona spinea; &, vt fixiùs inhæreat, repetitis sæ-
pe ictibus incutitur altiùs. Vestis, quâ, quam
maxime horrebat nuditatem, quantum con-
niti residuis viribus poterat, iam texerat,
quantumuis vulneribus toto corpore adhæ-
rescens & agglutinata; quippe cui cruor pro
Io. 19. glutine fuit, ingenti cùm dolore (nam *cum es-
set desuper contexta per totum*, non diffibu-
landa & sensim explicanda, sed totius cum
corporis conuulsione abstrahenda violenter
à vulneribus, & per omnia simul vulnera sur-
sum trahenda fuit) abstrahitur, purpurea la-
cerna substituitur, non quæ nuditatem & ve-
Ps. 108. recundiam, vbi potissimùm tegenda erat, te-
geret; sed quæ *confusione* & ignominiâ, *vt di-
ploide operiret*. Additur manibus, multis cum
sannis tanquam gestamen regium, arundo.
Hoc schemate indutus producitur spectan-
Thren. 3. dus ad populum *Ecce Homo*! ecce, inquam
Heb. 10. homo Deus *saturatus opprobrijs & tribulatio-
nibus spectaculum factus*. Neque hic finis, sed

quasi

quasi parum ista forent, ad probrosissimam
necem, conspirantibus voluntatibus ac sen-
tentijs condemnatur, crucem, rem malam ab
omnibus habitam, sibi ipse, in quam eat, fert,
inter latrones, vt pessimus latro è pati-
bulo pendulus, eius immanes cruciatus &
ignominiæ risus & ioci materia fiunt, à sum-
mis, medijs, infimis, conuitijs, probris, male-
dictis, sannis oneratur; sitim contestanti suus
sanguis spongia ex vulneribus detersus
(namque spectabat spongia more Romano,
aceto intincta, ad sistendum attactu cruci-
fixorum sanguinem seruiret, nè eius proflu-
uio citò morerētur) sanguis, inquam, ex suis-
met vulneribus detersus ei per ludibrium
bibendus porrigitur, denique vt multis infan-
dis prætermissis verbo complectar omnia,
infamissimè occiditur.

Iam te non appello, ô Mater afflictissima!
quid enim te appellem, dolore ex tot tantis-
que filij tui contemptibus & ignominijs ta-
bescentem? Irreuerentiam vel minimam con-
tra filij maiestatem ferre non potes, quo-
modo ergo feres hæc probra? has sannas, hæc
dedecora, calumnias, ignominias, ludibria,
contemptus, contumelias? Ferre vtique non
posses, nisi te diuina virtus, & ad hæc & ad
alia ac maiora quæ sequuntur, ferenda su-
ffulciret. Te appello, pie lector, pro ea, quam
habes in Deum tuum pietate, & reuerentia,
dic mihi, si Venerabilem Eucharistiam, quod

F vel

vel mens horret cogitare, cerneres pedibu impiorum conculcari, si in eam spui, si pungi si conscindi, si modis aliis indignissimè tracta ri; quã amaro & acerbo animo id ferres, quã tum tibi esset cordolium! Et quantula est tu pietas ac reuerentia in Seruatorem tuum, s cum B. Virginis reuerentia componatur? quã modica tua fides ad illius fidem ac intelligentiam? *Granum sinapis* vix fortasse æquet huic collata; præterquam quòd quæ nunc indigna Christo in Eucharistia ab improbis fiunt, fiant impassibili, vt plurima alia taceam. Ergo ex tuo dolore, tot & rationibus, & modis, & circumstantijs impari, æstima dolorem Virginis.

Andronici Imperatoris tragœdiam cũ legimus, mentique obijcimus, Imperio deiecti, cœpis pro Imperatorio diademate coronati, ignominiosè per cõpita & fora traducti, malè, & probrosè à populo accepti, & tandẽ crudeliter occisi; ingens animos nostros tangit miseratio & dolor: & tamen hæc & nocens tulit, & CHRISTO paria non tulit, eique neq; dignitate, neque vllâ re aliâ par fuit, aut esse potuit. Nimirum miserabile nobis videtur, & dignũ, quod affectus nostros vehementer cõmoueat, si viri præclari, & sublimi in loco ac statu constituti, quibus reuerentiam & obsequium debeas, de suo gradu deiecti, contemptum & ignominiam subeant. Quin etiam tales viri dedecus ac probra, morte & cruciatibus omnibus acerbiora ducunt. Quin igitur

& B.

& B. Virgo duxerit CHRISTI dedecora ac probra cum morte & cruciatibus coniuncta, quæ illum longè plus quàm se amauit! Quod si virorum illustrium etiam ignotorum, quiq; nos nullâ necessitudine contingunt, iniurijs & contumelijs commouemur; quid amicorũ, quos plus animâ nostrâ diligimus? Sanè D. Bern. in lamentatione, Deiparam sic loquenté inducit. O! *verè Dei nate, tu mihi Pater, tu mihi Mater, tu mihi Filius, tu mihi Sponsus, tu mihi anima eras.*

§. 4.

Iniuria CHRISTI, *summa simul Deiparæ Virginis iniuria.*

Accedit, quod CHRISTI iniuriæ atq; ignominiæ in *Matrem* quoq; redundabant. Quod non humano *tantùm* modo velim cõsideres, quo *ignominiosum*, & simul morte tristius matribus *est*, si filij in manus carnificis deueniant, & extremo supplicio afficiantur; & præsertim si suspendantur in patibulo, vti CHRISTO factum est; sed longè sublimiori alio. Cùm enim Virgo omnem suam dignitatem, eamque omni humanâ excelsiorem à CHRISTO haberet, vt diceretur, & verè esset Mater Dei, qui Filium Dei dedecorosè & infamiter perdebant, *deuastare* simul, siue Dei maternitatem perditum ibat; cùm nequeat esse Mater, qui filio aut prole caret. Sed & infamia,

quæ Dei filio irrogabatur, irrogabatur & D
Matri, quandoquidem sicut huius honor a
illius honore pendebat; ita vt si illi tolli po
set, simul tolleretur & huic, ita & ignomin
pari propè & non dissimili passu atque iniu
riâ in vtroque procedebat. Quod vt ampliù
ponderetur, expendendus est modus, qu
CHRISTVM impij è medio tollebant, qu
fuit, humanitatem à Verbo assumptam pen
tùs destruere, pessundare, delere, & Verbu
incarnatum quodammodo *excarnare*. Nai
imprimis flagris, quæ varij generis erant, no
cutem tantùm perruperunt, adeóque CHRI
STVM disruptâ ablataque pelle excoriarun
sed, cùm plagas plagis super conuulneratu
iam & conscissum corpus superadderet
(quarum 5590. S. Brigitta numerat, alij etiai
plures) carnem ipsam nodosis & ferro acu
leatis flagellis auulserunt, & per aëra dispe
serunt, sicque dominum excarnificarunt v
excarnarunt. Deinde quidquid humani vul
tûs & figuræ in eo fuit, id deleuerunt pugni
alapis, sputis, sanguine & sanie mixtis, adeóc
abominabilem reddiderunt, vt non homin
facies esse, sed vermis contriti & conculca
videretur, in quam nemo figere oculos po
set. Ex capite spinetum fecerunt. Reliquum
quod ex humanitate illa Deificata supererat
Ps.21. ossibus, vt numerari singula possent d istra
ctis, toto exhausto sanguine ad vltimam vs
guttam, laceratis venis ac neruis, perfoss
pecto

pectore, & præcordijs ex immani vulnere hiantibus, manibus pedibúsque perforatis; reliquum, inquam, quod ex humanitate illa poterat restare, ligno affixum, cælum inter & terram suspenderunt, quasi nollent aut hominem Deum in cælo esse, aut in terra Deũ hominem. Id verò si efficere possent, simul id efficerent, vt destructo homine Deo, Dei matris filio, simul B. Virgo Dei mater esse desineret. Quanta in vno facinore crimina! quot in vno facto iniuriæ! si tamen aut crimen vnum, aut vnum factum dicendum est, quod criminum scelerúmque omnium colluuiem complectitur. Hæc cùm Deipara Sanctissima, probè intelligeret, quid priùs? quid posteriùs doleret! aut quomodo dolores partiretur, tot simul dolendi causis habitis, cùm vni omnes non sufficerent? Tentari ab impijs sibi θεοτοκίαν, hoc est, *omnis felicitatis* fontem auferri, iniuria erat, qua maiorem accipere non poterat; hominem Deum à suis non recipi, imò assumptam à Verbo humanitatem sic destrui, eò maior illi iniuria erat, quò magis illa filium, quàm se diligebat. Tantam irreuerentiam, contemptum tantum, rei sacratissimæ ac sanctissimæ, siue, vt loquitur Gabriel Angelus, Sancto illi, *quod ex illa natum erat*, irrogari, res infiniti doloris fuit, & omnibus cruciamentis maior. Certè creaturę omnes, omnibus in vnũ collatis vniusque ingenijs, nihil his, quæ dixi, magis B. Virgini aduersum & intolerandum inuenire potuissent.

CAPVT VII.

Zelus diuini honoris in B. Virgine; c consideratio attributorum Dei ab hi minibus in passione Christi violatorum, cor rodens.

PRæter illa, quę superiore capite attulimu de dolore B. Virginis, ex reuerentia & a stimatione CHRISTI, spectati potissimũ qu homo est, auxit vehementer hunc dolorẽ i ea ardentissimus zelus pro honore eiusdei CHRISTI, quà Deus erat, cùm ei honori vi deret contraria ab hominibus, eaque absur dissima & indecentissima fieri, & Dei attri buta, quantum in ipsis erat, lædi ac violari.

§. I.

Quid sit zelus, & quàm potens ad ciendur dolorem.

Est hic zelus, amoris actus, ardenter desi derantis Deo debitum cultum, obsequium venerationem, amorem tribui; quòd si id no fiat, sed indignè cum illo agatur, præ dolor contabescentis iuxta illud Dauidicũ: *Tabesce re me fecit zelus meus*: quia videlicet hic zelu

Ps. 118. interiora omnia depascitur, ac corrodit: vnd necessè est, hominem cõsumi ac tabescere, & aliquãdo virib⁹ ita destitui, vt propè à mort absit, & in deliquium cadat. *Defectio*, inquit i

der

dem S. Dauid, *tenuit me pro peccatoribus dere-linquentibus legem tuam*. Porrò quo maior est Dei amor cum æstimatione magnitudinis eius, eo maior est zelus, & consequenter maior ob imminutum, proditum, aut contemptum Dei honorem afflictio, quæ cor rodit & vrit. Scimus aliquos Sanctos ex hoc neglecti honoris Dei zelo summè fuisse cruciatos, vt de B. Maria Magdalena de Pazzis præcedenti capite retuli. Sed habemus huius rei etiam in S. Scriptura illustria exempla. Elias Propheta *petiuit animæ suæ, vt moreretur*; tædebat enim eũ viuere, & mortem vitâ optabiliorem duxit. Cur? *Zelo Zelatus sum*, inquit, *pro Domino Deo exercituum; quia dereliquerunt pactũ tuũ filij Israël, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meã, vt auferãt eam*. 3. Reg. Mathathias 1. Mach. 2. videns agi aliquid legi & honori Dei aduersum, *doluit, & contremuerũt renes eius*. Sed præcipuè proditur zelus & dolor in Dei seruis ex templo Hierosolymitano diruto, vastato, aut violato. Cùm enim templũ illud esset cultui & honori Dei dicatũ & cõsecratum, eius vastatio aut violatio in detrimẽtum diuini cultûs & honoris cedebat, adeoq; ingentem ciebat in amantibus Deum, & honorem eius zelantibus doloris affectum. Hue spectant Threni siue lamentationes Ieremiæ, quas diruto à Chaldæis templo, & euersâ Hierosolymâ, habuit, *flens & plangens*,

& amaro animo suspirans & eiulans. Machabæi & eorum socij 1. Mach. 4. (de quo iam aliquid diximus c. 3. §. 3. in fine.) *vt viderunt sanctificationem* (templum hoc nomine appellā) *desertam, & altare profanatum, sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum, & ceciderunt in faciem super terram, & exclamauerunt tubis signorum, & clamauerunt in cælum.* Adeò doluit illis templo illata vis, quam omnium calamitatum grauissimam censuerunt. *Vnde prostrati in terram rogauerunt Dominum, ne amplius talibus malis inciderent, sed & si quando peccassent, vt ab ipso mitiùs corriperentur;* alio videlicet damni genere, quod permissione violationis templi leuius ducerent. *Erat enim* vt dicitur 2. Mach. 15. *pro vxoribus & liberis minor solicitudo; maximus autem pro sanctitate timor erat Templi.* Et, quod plus est, CHRISTVS ipse Io. 2. *cùm inuenisset in Templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes, facto quasi flagello de funiculis, omnes eiecit de Templo, oues quoque, & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et his qui vendebant columbas dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Et subditur. *Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tua comedit me.* Et tamen & oues, & boues, & columbæ vendebantur pro sacrificijs, ad cultum Dei: sed, quia habere hæc in tem-

Mach.
).

in templo, erat quædam indecentia, qua san-
ctitas Templi aliquo modo violabatur, hinc
Christi zelus. Quorsum ego hæc
commemoro? Vt intelligamus magnitudinem
doloris B. Virginis, in qua sicut amor & diui-
næ maiestatis æstimatio, ita zelus fuit sine du-
bio maximus, cui quæ in Christi passione
ab impijs gerebantur, maximè aduersabātur.
Forte acerbius Eliæ fuit, pactum & legem
Dei derelinqui, altaria destrui, Prophetas oc-
cidi gladio, se ad necem quæri. Quid igitur a-
cerbitatis debuit esse B. Virgini, & legem Dei,
& legislatorem ipsum non modò derelinqui,
sed etiam è medio tolli? non altaria tantùm
destrui, non Prophetas occidi gladio, sed Deū
ipsum, cuius honori aræ & victimæ conse-
crantur, perimi, & sceleratissimè trucidari?
nónne Mathathiā doluerit magis & contre-
muerint renes eius? Iam quid Templum Sa-
lomonis, cui sanctificationis & sanctitatis tri-
buitur nomen, ad Christum fuit? Quiuis
fidelis templū Dei ab Apostolo nominatur in
1. ad Cor. ep. idque Sanctum & sine con-
trouersia Hierosolymitano illo sanctius; quia
viuum, quia Christi sedes, quia non mo-
dò in ipso, sed ab ipso colitur Deus. quid i-
gitur dicemus de Christo ipso Sancto Dan. 9.
sanctorum?

§. 2.

CHRISTVS indignè habitus trifariam considaratus multiplex SS.Virgini doloris seges.

Atq; vt rem magis percipiamus, tria nobis in CHRISTO distinguenda, aut potiùs consideranda sunt. Primũ, eius humanitas à Verbo assumpta, & ad summũ omnino dignitatis & excellentiæ fastigiũ euecta, vt ex nihilo fieret omnia, digna, maximè propter vnionem cum Verbo, omni honore, veneratione, cultu, adoratione. Alterũ, quòd humanitas illa sic à Deo honorata & exaltata, summũ vicissim honorẽ, & quo maior nec fingi, nec esse potest, summum cultũ, obsequium, adorationem, laudem ei detulerit; quippe, cùm CHRISTVS homo Deus secundùm humanitatem Deum coluit & adorauit, Deus Deum adorauit & coluit, quo quid potest Deo esse honorificentius? Tertium, quòd ex priore sequitur, quòd quæ CHRISTO fiebant ignominiæ & contẽptus, Deo fiebãt, cũ CHRISTVS reuera esset Deus, cui diuinus cultus deferẽdus esset, & non tãtùm is, qui eum deferret. Iam, si CHRISTVM spectemus in primo considerandi modo, immanis fuit sceleris humanitatem, quã sic extulit Deus, & sibi hypostaticè vniuit, adeóq; plus quàm sedem & templũ in quo esset, sibi constituit, talibus, tamq; indignis modis violare & destruere. Quantum enim hoc est, eum sic contemnere, quem sic honorat Deus? ac proin-

proinde id D. Virgini vehementissimi doloris fuit argumentũ, de quo cùm dictum sit superiùs, nihil attinet ampliùs dicere. At non minus, imò fortasse maius fuit, CHRISTVM secundo modo spectatum, has easdem iniurias, contemptus & cõtumelias pati; siquidem Templum, aut veluti templum fuit, in quo, & à quo cultus, adoratio, sacrificia, laudes, veneratio & honos Deo dignus & eius dignitatem ac maiestatẽ exæquans offerebatur. Sane omniũ creaturarum siue nunc existentium, siue quas condere per omnipotentiã suam potest Deus, vniuersitas nihil optare, nihil concipere potest maius, siue ad suam, quam maximam existimare deberet, felicitatem, siue ad rei æquitatem & condignitatem, quàm vt tanto honore à creaturis, aut creatura aliqua colatur Deus, quanto & coli potest, & dignus est, hoc est, *plùs quàm infinito*; tantum ei obsequium deferatur, quantũ sufficit, vt sit par aut æquale & dignum Deo, vt ex eo oblectationẽ capiat infinitã maiorem. Hoc enim est creaturarum summum bonum, Deum & Creatorem suum quàm maximè colere, glorificare, oblectare. Sicut. n. malorũ omnium summũ malũ est, super omnia alia mala detestãdum, Deũ vel leuissimè offendere; ita è diuerso bonorũ omniũ summũ bonũ est, eũ clarè cognoscere, summè colere & amare; atq; in hoc Beatorum sita in cælo beatitas est. Itaq; si vel suo omniũ interitu, quæq; sunt, quęq; esse possũt creaturę totę

atque vniuersæ Deo in holocaustum ceden-do, illum eximiè venerari, & gratum qui præstare possent, non modò hunc sui interi-tum ad Dei gloriam & beneplacitum no subterfugere, sed eum ambire, & toto pecto-re complecti deberent.

Hinc iam intelligere possumus, si vel inte-ritu suo creaturæ omnes, Dei gloriam & be-neplacitum emere ac procurare debent, qu infandum sit, ei interitum per creaturas pro-curari, eum tolli, per quem vnicum ac Solum Deo debitus, & Maiestati eius æqualis cultu deferri potest. Illum enim cùm sublatum i-bant, cùm interimebant, & tollebant, simu fructum cum radice atque arbore, hoc est Dei cultum & gloriam, cum eo, qui eam de-ferebat, sublatum ibant, &, quantum in ipsi erat, interimebant ac tollebant. Hoc auten cùm clarè SS. Virgo cognosceret, Deum im-mortalem! quantopere id eam affligebat! Ve-rum quidem est, per hoc, quòd impij CHRI-STVM tantis contemptibus, ignominijs, in-iurijs, contumelijs, cruciatibus & denique morte ipsa affecerint, occasionem, licèt nihil tale cogitantes, maioris diuinæ gloriæ præ-buisse. Nam CHRISTVS in Dei gratiam & gloriam hæc promptè & infinito cum amoris in eum affectu acceptans, ac sponte subiens, quò magis deprimebatur, humiliabatur, cru-ciabatur, eò maiorē Deo gloriam deferebat. Quò enim magis is, qui Deus erat, propter

Deum

Deum se abijciebat, & ad mortem vsque, per horribiles cruciatus exinaniebat, eò id erat Deo gloriosius. Qua de re pulchrè S. Leo serm. 10. de pass. Dom. *Suscepit*, inquit, *Dominus, quòd secundùm propositum suæ voluntatis elegit. Admisit in se impias manus furentium, quæ, dum proprio incumbunt sceleri, famulata sunt Redemptori.* Et dubio procul ex hac parte, B. Virgo animaduertens tantum Diuinæ Maiestati per Filium suum in passione exhiberi honorem, vehementer de eo, secundùm interiorem hominem gaudebat, & tota voluntate in eo acquiescebat. Cæterùm ex altera parte, intuēs hominum peruersitatem, Dei templum, id est, CHRISTUM (ita enim de se ipse dixit: *Soluite templum hoc* &c.) ex quo infinitum, & se dignum honorem habebat Deus, non quomodocunque violantium, sed destruentium, disperdentium, & in nihilum redigere conantium; longè quàm Machabæi ampliùs, non quidem *vestimenta*, sed viscera & cor doloris gladio discidit, *planxitq́ planctu magno nimis*; non *cinerem super caput imposuit*, sed ipsa poene facta est cinis; non *super terram cecidit*, sed terram filij & suo dolore contremefecit, Solem ac Lunam pullo amictu induit ac obnubilauit. Io. 2.

Deniq; si CHRISTUM iuxta tertiā ex trib⁹ suprà allatis cōsiderationibus spectemus, qua Deus est; hactenus allata, quantumuis tanta, tam ingentia, tam stupenda, propè nihil sunt

ad causandum dolorem, si comparentur cu
eo, quòd CHRISTVM Deum, Deum, inqu
sic tractari cerneret. Omnium Angelorum
hominum simul sumpta cupiditas tanta n
esset, quantàm habuit Virgo, vt Deus debi
sibi cultu, obsequio, & amore potiretur, qu
túmque eum illa amabat. Ergo, cùm conten
ptum; & quidem tantum pro veneratione, c
Psal. 108. dium & tam flagrans *pro dilectione* recepi
quis dolori ex eo hausto modum aut limit
ponat, qui, vti & zelus atque amor, limites o
mnes transcendit? Quid illud? quòd Summ
Pontifices & Sacerdotes diuino cultui depu
tati & consecrati, insuper constituti, qui po
pulum & leges, & cæremonias, & Dei cultun
docerent, & ad eum rite præstâdum suo exē
plo manuducerent; hunc ipsum Deum ab s
omni cultùs & venerationis genere colendū,
omni genere probri & dedecoris, omni dete-
statione & execratione afficerent, cruciarēt,
perderent, occiderent? neque soli pessimè a-
gere contenti, totum populum suo exemplo,
suasione, adhortatione in societatem tanti
sceleris inducerent? idque nequiter & mali-
tiosè? si vel materialiter tantùm, vt loquuntur
in scholis, peccassent Sacerdotes & Iudæi,
CHRISTVM calumniosis linguis proscindē-
do, & crucifigendo, hoc est, si fecissent, qui-
dem id, quod fecerunt, sed per ignorantiam
tantùm, aut errorem inculpabilem, non anim-
aduertentes vllâ ratione, quòd piaculi quid-
piam

[illegible]am admitterent; imò diuini honoris studio [illegible]sti; adhuc incredibilis doloris B. Virgini [illegible]fet, videre sic cum Deo suo agi. At iam [illegible]bat magis quàm Pilatus, *quòd per inuidiam* Matt. 27. *[illegible]dissent illum*, inuidentes illi, peccato in [illegible]um Sanctum grauissimo, ipsam Deitatē, [illegible] tot argumentis testatam illis fecit Do[illegible]us, vt essent inexcusabiles. *Si nō venissem,* [illegible]it Io. 15. *& locutus fuissem eis: peccatum nō [illegible]erent: nunc autem excusationem non ha[illegible] de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, [illegible] nemo alius fecit: peccatum non haberent, [illegible] autem & viderunt & oderunt & me & Patrem meum. Sed vt adimpleretur sermo qui in Lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis.* Ergo inuidiâ Deitatis, rabiosâ malitiâ, & malitiosâ rabie, & Dei odio incitati, hæc tanta flagitia ac facinora in Deum, cuius se profitebantur cultores & Sacerdotes, perpetrarunt. Quid iam habet vltrà, quo crescat B. Virginis dolor?

§. 3.

Dei Attributorum violatio atrocissimi doloris fomes.

Sed. n. si videatur dolor vltrà progredi, ob nimiā eius exuberantiā non posse; certè dolēdi materia lōgiùs progressa est, quę dolorem, quantumuis iā terminū suū attigerit, excedere cogat, aut eū saltē reciprocet. Nā Dei honori nō quomodocunq; illata vis & iniuria est; sed

sed ita, vt in eius attributa, quę nouimus, po
ne omnia violanda & pessundanda conspira
tum sit, & machinæ omnes admotæ. Sapien
tia pro stultitia habita, & fatuitatis nomin
per hominum ora traducta, ab Herode, &
exercitu eius vt insana spreta, eique albâ vest
illusum. Sed & prius tentata est, vt caperetu
in sermone, accersita in iudicium apud Cai
pham, vbi & cæsa in faciem Sapientia illa, qua
Heb. 1. est facies Dei, vultus Æterni Patris, *splendo*
gloria & imago substantiæ; illa, inquam, facies
illa imago substantiæ Patris cæsa, quasi stult
locuta sit. Adhæc cuius oculis nihil abscon-
Luc. 22. ditum est, nihil occultum, *velauerunt eum, &*
percutiebant faciem eius & interrogabant eum
dicentes: Prophetiza quis est qui te percussit
Sap. 8. O omniscientia, ô *Sapientia quæ ex ore Altissi-*
mi prodijsti, attingens à fine vsque ad finem
fortiter, suauiterq́ disponens omnia, tibine vi-
lissimus vermis, tibi improperat ignorantiã,
à tenui obducto velo? tibi, quæ *intelligis cogi-*
Ps. 138. *tationes nostras de longè, semitam & funiculũ*
inuestigas: quæ cognoscis omnia nouissima, &
antiqua, à qua tenebræ non obscurabuntur, &
nox sicut dies illuminabitur?

Quid iam dicam de potentia, quam maxi-
mè Deus, naturam humanam assumendo de-
clarauit, quamq́ue potissimùm deprædicauit
Luc. 1. Beatissima Virgo? *Fecit potentiam*, inquit, *in*
brachio suo. Cætera enim opera Dei quan-
Ps. 8. tumuis magna, vt cæli, sunt *opera digitorum*

aut

aut manuum eius, aut verbo vno facta. *Ipse dixit & facta sunt.* In Verbo autem incarnato exhibitum brachium, & in eo facta potentia. Inde CHRISTVS dicitur *brachium* & potentia *Domini.* Et, cùm mittenda esset hæc potẽtia in mundum, præmissus est Angelus Gabriel, misit nimirum Deus, *non quemuis Angelum, sed Fortitudinem.* Cum hac, inquam, potentia sic agitur, quasi subacta in triumphum duceretur. Cohors & arma contra illam expediuntur, quasi violentiæ sibi inferendæ resistere nequeat; vincitur funibus, vinculis adstringitur, quasi teneri & cogi posset: Iudicũ potestati traditur, quasi vires ad euadendum non habeat; torquetur, percutitur, clauis ad lignum affigitur, quasi domita omnino sit, nec quidquam possit. Imò illi insultatur & improperatur à patibulario latrone: *Si Filius Dei es salua temetipsum & nos*; exploditur, & exsibilatur, passim ab omnibus: *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.* Subsannatur & traducitur, cum sarcasmo: *Vah! qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud* &c. O! potentia Patris, *portans omnia Verbo virtutis tuæ, qua vsque modo operaris omnia in omnibus, sine qua nihil possumus facere,* siccine tanquam victa, vincta, exarmata, exhausta, subacta, ad nihil redacta despicetis ita prô! dolor illuditur tibi. Isa. 53. Matt. 2 Heb. 1.

Potentiæ affine & cognatum est regnum atque

atque imperium. *Domini autem est regnum, potestas, & imperium, Potestas eius potestas æterna, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Dan. 7. & quidem illius solius. Plinius in epistola quadam dicit: *Is Rex est, qui nunquã Regem vidit.* Itaque, cùm omnes alij Reges Regem super se habeant, Reges verè non sunt. Solus CHRISTVS Dominus noster, est *Rex Regum & Dominus Dominantiũ.* Apoc. 19. At non minùs hoc regnũ irridetur, quã potentia spernitur. Ad quã maximã ignominiã, ludibrium, ac ludũ, scenicus & iocularis Rex, Dominus noster constituitur; pro seipso illi datur arundo, pro diademate spinea corona, pro purpura & Regio paludamento lacerna, pro Regali solio ac throno crux, genu, vt ante Regem flectitur, sed per contemptũ, & cũ sannis: *Aue Rex Iudæorũ*; venerationis loco arundine caput tunditur, facies alapis cæditur, sputis conspurcatur. O! Virgo, hóccine est, quod tibi prædixit Angelus: *Regnabit in domo Iacob in æternũ, & regni eius non erit finis?* Et vtique verum est quod ex Gabrielis ore audiuisti; sed hicné ritus est inaugurandi Regem? hic venerandi? Itáne tuæ, quam de hoc Rege, eiusque regno habès, æstimationi, tuo studio eũ colendi atque adorandi respondetur? cuius tu honoris inexplicabili desiderio tuendi atq; propagãdi ardes, cum eo sic proceditur? huc tua vota recidũt? Sanè immensa illa desiderij & zeli tui flãma, pro tuenda, conseruanda, amplificanda, propa-

Luc. 1.

propagãda, & quaquauersum atque in omnes ætates & sæcula expāanda Dei tui, sæculorũ Regis gloria, laude, imperio, flammam aliam non minorem doloris in te accendit, quòd nõ pro eo ac voluisti, & vis, fiat, sed prorsus votis contraria accidãt, vt verè possis dicere illud: *Misit ignem in ossibus meis*: quia ad ossa & medullas ille doloris tui ignis penetrauit. *Thren. 1.*

Verum enimuero non sola à sceleratis oppugnata est Dei sapientia, non sola potentia contempta, non solum regnum irrisum, sed alia etiam Dei attributa violata ac læsa. Quis enim illud sine horrore ac tremore, sine cordolio commemoret, Sanctitati illi & Bonitati affictum esse scelus, Deum dici malefactorē? Tinnite aures ad nefariam vocem, pili capitis inhorrescite & surrigimini. Malefactorē Deũ, ô nefas! *pronunciatum*, Deum vt malefactorem *accusatum*; tanquam latronem captum ac *vinctum*, ad latronum supplicium condēnatum; *imò* vt scelestis latronibus scelestiorē, medium duos inter latrones in crucem actũ? Deus ergo censeatur & dicatur malefactor? Deus latro? Deus latronibus sceleratior? O cælum! ô terra! Estne aliquid præterea tam immane & horribile, quod dici possit? Est aliud non minùs immane & horribile, quo non Dei tantũ attributa; sed ipsa diuinitas læsa est. Quid illud? Quòd Deus putetur & asseratur blasphemus: *Blasphemauit*; dicunt de Deo, homines nefandi atque execrandi: *Reus* *Matt. 26.*

est

est mortis. Neque Lucifer, neque quidquid d
monum est, neque infernus totus excogit
immanius atque horribilius quidquam p
sunt. Nihil hactenus flagitiosius, atrocius, g
uius existimatum in mundo est, quàm Deu
ipsum ab aliquo blasphemari: at verò affirm
re, Deum ipsum in seipsum blasphemum es
Deum seipsum blasphemare; hæc equidem
iā blasphemia est, sed talis, vt reliquas omn
transcendat, & sit supra omnem atrocitate
& diritatem; præsertim cùm hoc titulo mo
& interitus Deo decernatur, mortis re
Deus proclametur, ille, inquam, cuius esse
tia est esse, cuius nomē est: *Qui est*. Qui in hi
quæ dixi materiam & argumentum vehem
tissimi prorsus acerbissimique in B. Virgin
doloris non concipit, is neque eorum quic
quam, quæ dixi, neque zeli B. Virginis quid
quam concipit.

CAPVT VIII.

Amor & gratitudo ob beneficia, præ sertim peculiaris redemptionis, doloris in Virgine incentiuum.

BEnefactorum morte, alijsvé eorum mali
affici, non virtutis tantùm, sed & natur
est, vsque eò, vt, si quis eius, à quo multa &
magna beneficia acceperit, miserabili stat
non tangatur, non barbariem modò & ferita
ten

tem induisse, sed naturā ipsam penitùs exuisse censendus sit. Quin ipsæ adeò feræ belluæ, quod & ex historijs didicimus, & experientiâ nouimus, quandam quasi humanitatem præ se ferre, & humanis affectibus tristitiæ & commiserationis duci videntur in lugendis ijs, quorum beneficio aut alitę, aut incolumes seruatæ sunt, si quis illis tristis casus, & præsertim mors accidat; vt nonnunquam vel spôtaneâ inediâ, vel alio modo mori cum benefactoribus suis obstinent; quod de canibus, equis, leonibus, alijsque etiam immanibus feris refertur. Quocirca minimum operæ mihi in hoc ponendum erit, vt demonstrem, B. Virginem, ingentibus à CHRISTO acceptis beneficijs, de tanti benefactoris cruciatibus & morte doluisse: *satis* erit ostendere, ingentia beneficia accepisse. Ac, nè longiùs abeam, hi ipsi *cruciatus, hæc* vulnera, quæ coram intuebatur, *hic sanguis* tam copiosè fusus, hæc mors tam acerba, maximum illi beneficium fuit. His enim, & quidem peculiariter præ alijs redempta fuit, hæc in gratiam & bonum *ipsius* potissimùm à CHRISTO tolerabâtur.

§. I.

Duplex redemptionis modus.

Porrò vt hanc peculiarem præ omnibus alijs hominibus Redemptionem, hocque eximium beneficium illi soli collatum intelligamus,

mus, declarandum id nobis, rationibusq́; stabiliendum est. Notandum est igitur cu Theologis ex S. Augustino in ps. 8. duplice esse redimendi modum. Alter est, quo qu iam in carcere constitutus indè liberatur; a ter, & melior, quo quis, cùm iam mittendu esset in carcerem, nè in eum veniat, redim tur. Sic etiam medicamentum duplex est: al terum, quo quis iam in morbum prolapsu ab ægritudine contracta sanatur; alterum, qu quis præseruatur, nè in morbum labatur, i eum alioqui lapsurus, nisi medicamentun illud sumpsisset. Vnde, vt loquitur S. Aug. *rectè & hic postremus dicet Medico: Liberasti me ab ægritudine, non in qua eram, sed in qua futurus eram.* Sic igitur & CHRISTVS duplici modo homines redimere à peccatis potuit: altero, quo in peccatum iam prolapsos per gratiam Dei, quam suo sanguine & passione meritus est, liberaret; altero, quo alios per eandem gratiam præseruaret, & contineret à lapsu. Et ex his quidem certum est, multos suâ redemptionis gratiâ ita præseruasse, vt in nullum peccatum mortale actuale laberentur, qui sine dubio præstantiùs ac nobiliùs redempti sunt, quàm alij, qui in horribile illud mali barathrum ruerunt priùs, & postea indè per eum sunt extracti. At qui etiam à peccato originali sic redimeretur, præter B. Virginem fuit nemo, vni illi hæc prærogatiua cõcessa est, quam sanè *decuit*, vt ait S. Anselmus,

ea puritate nitere, qua sub Deo maior non possit intelligi; adeoque ab omni omnino impuritate etiam originalis culpæ esse, & fuisse semper alienissimam. Et verò CHRISTI merita, passione & morte, quam illa spectabat, consummata, ad eam sic redimendam suffecisse, impius planè sit qui neget; erant enim infinita. Certissimum igitur est CHRISTVM sic eam redimere potuisse; voluisse etsi non desunt, qui aut inficientur, aut dubitent; maior tamen est piorum pars, qui hoc Virgini à Deo collatum beneficium & adstruunt, & fauent, quibus Summorum Pontificum quasi quædam præiudicia suffragantur.

§. 2.

Beatissima Virgo nobiliore modo redempta per præseruationẽ à peccato originali & actuali.

Operæpretiũ mihi facturus videor, si plus de hoc differã; præsertim cũ ad hoc caput, & propositum argumentum pertineat, & rationibus, quæ facilè ab omnibus capi possunt (subtilioribus alijs prætermissis, & ad scholas amandatis) agam. Matriné dilectissimæ hoc redemptionis genus non impenderet Filius, cũ facilè posset, *apud quem copiosa erat redẽptio*? *Ps. 129.* Matrẽ amantissimã sub potestate Diaboli vel momento esse sineret? Refugit hoc animus dicere. Illam, inquam, Matrem quæ Deum genuit, quæ Deo dedi, suum corpus, suum sangui-

sanguinem, suam carnem; quæ ius maternu
habet in Deum, vt in suam prolem, Deum fil
habet subditum vt Filium, quam Deus & su
Matrem vocat, & colit vt Matrem, & amat
Matrem, & ei obedit vt Matri? Illam, cùm i
arbitrio eius & potestate esset, vellet nécn
eam sinere Diabolo subditam esse, noluisse
cùm facile potuerit, ab hac infamia, hoc ma
iore, quàm concipi à nobis posʃit, malo libe
rare? ego sanè nunquam adducar, vt asseram
aut credam, quoad per Ecclesiæ authoritat
licebit. Credimúsne Dei Filium, hominer
Deum, Dei præcepta seruasse? Credimus vti
que, si quid credimus. Honorauerit ergo ma
trem, non minùs enimuero, imò longè etian
plùs, quàm quicunque alij filij suas matres? A
quis est filius, cui non conueniat, vt ita hono
ret Matrem, vt, si eam præuideat, nisi succur
rat, deuenturam, & quidem sine culpa, vlle
suo actu contracta, in manus carnificis, aut a
liam ignominiam, aliúdve grauisʃimum malū
subituram, ei non omittat succurrere, incō
modúmque, illi vt infaustisʃimum, ita summè
aduersum anteuertere, si id facili negotio pos
sit, & medijs, quibus succurrat, abundet; vt
abundabat CHRISTVS, cuius cùm vnica gut
ta sanguinis ad hoc satis superque esset, toti
tamen, Matre inspectante, & lytri profusisʃi
mam abundantiam æstimante, proque se ab
originis macula præseruanda plùs quàm suffi
cientisʃimam agnoscente, effudit? Obsecro, s
sic

si redempta & præseruata non esset, sic eam loquentem ad Filium faciamus: Fili mi, video & agnosco infinitè superabundans redemptionis tuæ pretium, ex tot & tantis, quos pro nobis cruciatibus, tanto sanguinis profluuio, tam acerba morte, tam infinitis meritis. *Potes me non mundare* tantùm à macula ineffabili, sed, nè vnquam eá conspurcer efficere. Matrem tuam me esse voluisti, & *facere mihi magna, qui potens es, cuius nomen sanctū* [illegible] mihi, vt matri, sponte ac volens subdidisti. Si quis est Matri apud Filium precibus locus, nè me sine sub carnificis potestate, nè diaboli mancipium, nè Deo inimicam, nè peccato mortali (quale originale est) fœdatam, nè æternæ damnationis ream esse; si quid materni in te iuris habeo, vt habere me, & mihi subditus esse dignatus es; omni quo possum meliore modo, omni, quem habeo titulo hoc postulo, (& quidem vt rem æquissimam, & tibi facilem, & cum maiore tua gloria, maioréque meritorum tuorum dilatatione coniunctam postulo) succurre matri succurre, cū possis, Fili, & à malo omnium grauissimo eripe ac præserua. Equidem, optionem si mihi des, malo omnia alia malorum genera subire, quàm vel vnico monento Dei inimica, peccato mortali fœdari, quin & malo hac fœditate carere, quàm tua, id est, Dei Mater esse. Magis enim mihi detestabilis est hæc fœditas quàm quodlibet aliud malum, & carentia

Matth. 8.

Luc. 1.

cuiuscunque boni & mali. Et putabimus t
durum & inexorabilem, tam parum aman re
futurum fuisse Dei simul & huius matris fil
filium, inquam, Matris Dei (hic enim vel
cogitationem figas) quæ præter preces & m
terna iura ac titulos, vel ex eo, quòd Dei M
ter esset, quo nil in pura creatura maius co
cipi potest, ingẽs authoritatis pondus ad in
petrandum afferret, etiamsi ab alio quàn
Filio, & à Filio Deo peteret, cuius & potẽt
& bonitas ac benignitas est infinita? putab
mus cum repulsa, imò cum dedecore abit
Luc. 11. ram? *Si nos*, teste CHRISTO ipso, *cùm sim*
mali, nouimus bona data dare filijs nostris, n
que illis damus pro pane scorpionem, pro pis
serpentem, CHRISTVS Dei & huius Matr
bonus Filius, cùm sit ipsa bonitas, non det bo
na data Matri suæ? Matrem suam à Scorpion
morderi, serpentis inferni veneno infici pe
mittat? Salomon matri suæ Bersabeæ magn
cum honoris amorisque significatione exce
ptæ, dixit: *Pete mater mea: nec enim fas e*
3. Reg. 2. *quidquam negare tibi, plus quàm Salomon* Ma
Matt. 12. tri suæ longè aliud aut dicat, aut faciat? no
pro alio, sed pro se, non difficile aliquid au
iniquum, sed æquum & facile, medijs, id est
CHRISTI meritis passione consummatis
sufficientissimis propositis desideranti? &
desideranti non pro suo duntaxat, sed & pr
filij sui honore atque amore; imò pro huiu
magis, quàm pro suo? Nam in quolibet pec
cato

magis detestabile est, & nobis aduer-
sum, quòd Dei voluntati & honori
odióque eius sit obnoxium, quàm
nobis alterius alicuius mali aut incom-
moda sit.

sibi persuadeat, filium, qui secun-
personam ante matrem fuit, quique sibi
ac liberè hanc matrem elegit ac con-
illam odio capitali (posito quod
in peccato originali) prosecutum fuis-
s diabolo vt subdita esset permisisse,
matrem habere voluisse? Satisné
consuluisset suæ? cùm sicut *gloria fi-*
patres eorum, vt ait Sapiens Prou. 17. i-
ta ignominia matris (quæ simul & patris loco
est, quippe Virgo) tanta præsertim ac talis,
redundet in ignominiam filij. Scilicet pul-
chrum hoc illi ac decorum coram cælitibus
& Angelis fuisset dicere, hanc suam esse ma-
trem, quam illi scirent, aliquando Diabolo
subiectam, & Deo odibilem extitisse, & quam
illi Reginam ac Dominam præfecisset, eam
immani infamiâ laborasse. Nihil
apud Angelos infame magis, quàm
præsertim mortale, quale etiam est
originale. Et, cùm illi nullâ vnquam maculâ
fuerint infecti, Reginam suam ea fuisse foe-
dè deturpatam? Ne quæso id nobis per-
suadeamus, sed id potiùs sentiamus, quod
filij in Matrem, & nostra in vtrum-
que pietas sentiendum suadet; hoc præ alijs

priuilegio tanquam matrem fuisse donata vt per filij mortem nobiliùs mater, quàm se ui, redimeretur. Hoc enim charitatis ord quem tam sanctè obseruari etiam inter co munes homines volunt Theologi, poscebi vt mater seruis in redemptione (quæ in p sione omnium maximè peracta est) præferri tur, hoc est, vt Mater & ante omnes redim retur, & meliori modo, quo redimi matre magis, quàm alios decebat, per præseruati nem ab originali.

Quid? quod ad sanguinem illum, quem ta liberaliter ac pœne prodigè coram se spar effundique cernebat, primum ius B. Virgo h buit, vt ex eo fructum caperet? Primnm eni ius capiendi aliquid ex rebus morituri v mortui, Iurisperiti concedunt ei, cuius re adhuc extat apud defunctum. Atqui sangu ille à CHRISTO fusus Matris erat, à qua ill acceperat; cur igitur eius fructu, vt suæ re prima & primariè præ alijs non frueretur; vt si alij per eum redempti sunt à morte pecca originalis, in quam incurrerant, ea redimere tur, nè eam incurreret? Sanguis agni aspersu olim in AEgypto seruauit à morte primoge nita Israëlitarum Ex. 12. Quidni ergo sangui agni innocentissimi Redemptoris in cruc sparsus seruarit & præseruarit à morte eam quæ in omnibus, vt mater, *primatum tenuit* & quam per Ecclesiæ sensum & accommoda tionem, Spiritus Sanctus, Prou. 8. vocat *Primo genitam*

...itam omnium creaturarum? Denique illa *...quæ super omnem dispositionem stellarum ...comparata inuenitur prior* Sap. 8. Per stel-... intelligere licet Sanctos; hos enim illis cō-... Propheta Daniel c. 12. Porrò, sicut stellæ ...cent nisi noctu; ita Sancti lucere non ...runt, nisi ex nocte, id est, passione & ...CHRISTI, *ad quam noctem eum incre-...unt renes eius.* His autem stellis compara-... Virgo inuenitur prior; nempe quia priùs ...ce illa illustrata est, quàm à tenebris occu-paretur. Huc quadrare possunt ea, quæ S. Vin-centius Ferrerius adfert (quem eò libentiùs ...quia & eximiè sanctus fuit, & ex sanctis-sima S. Dominici familia) in serm. 2. de Natiu. Virginis, ad cuius conceptionem accommo-dat verba illa ex Gen. 1. *Fiat lux*; & addit: *Non credatis quia* (lux) *fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur: sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cœlo celebrauerunt festum Conceptionis.* Maneat ergo constitutum ac fixum, B. Virginem pe-culiari modo, præ omnibus alijs hominibus fuisse redemptam, vt nullum neque actuale etiam veniale minimum, de quo nemo Ca-tholicus dubitat, neque originale peccatum contraheret: quod & rationes, quas Theolo-gi tam multas & validas adferunt, vt etiamsi deesset Ecclesiæ authoritas, conuincerent, & Ecclesiæ authoritas, vniuersalisq; ferè omniū fidelium consensus ita stabilit, vt, si etiam

illæ non essent, persuaderet. Quòdsi S. Aug. deAssumptione. c. 4. & 10. dixit, *quanquam a thoritate non cogeretur, sentire se nõ posse, ca nem Virginis vermibus & corruptioni fuisse tr ditam*; quantò magis pius noster in Virgin quem meretur, affectus, & Dei Matris hon ac veneratio nos incitabit, vt non sentiamu animam eius, peccato originali, quòd illa abominabiliorẽ reddidisset, quàm corrupti & vermes corpus; traditam fuisse.

§. 3.

CHRISTVS pro SS. Virgine redimenda potissi mùm in hunc mundum venit.

Et quid ego his diutiùs immoror? Nõ modò præstantiùs, quàm alij B. Virgo redempta est, sed maiora quædam affirmant SS. Patres. S. Bernardinus Senẽsis serm. 51. c. 3. ait, CHRISTVM Dominũ magis venisse in carne mortali pro B. Virgine, quàm pro omnibus hominibus, etiamsi omnes simul, cum illa conferãtur; ob quam causam illam vocat *primogenitam Redemptoris*. S. Ildephonsus in lib. de Virginitate MARIAE c. 12. eã vocat solum opus Incarnationis Dei. *Procido*, inquit, *ante te solũ opus incarnationis Dei*; vel, vt alij codices habent: *Sola opus Incarnationis Dei mei*. Quæ verba Salazar in tomo de Immaculata Conceptione c. 24. à n. 162. varijs modis explicat, quo-

[illegible]orum aliquos, quia magnam B. Virginis [illegible]dem continent, non pigebit adſcribere. [illegible] igitur vocatur *ſola opus incarnatio-*[illegible], quòd eiuſmodi fuerit Virgo ſanctiſ-[illegible], vt, cùm ad eam redimendam CHRI-[illegible] venit, dicere potuerit: *Hoc opus, hic la-*[illegible], in hanc ſcilicet Virginem ſaluandam [illegible] Incarnationis Filij Dei vis profundenda [illegible]. Aliorum hominum ſalus leuioris fuit CHRISTO negotij, in quo etiam ſolo tam ingens pretium redemptionis videri poſsit non ſatis vtiliter & dignè collocatum, ſola Deipara; proprium, &, ſi fas eſt dicere, dignum Incarnationis CHRISTI eſt opus, in quo peragendo infinitum illud pretium decorè eſt impenſum; quippe quæ ſola tantis conatibus dignum opus fuit. Deinde ſicut Sol ſuâ claritate reliquis aſtris lucem & aſpectum eripit, vt ſolus conſpiciatur; ita B. Virgo reliqua incarnationis Dei opera ſuo ſplendore obtegit, vt ſola quaſi appareat, atque emi-[illegible] *eſſe* (inquit Petrus Damian. ſuper [illegible] verba: *Electa vt Sol) in il-*[illegible] *luce perlucens, ſic vtrorumque* [illegible] *ebetat dignitatem, vt in compara-*[illegible] *nec poſſint, nec debeant appare-*[illegible]. Præterea ſola opus fuit Incarnationis [illegible]ei, quatenus hæc propter omnes homines [illegible]ſcepta eſt, vt coniectare liceat, ſublatis [illegible], propter vnam & ſolam B. Virginem nihilominus ſuſcipiendam fuiſſe; ſola enim illa

sufficientem Incarnationis CHRISTI fine sufficientemque redemptionis materiam ex hiberet. Nam, si decuit Deum carnem assumere, & mortem subire, vt homines à peccat redimeret (hic enim primarius fuit Incarnationis finis) quantò magis decuit idem facere, vt solam B. Virginem sic redimeret, vt peccato omni & actuali & originali præseruaretur, quæ redemptio multò nobilior est nec nisi in vnica Virgine locum habet? Insuper cùm plus gratiæ per sua merita CHRISTVS Virgini contulerit, quàm omnibus sanctis hominibus & Angelis simul sumptis, vt c. 4. vidimus; si non malè collocauit sua merita in sanctificandis reliquis Sanctis, non malè certè collocasset, si ea vni Virgini sanctificandæ addixisset, respectu cuius sanctitatis, sanctitates aliorum Sanctorum vix nomen Sanctitatis merentur. Huc spectat, quod dicit S. Bernardinus tom. 4. ser. 8. de flammis 7. amoris Dei, vbi verba illa ponderans: *Exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo. Beata,* inquit, *Virgo exultauit in Deo salutari suo. q. d. singularis Saluator meus. Quia aliqui Doctores speculātes dicunt, quòd Deus assumpsit carnem potiùs propter saluare Virginem singularem quàm omnes alias creaturas* &c. quia scilicet, vt ait Salazar, incarnationis CHRISTI dignissimus effectus fuit Virgo, ita vt Incarnatio, passio & mors CHRISTI plus detulerit vni Virgini, quàm omnibus alijs creaturis simul sumptis.

Adde

[illegible]de etiam Virginem secundùm se digniorem causam esse, vt propter illam Deus carnem assumeret, quàm propter omnes simul [illegible]ituras.

§. 4.

[illegible] redemptionis subinde, præter sua merita, ingentem Virgo accepit.

[illegible] hactenus dictis intelligitur quàm singulare & peculiare fuerit beneficium redemptionis B. Virgini à CHRISTO collatum, cū [illegible] ea redimenda præcipuè CHRISTVS [illegible] & passus sit, & à peccatis omnibus siue [illegible] siue originali fuerit præseruata, nē [illegible] incideret; quod nulli hominum côcessum est, & simul ex meritis CHRISTI, passione & morte consummatis, gratiæ auxilia [illegible] & efficacissima acceperit, quibus adiuta semper bene operando in diuina gratia & sanctitate ita creuit, vt omnes [illegible] eius cumulo ac magnitudine [illegible] & nouo alio, eoque immenso [illegible] CHRISTI pro illa passi meritis, [illegible] thesaurum gratiæ sanctificantis, [illegible] ijs actibus bonis indesinē[illegible] etiam subinde, præter omne [illegible]itum, singulari CHRISTI munificentiâ liberalissimè profusissiméque est locupletata; [illegible]que non tantùm in Sacramento baptismi ex opere operato, sed alijs etiam temporibus

vel opportunitatibus: quale fuit instans illu
in quo Dei Filium concepit, in quo, iuxta cō
munem omnium Theologorum sententian
ex speciali priuilegio consecuta est singulai
perfectionem sanctificationis, ob nouam &
admirabilem præsentiam diuini Verbi, iuxt
verbum Angeli dicentis: *Spiritus Sanctus su
perueniet in te.* Pro qua sententia citat Suare
to. 2. in 3. p. d. 18. s. 3. etiam SS. Patres & D. Tho
mam in 3. d. 3. q. 27. a. 3. & 4. vbi docet gratian
Virginis in filij conceptione fuisse quodam
modo consummatam. & opusc. 60. a. 3. secutu
Magistrum suum Albertum Magnum in Ma
riali c. 69. distinguit plenitudinem gratiæ Vir
ginis, vocatque aliam sufficientiæ, quam ha
buit à principio; aliam abundantiæ, quan
dicit habuisse in Filij conceptione; alian
singularis excellentiæ, quam in toto vitæ de
cursu adepta est. Imò verò fuerunt Theologi
quos citat Suarez supra a. 1. qui dicerent, tam
perfectam in instanti Incarnationis B. Virgi-
nem accepisse gratiam, vt ampliùs in ea cre-
scere non potuerit. Quod quamuis meritò
ab alijs Theologis non admittatur; sine du-
bio enim, dum vixit, maiores semper & ma-
iores in ea progressus fecit; hinc tamen col-
ligitur quanta tunc illi fuerit data gratia; præ-
sertim cùm, vt suprà retuli, Theologi etiam
cæteri omnes, & multi SS. Patres vnanimi
consensu asserant fuisse maximam. Itaque de
hoc extraordinario gratiæ augmento eo in-
stanti

[illegible]ioni accepto sine temeritate nemo dubita-
[illegible]potest. Quin & in hoc, de quo nunc agi-
[illegible]empore passionis & mortis CHRISTI,
[illegible]li, præter meritum, per modum Sacra-
[illegible]is sanctificationis, gratiá fuisse cumu-
[illegible] vti & alijs quibusdam occasionibus ac
[illegible]ibus, probabiliter asserit Suarez supra

§. 5.

[illegible]eficia Beatissimæ Virgini per CHRI- [illegible] collata.

[illegible] ego alia beneficia commemorẽ,
[illegible] Filius, vt in suam Matrem, ex
[illegible] passionis suæ, plenâ manu effu-
[illegible] quid priuilegia, quæ contulit? quæ si enu-
merare singula vellẽ & ponderare, vltra hoc
caput, iustum, [illegible] grande volumen implendũ
esset. Ex his summum omnium, excellentissi-
mumque, quod conferre Deus puræ creaturę
potest, & fons reliquorum singulariũ Dei do-
norum ac prærogatiuarum illud est, quòd ab
æterno in Dei Matrẽ sit electa; ob quod mul-
[illegible] dici potuit id, quod Sauli in Regẽ
[illegible] xit Samuel: *Cuius erunt optima* 1. Reg. 9.
[illegible] *nõne tibi, & domui patris tui?*
[illegible]oc, [illegible], alia consecuta sunt, quę in illa
[illegible] & prædicamus, vt, quòd in ipso cõ-
[illegible]ionis momento rationis vsu donata sit,
[illegible]ctéque tunc, & deinceps Deũ, amauerit,

quòd eundem rationis vsum etiam dormiens retiuuerit, plenáque cum libertate & aduertentia sit operata; quòd in gratia confirmata; quòd in ea extinctus fomes peccati; quòd Votum Virginitatis & paupertatis prima Deo nuncupait, & fortasse etiam obedientiæ, respectu Sponsi & coniugis sui Iosephi; quòd loquelæ vsus illi acceleratus, & dono linguarum prædita; quòd ex parentibus sterilibus & sanctis nata, & ab ijs trimula Deo consecrata; quòd Angelorum consortio & famulatu vsa; quòd corpus sine vllo defectu & optimæ cõplexionis sortita, specie externâ post CHRISTVM formosissima, naturaliter ad omnem virtutem propensa; quòd suo aspectu in alijs castitatis amorem ingenerauerit, & concupiscentiæ motus extinxerit, sua præsentia pietatis & deuotionis sensum cæteris afflauerit, dœmones fugauerit; quòd sacrarum litterarum & diuinorum mysteriorum cognitione mirabiliter super omnes instructa, dono contemplationis in altissimo gradu illustrata; quòd miraculo florentis virgæ desponsata, sine vllo castimoniæ Virginalis periculo, sponsum nacta castissimum, fidissimum, sanctissimum, optimum; quòd ante partum, in partu, & post partum Virgo, in quo nec similem visa est nec habere sequentem; quòd filium Deum nouem mensibus in vtero gestauerit, sibi, quantum potuit maximè coniunctum, eumque à primo statim conceptionis instanti habentem

bentem perfectè organizatum corpus, animatum, & diuinitati vnitum; quòd purissimũ suum sanguinem Deo incarnando suppeditarit, facta cũ illo vna caro, vnus sanguis; quòd à molestijs & sordibus parientium & puerperarum libera fuerit; quòd ad solam eius salutationem, CHRISTI præcursor in vtero sanctificatus, Elizabeth Spiritu Sancto repleta; quòd sola inter omnes creaturas, maximè Deo dicere potuerit: Deus meus es; meus nẽpe filius; prima Deum hominem natum viderit & adorarit, cum illo triginta tribus annis ita, vt dictum est c. 5. egerit; quòd sola inter mulieres à CHRISTO baptizata; quòd non semel, iuxta probabilem multorum Theologorum sententiam, ad diuinæ essentiæ clarã visionem in hac mortalitate sublimata; quòd de sua prædestinatione certa, & præsentis & futuræ suæ felicitatis conscia, ex hoc ab omnibus generationib⁹ beata prædicãda, Cæli & Terræ Regina constituta, miraculis toto orbe futura clara, præ omnibus Sanctis à fidelibus amanda, templis (quæ deinde, etiam dum viueret, ab Apostolis illi fuêre dicata) sacellis, aris, imaginibus colenda, corpore incorrupto manente resuscitanda, & in cælũ ab obuio CHRISTO Filio assumenda; quòd peculiarem chorum super omnes Angelos constitutura, Beatitate & gloriâ omnes alios Sanctos simul sumptos superatura, Dei & hominum mediatrix semper futura.

§. 6.

Quales fuerint Deiparæ ex CHRISTI sui benefactoris ac Redemptoris morte & paßione sensus.

Hæc, & multa alia, quæ aut non occurrũt aut nobis ignota sunt, illi verò fuere perspectißima priuilegia & dona vidit sibi per merita, sanguinem, & mortem CHRISTI Filij sui cõparari. Quid igitur illi animi, quid affectûs, quid amoris fuisse censebimus, cũ cogitauit: His vulneribus, quæ tàm latè & profundè cerno hiare; hoc sanguine, qui tam copiosus vndequaque ex toto corpore Filij Dei defluit; his cruciatibus, hac tali & tam acerbâ morte ego redimor, ego omnibus bonis cumulor, ego beor, ego ad summum felicitatis fastigium euehor. In mei gratiam hæc talia ac tanta libenter & cupidè fert IESVS, amor meus, Deus meus, Filius meus, vt mihi bene, imò optimè sit. Dices fortasse, amorem quidem eúmque maximum, cum summa gratitudine hæc in Virgineo pectore inflammasse; sed nullam videri potuisse præbere dolendi materiam, sed potiùs gaudendi, ob tam ingentia bona hinc in Virginem consecuta. Ita quidem est ex hac parte sola rem considerando. Cæterùm natura comparatum est, & experientiâ constat, cieri doloris sensum, cùm videmus, benefactores nostros affligi, etiamsi in no-

in nostrum commodum affligantur. Mollescit enim & tenerescit affectus ex gratitudine & amore in illos, quos videmus nobis esse beneficos; & sicut illi, sui obliti, & quasi suam afflictionem non sentientes, commoda nostra quasi sua nobis procurant; ita nos vicissim ex mutuo amore, cõmodorum nostrorum quasi obliti, eorum afflictione quasi nostra tangimur. Bonus Filius, cùm aspicit dulcissimum parentem laborare, lassari, sudare, itinerum molestias aliáque incommoda perferre, quãtumuis id sui, & amplificandæ sibi hæreditatis causa faciat; an non animo commouetur? & tenerè optimo, & sui amantissimo genitori condolet? Sponsa si dilectissimum sponsum videat, tametsi in sui gratiam & bonum, ærumnas, & vulnera obuio pectore excipere, & in pericula mortis se dare, parúmne, si verè & multùm amans est, id sentiet? Sic est & cum B. Virgine, CHRISTVM in sui gratiam & commodum patientem ac morientem contemplante; imò eò magis, quò & eius in Filium, Sponsum, Patrem amor, &, quæ ille patiebatur, maiora erant. Quod si tibi tamen inter cętera doloris in Virgine incentiua, hoc nõ maximum videatur, certè alijs, præsertim quibusdam, quæ vel attulimus iam, vel deinceps adferemus additum, ea vehementer acuit, & plurimum exaggerat, vt patebit consideranti.

CAPVT IX.

Amor salutis hominum, quorum Virgo Mater est, causauit in illa dolores parturientis.

§. I.

Quibus modis B. Virgo sit nostra Mater.

B. Virginem & CHRISTI & simul nostrã esse Matrem, communis est fidelium sensus, qui eam tenero cum affectu sic vocitant. *Monstra te esse Matrem*, canit Ecclesia. S. Ephrem sic salutat: *Aue omnium Parens.* S. Athan. serm. de Deipara; *Decet*, inquit, *te Matrē regeneratricem appellare.* Orig. tom. 1. in Ioann. in præfat. *De quolibet*, ait, *dici potest MARIAE: Ecce fili⁹ tuus.* Sed quomodo, & cur nostra Mater est? S. Aug. in lib. de Virg. rationem adfert; quia cùm sit Mater CHRISTI, est etiam membrorum eius. Fideles autem sunt membra CHRISTI, illi, vt capiti connexa. Vnde conijcere possumus, quanto nos amore complectetur, quantâ curâ fouebit, quæ nos sic aspicit, quasi membra, filio suo, veluti capiti per omnem iuncturam coagmentata. S. Ansel. de Concept. Virg. c. 15. indè causam petit, quòd cùm Dei, & eius Filius assumendo humanam naturam factus sit frater noster, *per omnia nobis fratribus suis assimilatus, excepto peccato*; cōsequenter illa facta sit Mater nostra:

O Do-

O Domina, inquit, *si filius tuus factus est per te frater noster, nonne tu per illum facta es nostra Mater?* S.Bern. & S. Ildephonsus aiunt, eam esse Matrem nostram, non tantùm ob id, quòd per humanam naturam similes simus CHRISTO, & eius fratres; sed etiam quia per gratiam omnes iusti filij Dei initiantur, atque adeò fratres sunt CHRISTI iuxta illud S. Pauli: *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, & consequenter filijs B.Virginis. Et fortasse ideo S.Scriptura, cùm de natiuitate CHRISTI loquitur, sic loquitur: *Et peperit primogenitum Filium suum.* Non dicit *Vnigenitum*; sed *Primogenitum*, eò quòd etiam alios filios peperit, id est, fideles, ac CHRISTO coniunctos, eiusque fratres. Vnde SS. Ambros. & Aug. in ps.86. ita legunt: *Mater Sion dicet: Homo & homo natus est in ea*, & interpretantur, cur bis dicat psalmista, *Homo*; quia scilicet ex Matre Sion B.Virgine non solùm CHRISTVS homo, sed etiam totum genus humanum est genitum; vel certè, quia bis genuit CHRISTVM, in se, & in nobis. Hinc vocatur *Mater viuentium*; quod aliâ etiam peculiari ratione declarari potest. Nam CHRISTVS appellatur *Pater futuri saculi*, dicitur vita; *In ipso vita erat*, & *vita erat lux hominum*; ipse est, *in quo viuimus, mouemur, & sumus*. Cùm ergo vitam nostram CHRISTVM B.V. pepererit, nónne per illam, qui viuimus, vitam habemus? nónne meritò vocetur *Mater viuentium*? Et cùm genuerit

Rom.8.
Matth.1.
Is.9.
Io.1.
Act.17.

Patrem

Patrem futuri sæculi. si pater ille eius filius est, si & Sponsus est, cui se totam voto virginitatis consecrauit & desponsauit, an non ij, qui de futuro sæculo sunt, & nepotes, & filij eius sunt? Quinimò cum CHRISTVS sit verè pater omnium sæculorum; quia ab illo vitam accipiunt electi & antecedentium sæculorum, & consequentium, horum omnium consequenter illa mater est. Et, quid si (si licet in S. Scriptura sic argutari) cùm apud S. Matthæum genealogia CHRISTI texitur, quæ etiam in festis Natiuitatis, & Conceptionis B. Virginis solet recenseri, & cùm toties iteretur illud vocabulum (*genuit*) *Abraham genuit, Isaac genuit* &c. quando ad B. Virginem & CHRISTVM peruenitur, omittitur *genuit*, & sermone mutato dicitur: *De qua natus est IESVS, qui vocatur CHRISTVS*; quid si huius rei ea quoque adferatur ratio, quòd CHRISTVS & B. Virgo, non tam ab illis, qui ibi enumerantur, progenitoribus sint geniti, aut sint eorum filij & nepotes; sed contrà potiùs, quòd, cùm B. Virgo ea sit, *de qua natus est IESVS, qui vocatur CHRISTVS* vita hominum, adeóque ipsa progenitoribus suis genuerit vitam; aptiùs illa dici possit eorum Mater; & illi eius filij ac nepotes? Quo referri potest illud Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum; quoniam ipse est Dominus Deus*

tuus,

[illegible], & adorabunt eum. Monetur Virgo, vt familiæ, siue domûs patris sui, ac populi curam & memoriam deponat. Quod illa exacte est executa. Nam perpetuæ Virginitatis votum emisit, nihil de propaganda augendaue familia solicita, sed domûs patris ac populi sui penitùs oblita. Sed enim longè plus est consecuta. Nam *Rex, & Dominus Deus eius,* & qui meritò ab omnibus *adoratur, concupiuit decorem eius,* eamque sibi, sine Virginitatis (ob quam seruandam, familiæ suæ oblita fuerat) iactura in Matrem elegit, & constituit; effecitque, vt sicut ille suorum progenitorum erat vita & pater, ita illa esset Mater, adeóque, vt noua familia ab ea tanquam familiæ huius capite originem duceret, in qua præter copiosam aliam turbam filiorum ac nepotum, etiam parentes eius, eius essent filij. *Pro patribus tuis,* inquit ibidem psalmista, *nati sunt tibi filij.* Et, quia summi & adorandi Regis ac Domini Mater esset, potestatem haberet, eosdem ex suis, creandi Principes, aliisque nobilitatis titulis in sua noua familia fulgentes: *Constitues eos*, sequitur in psalmo, *Principes super omnem terram*; idque non vno tantùm sæculo aut generatione; sed: *Memores erunt nominis tui,* tanquam suæ Matris, & à qua sunt adepti, quidquid veræ nobilitatis, quidquid splendoris habent, *in omni generatione & gene-*

generationem Et nónne S. Anna, & S. Ioachim, in cuius die feſto hæc ſcribo, quidquid nominis habent & famæ, quidquid claritudinis, per illam ſunt conſecuti? Nónne de S. Ioachim canit Eccleſia, eique ſingulari laudi ac decori tribuit, quòd illum *Deus præ omnibus Sanctis Patrem Genitricis Filij ſui eſſe voluerit?* an non hoc eſt *conſtitui Principem*, & quidem præ omnibus Sanctis? Quanquam S. Ioachim B. Virginis ita pater eſt (quæ eſt eximia eius dignitas ac nobilitas) vt (quæ non eſt minor) ſit etiam eius Filius, eo modo, quo eſt paulò antè explicatum. Tanti momenti, &, vt ſic loquar, importantiæ fuit SS. Virgini, *obliuiſci domum Patris ſui, & populum ſuum*, vt nouam domũ noua mater, nouam familiam, nouum populum clariſsimæ nobilitatis & dignitatis ordiretur, in qua familia eam prædicarent, *& beatam dicerent omnes generationes*; & *propterea* (verba ſunt vltima pſalmi 44. prioribus quæ attulimus meritò attexenda) *populi confitentur illi in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Hæc ergo ſunt quæ oſtendunt, quomodo B. Virgo ſit noſtra mater.

Luc. 1.

§. 2.

Peculiari modo ſub cruce facta eſt noſtra Mater.

Sed eſt præterea aliquid, per quod Mater noſtra effecta eſt, quod noſtro propoſito magis

magis seruit, nempe dum sub cruce stetit: *Ex tunc enim*, vt loquitur S.Bernardinus Senensis tom.3.serm.6.art.2.*omnes in suis visceribus baiulabat, tanquam verissima Mater filios suos*, & tunc nos parturiuit, vt possit de ea dici illud Isaiæ vltimo: *Parturiuit Sion filios suos.* Et quidem quando primogenitum Filium suum IESVM parturiebat, & pariebat, non modò nullum dolorem sensit, sed incredibilem potius iucunditatem ac gaudium: at seruati sunt illi, magno cum fœnore & augmento dolores parturientium pro ea parturitione, quâ sub cruce nos parturiuit. Pulchra illa Rachel duos scribitur habuisse filios, alterum, eumque primogenitum Iosephum, qui deinde *præpositus est vniuersæ terræ AEgypti, mundi Saluator* appellatus, quem *Sol & Luna, & vndecim stellæ adorarunt*. In huius, summis à Deo votis & precibus expetiti Iosephi partu Rachel magnam lætitiæ significationem dedit, vt videre est Gen.30. vt præter alia, etiam diceret: *Addat mihi Dominus filium alterum*; ob quam lætitiam primum filium vocauit Ioseph, quod vocabulum *augmentum* significat. Et addidit quidem longo pòst tempore illi Deus filium alterum; sed, cùm eum parturiret, *ob difficultatem partûs*, vt dicitur Gen.35. *periclitari cœpit*; imò & *præ angustijs mori*. Vnde, vt sequitur in sacro textu, *egrediente anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni, id est filius dextræ.* Sic habet res & cum pulcher-

pulcherrima nostra Rachaele, Beatissima Virgine. Habuit & hæc duos filios, primum IESVM, mundi Saluatorem, præpositum Regem & Dominum cæli & terræ, quem Sol, & Luna, & Stellæ, & creata omnia adorant, *flectiturque illi omne genu*. Hunc inenarrabili cum lætitia peperit. Alter filius, qui illi additus est, & quem illa sponte ex charitate suscepit, est hominum genus verè *Benoni, filius doloris*, quem tanto cum dolore sub cruce parturiuit, vt, nisi fuisset confortata à Deo, non minùs, quàm Rachel præ dolore obijsset. Cōfirmat ea, quæ diximus, Salazar in c.8. Prou. v.30. n.340. adducto textu ex Cant. 8. iuxta lectionem Septuaginta, & interpretationem Theodoreti, quo CHRISTVS alloquitur Ecclesiam: *Sub arbore malo excitaui te, ibi peperit te mater tua, ibi parturiuit te genitrix tua.* Sub arbore malo, id est, sub cruce, quæ mihi ex arbore illa parata fuit, ex qua Adam vetitum malum gustauit, *excitaui te*, erexi te à ruina, ô homo, *ibi peperit te*, & quidem ingenti cum dolore (hoc enim indicat additum verbum *parturiuit*) Genitrix tua MARIA. Vel certè possumus verba & sensum diuidere, vt *peperit* referamus ad primam Euam, *parturiuit* ad secundam Euam MARIAM, sicque exponamus. *Ibi*, scilicet *sub arbore malo*, Eua prima *te peperit*, & peccatis sordidum te edidit; & ibidem, sub cru-

Philip. 2.

ce sci-

ce scilicet, ex malo illa orta, *partus innit te genitrix tua* secunda Eua MARIA. Rectè igitur Rupertus ponderans illa verba: *Mater cum parit tristitiam habet: Proinde*, inquit, *quia hic dolores vt parturientis sustinuit, in passione Vnigeniti sui, omnium nostrum salutem B. Virgo peperit, & facta planè omnium nostrum Mater est.* Quin & ipse CHRISTVS Matrem nostram illam ex cruce constituit: cùm enim dixit discipulo: *Ecce Mater tua*; S. Ioannes tunc fidelium omnium *Io. 19.* personam referebat, quibus hoc ipso commendauit, vt eam tanquam suam Matrem agnoscerent, & vt Matrem colerent, venerarentur, atque amarent. Cùm verò Matri dixit: *Mulier ecce filius tuus*; maternum illi affectum erga nos, alioquin iam exuberantem, & eximium, magis etiam auxit, vt nos curâ & amore materno tanquam filios complecteretur. Et notandum, quòd Dominus, dum eam alloqueretur, vsus sit vocabulo non *matris*, sed *mulieris*. Cùm enim illi, sui morientis loco, alios filios tribuere vellet, si eam matrem nuncupasset, videri potuisset tanquam de sua Matre, vti reuera erat, duntaxat loqui. at, cùm vocauit *mulierem*, vocabulum vsurpauit, quod significaret Matronam, quæ & plurium filiorum Mater esset, & minùs ad se solum Filium denotandum trahi

accom-

accommodarique posset, quasi solius ipsius esset Mater, solus ipse eius Filius. Porrò loquendo ad S. Ioannem: *Ecce Mater tua*; commune illud *mulieris* nomen restrinxit ad particulare nomen *Matris*, vt nos quoque eam Matrem nostram peculiariter crederemus, & pro Matre haberemus. Quanta hæc dignatio? Nónne satis, & plùs satis fuisset dicere: Ecce Domina tua; Regina tua, Patrona tua? sed dixit: *Ecce Mater tua*; quia verè erat & constituebatur nostra Mater, vt quæ vnum & communem cum Deo Patre æterno habebat Filium Deum; communes quoque cum Deo Filio haberet filios homines, & sicut in societatem & consortium præstantissimi tituli *Partus* respectu eiusdem Filij Dei à Patre æterno vocata & adscita est, ita nos in societatem ac consortium & Dei, & eius filiorum ac fratrum vocaremur, hoc ipso, quòd esset & Dei & nostra Mater, communi cum Deo *Parentis* gaudens nomine. Nónne grandis est hæc nostra felicitas?

§. 3.

Quis sit ille modus, quo sub cruce Mater nostra facta est.

Sed quomodo, inquies, & quâ ratione sub cruce Mater nostra facta est? quomodo nos parturiuit? quomodo peperit? Respondeo, quia ad salutem & vitam nostram, tunc maximè, & peculiari modo cooperata est,

CHRI-

CHRISTO propè aſsiſtens, *operanti ſalutem noſtram in medio terræ.* Verba illa ex cap. 8. Prou. v. 3. *Cum eo eram cuncta componens.* ex Hebræo alij ſic vertunt: *Ego eram prope ipſum nutritia*, vel vt Chaldæus habet; *In latere illius eram quaſi nutritia*, quaſi parens ſcilicet & nutrix hominum, eorum procurans ſalutem & promouens. Nec ineptè Philippus Diez, & cum eo Salazar, alias ſententias, quæ in eodẽ capite Prouerbiorum habentur, illi iuxta crucem ſtanti accommodat: *Quando præparabant cœlos aderam*; quando ſcilicet iuſtos ex cruce creabat: *quando certa lege & gyro vallabat abyſſos*: id eſt, damnatos cæco inferni carcere concludebat. *Quando appendebat fundamẽta terræ*, id eſt, fidem Petri, Apoſtolorumque ſolidabat, ſuper quos Apoſtolos, tanquam ſuper fundamenta nos ſuperædificati ſumus: *quando librabat fontes aquarum*, id eſt, pœnitentiam & lachrymas peccatoribus iuxta mẽſuram criminum diſpertiebat, vti Petro, qui eo tempore *fleuit amarè*, & bono latroni, quẽ ideo conuerſum dicit Petrus Damianus apud Salmeronem tom. 12. tr. 40. quòd B. Virgo quæ aſtabat CHRISTO crucifixo, pro eo preces fuderit. Erat ergo Virgo Deipara cum CHRISTO Filio ad crucem *cuncta componens*, & noſtræ ſaluti cooperans, & quidem, vt dixi, peculiari modo, non ſicut alij Sancti dicuntur cooperari ſaluti aliorum hominum, ſiue pro eis orando, & gratiam ac vitam impetrando,

siue per Apostolica munia ad eorum salutem adiuuando, & per hæc CHRISTI vices & ministerium obeundo. Vnde & Apostoli vocan-
1. Cor. 3. tur *adiutores Dei*, Ministri CHRISTI, *dispen-*
1. Cor. 4. *satores mysteriorum Dei*, & S. Paulus de se dicit ad Coloss. 1. quòd *adimpleat ea quæ desunt passionum CHRISTI in carne sua, & impleat verbum Dei*, non quidem ita, quasi desit aliquid passioni CHRISTI quoad sufficientiam pretij, quod erat infinitum, & ad redimendos innumerabiles mundos etiam abundabat; sed, quia Paulus hoc pretium, multa & ipse aspera in carne sua tolerans, hominibus multis, pro eorum salute applicabat; prædicationemque Euangelij (hoc enim est *implere verbum Dei*) quam cœpit CHRISTVS, complebat, & sic, vt explicant hunc locum Interpretes, opus redemptionis humanæ, ad quod à Patre missus est CHRISTVS in mundum, absoluebat, ac perficiebat, sicque CHRISTO *cooperabatur in opere diuinorum omnium*, vt loquitur S. Dionysius, *diuinissimo*. Verùm præter hos modos, longè sublimior & excellentior fuit alius, quo Beatissima Virgo vitam & salutem omnium nostrûm adiuuabat & ad eam concurrebat cum CHRISTO crucifixo quóque Mater nostra effecta est, qui nulli alteri puræ creaturæ potest competere. Consistit hic modus in eo, quòd, cùm sciret Patris æterni voluntatem, vt Filius pro salute humani generis

neris pateretur ac moreretur, huic voluntati illa se penitissimè conformabat, suamque illi adiungebat, adeóque Filium suum IESVM, ipsa quoque morti ac cruciatibus ex ardentissimo in homines amore, pro eorum vita offerebat, idque toto quidem vitæ suæ decursu, sed præcipuè tempore Passionis. Ponderat hæc S. Bonauentura in serm. 1. de Virgine tom. 3. operum: *Nulla*, ait, *postea creatura ita per amorem nostrum exardescet, quæ amantissimum Filium suum & vnicum, quem mulier plùs seipsa amauit, nobis dedit, & pro nobis obtulit.* Et alibi accommodat illi verba illa apud S. Ioannem c. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: vt eadem de B. Virgine efferri possint. Sic MARIA dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Sic & illa Rom. 8. quæ dicuntur de Patre æterno: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, aliqui etiam B. Virgini quadrare aiunt. Nam & hæc proprio Filio non pepercit, siue vt est in græco (ἐφείσατο) non reseruauit eum, sed pro nobis liberalissimè obtulit, & libentissimè tradidit, nostrî amantissima nostræq; salutis sitientissima. Et, quamuis ex vna parte sũmè doleret dolores Filij sui, ex altera tamẽ parte gaudebat & exultabat ob redemptionẽ generis humani. Vnde Tostat. in c. 9. Deuter.

occurrens obiectioni, quomodo potuerit gaudere, cùm valde doluerit filij mortem, sic ait: *Virgo in tempore passionis ex charitate magna, qua eam repleuerat Spiritus Sanctus, ardenter diligebat salutem generis humani. Cùm ergo eum vidit patientem, admirabiliter consolabatur; quia certissimè videbat redemptionem humani generis factam. Dolebat tamen acerbè, quia videbat tenerrimum illum iuuenē CHRISTVM IESVM, quem ipsa conceperat, ipsa lactauerat, quem magis diligebat, quàm animam suam, ita vt pro illo mori elegisset, si licuisset. Erant ergo in ea simul dolor & gaudium, vtrumque magnum, sed satis vnum alteri concordabat.* In eundē sensum loquitur S. Bonau. in 1. dist 48. q. 2. vbi de Deipara ait: *Et in hoc miro modo debet laudari & amari, quòd adeò compassa est* (filio scilicet patienti) *vt si fieri potuisset, omnia tormenta, quæ Filius pertulit, ipsa libentiùs sustinuisset: & nihilominus placuit ei, quòd vnigenitus eius pro salute generis humani offerretur. Verè ergo fuit fortis & pia, dulcis pariter & seuera, sibi parca & nobis largissima. Ideo nobis amanda & veneranda post Trinitatem.* S. Mechtildis l. 1. reu. c. 56. narrat, visum à se Seraphinum, qui salutaret Virginē, ob amorem, quo Deum, præ omni creatura in terris dilexit (ex qua Dei dilectione dilectio in homines manabat) *quia amor in passione Vnigeniti sui in ea tantum praualuit, vt omnem humanum affectum penitùs deuinceret*

& ex-

& extingueret; quia omni creatura in morte filij dolente, ipsa sola cum Diuinitate immobilis, & gaudens Filium suum pro mundi salute voluit immolari. Plus adhuc dicit S. Antoninus, D. Virginem sic alloquens: *Et tamen ita diuinæ voluntati conformis fuisti, vt salutis humanæ auidissima esses* (& subdit deinde) *vt dicere audeam, quòd si nullus fuisset repertus, qui Filium crucifigeret, ad hoc vt sequeretur salus hominum, & adimpleretur voluntas Dei secundùm rationem, si oportuisset, ipsa posuisset in crucem.* Neque vero cuiquam S. Antoninus nimium dicere videri debet, tametsi ad hæc verba primâ specie concutiatur & cohorrescat animus. Credibile enim id, quod dicitur, imò certum facit Virginis Sanctissimæ propè infinitum Dei voluntati parendi studium ac promptitudo, quam nulla imaginabilis difficultas, non modò non pessundare & tollere, sed nè minimùm quidem labefactare, aut vel tantillùm de suo gradu dimouere poterat; præsertim si Dei voluntati coniuncta esset salus hominum, ab ea ardentissimè amatorum. Certè non desunt graues authores, qui asserant, D. Virginem suis ipsam manibus Christum infantulum octauo die circumcidisse, quantumuis id fieret cum ingenti filij cruciatu; quippe qui cùm tantus esset, vt alios paruulos sæpe in vitę discrimē adduceret, magis etiam Christum ex eo affecit, quòd priusquā circumcideretur, quid secum agēdum, quantúsque

túsque is in delicatissimo suo corpusculo futurus esset, probè sciebat. Quia tamen sanctissima Virgo, & Dei voluntatem ac mandatum, vt circũcideretur infans, & fusum ab eo sanguinem pro lytro nobis futurum intelligebat; tenerrimũ & vehementissimum amorem erga Iesulum filiolum, & Deum suum, maiore & præstãtiore alio Dei & nostri amore superauit, vicitque se, vt eum ipsamet circumcidere & posset, & vellet. Quin etiam iam tũ, Virgo Filium per eius infantiam ideo quoq; lactabat, vt ei materiam sanguinis, quẽ pro nobis nõ in circumcisione tantùm, sed & in cruce funderet, suppeditaret; Patris æterni obtẽperans voluntati, & nostro simul amori indulgẽns: sicut & Christus ideo lac suxit, vt sanguinem quem effunderet, haberet. *Suxit mãmam*, inquit S. Athanasius, *vt diuinum illud lac nobis scaturiret, quod ex proprio latere profundit; nihil enim aliud est lac nisi sanguis album.* Vnde Baëza noster to. 1. li. 1. c. 12. B. Virginem comparat Heroinæ illi Iaheli, de qua Iud. 4. quæ Sisaræ Principi militiæ Regis Iabin primùm quidem *aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum pallio*, deinde verò clauo transfixit; ita nimirum B. Virgo vbere de cœlo pleno ducem & Filiũ IESVM lactauit, pallioque mortalitatis & carnis nostræ operuit, clauis deinde configendũ. Et quẽadmodum scelerati Iudæi ex odio in Christũ ac maleuolentia, sanguinẽ eius sitientes, dicebant illud

illud Ierem. 11. *Mittamus lignum in panẽ eius*; ita Virgo benedicta ex nostri amore ac beneuolentia, & studio Deo obsequendi, filijque sui in nos charitati (quanquam materno affectu renitente) obsecundandi, hæc Iudæorum nefaria desideria, suo in nos & Deum amore etiam anteuertit, neque expectauit panẽ, sed in lacte porrigendo, quodammodo lignũ misit, vt nec guttam lactis exsugeret infans, cui non redderet in ligno fluuium sanguinis. Hoc igitur modo Christum eiusque sanguinẽ, pro nobis, próque vita & salute nostra offerendo & præbẽdo, Mater nostra, B. Virgo effecta est.

§. 4.

Magis explicatur hic modus.

Verùm vt magis intelligatur hic modus, quantúmque per hanc tam generosam, tã in nos liberalem & amoris plenam oblationem contulerit ad salutem nostrãm Virgo, Dei simul & nostra Mater, quamque fuerit illi soli singularis ac peculiaris hæc oblatio, vt nulli alteri hominum conuenire posset, non id solũ in ea æstimandum est, quòd per eam CHRISTVM Deo obtulerit: nam etiam nos, idque valde meritoriè, & ad magnum Dei beneplacitum ac gustũ, CHRISTVM Deo Patri offerre possumus; sed quòd eum offerendo, *suum* aliquid obtulerit, nẽpe Filium *suum*; Filius enim est aliquid matris, & pertinet ad Matrẽ. Itaque ad salutẽ nostrã de *suo* contulit B. V. quod *suũ*

erat dedit, *suâ* se re abdicauit, & quasi fraudauit, vt nos salui fieremus. Hoc soli illi proprium est. Adde quòd cùm caro CHRISTI, in qua passus est, & sanguis quem effudit, fuerit caro & sanguis B. Virginis; carnem enim & sanguinem ab illa CHRISTVS accepit; dum CHRISTI carnem passioni & doloribus obtulit, suam quasi carnẽ obtulisse, dum CHRISTI sanguinem profundi consensit ac voluit, suum sanguinem profundere voluisse censenda est.

Prçterea hoc etiam animaduertendum est, quòd vti & alia, bene obseruat Salazar in c. 8. Prou. v. 19. n. 211. & 216. præter id quòd B. Virgo CHRISTVM, quem communem & eundem cum Patre æterno habebat Filium, cum eodẽ pro salute hominum dederit, suam voluntatem cum sanctissima eius voluntate confirmans ac vniens, eumque multò magis ac perfectiùs, quàm Abraham Isaacum in holocaustum Domino offerens: quòd, inquam, eandem suam voluntatem etiam cum Filij (qui vt ait Apostolus Eph. 5. *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis)* voluntate iunxerit, eumque suâ voluntate sit imitata, vt ille quidem seipsum; illa verò suum, quem seipsâ chariorem habebat, Filium voluntariè offerret. *Omnino*, inquit Arnoldus Carnotensis in tract. de laudibus MARIAE, *tunc erat vna CHRISTI & MARIAE voluntas, vnumq; holocaustum ambo pariter*

pariter offerebant Deo; hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis. Et addit, quod ad rem nostram notabile est: *Vnde communem in mundi salute cum illo effectum obtinuit.* Apud Iurisconsultos in causis agendis, *eadem est Filij & Patris vox*, leg. fin. c. impub. Itaque & B. Virgo cum Filio, & eàdem quasi voce, & eàdem cum illo voluntate causam nostram apud Patrem æternum egit, & ad salutem nostram concurrit. Quod enim ille agebat, hoc suo modo egit, quod volebat, voluit, quo ille Deũ glorificauit & placauit, hoc eodem illum glorificauit & placauit idem denique cum illo holocaustum obtulit. Nam ille quidem seipsum hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam Deo infinitè placentem & placabilem, Deo per mortem & vulnera promptissimè volentissiméque sacrificauit: hæc cum illo nó minùs, vt suprà dixi, quàm olim Abraham Isaacum; Filium hunc suum IESVM, Filium, inquam, qui totus eius erat, simili promptitudine & voluntatis affectu Deo in sacrificium, rem pretiosiorem, quàm si se ipsam dedisset, & sibi seipsa chariorem, & (hic enim vis est) ex integro *suum*, itidem, & in idem sacrificiũ dedit ac præsentauit, adeóque cum Filio salutem nostram operante operata, & ad salutẽ nostram cooperata est. Hinc à S. Epiphanio in sermone de laudibus Virginis, appellatur *velut Sacerdos. O Virginem*, inquit, *stupendam Ecclesiæ thesaurum, qui adeptus est ingens mysterium,*

rium, Virginem appello velut Sacerdotem pariter & altare, quæ quidem mensam ferens, dedit nobis cælestem panem CHRISTVM *in remissionem peccatorum.* Cur velut Sacerdotem vocat? nisi quia cum Sacerdote filio, & ipsa per modum Sacerdotis, eandem hostiam æterno Patri obtulit pro hominũ redemptione. Vocat eam etiam altare; quia, vt ait Salazar sup. n.213. CHRISTVS Dominus semel quidem in cruce; at in corde illius millies mactatus fuit, nimirum toties, quoties illum morti voluntariè addixit.

Addi ad iam dicta & hoc potest, quòd B. Virgo non tantùm cum Patre æterno CHRISTVM *rem suã* nobis in salutẽ nostrã dederit, non tantùm simul cum CHRISTO, vniens suã voluntatem eius voluntati, illũ sacrificauerit; sed etiam quòd eum insuper rogauerit, vt ipse se, eius quoque nomine, Deo in holocaustum pro hominibus offerret. CHRISTVS autẽ respiciens hãc Matris suæ dilectissimæ petitionem, ea inclinatus, non solùm, quia petitio erat, sed etiã, quia per illam Mater, cui, vt Filius, subditus erat, suam voluntatem, eamq; piam ac sanctam declarabat, adeóque ex quadam filiali obediẽtia illi obsecutus est, seque nouo hoc etiam titulo pro hominibus in cruce immolauit, atque ita ex aliquo B. Virginis quasi imperio, fundato in iure materno, quod plus esset quàm nuda petitio, prodijt condigna pro nobis satisfactio, & nostra redemptio

quo-

quo nomine illi singulariter obligati sumus. Neque enim illi CHRISTVS, præsertim rem sanctam petenti negare potuit, aut non illius, vt Matris, rationem habere, cui ille proniùs, quàm Salomon suæ matri dixerit: *Pete mater mea; nec enim mihi fas est aliquid negare tibi.*

Sed nec illud paruæ considerationis est, quòd B. Virgo, non tantùm per CHRISTVM, sed etiam apud CHRISTVM salutem nostram procurabat modis iam dictis, qui filius eius erat. Duo enim in CHRISTO distinguere debemus, quòd fuerit & is, qui satisfaciebat pro nobis, qua homo erat, & is, cui satis fiebat, qua Deus erat. Nam vt ait Apostolus 2. Cor. 5. *Erat in CHRISTO Deus, mundum reconcilians sibi*, hoc est, is erat CHRISTVS, qui & reconciliabat Deo mundum (siue, qui mundum redimebat; per hanc enim reconciliationem redimebatur mundus) & cui, vt Deo, mundus reconciliabatur. Cùm ergo B. Virgo, vt Mediatrix & Mater nostra, agebat de vita & salute nostra, agebat & per Filiũ, qui eius, vt Matris, voluntate moueretur, vt ea in passione morte & meritis suis pro nobis satisfaciẽdo, procuraret ac obtineret; ad quod, vt Mater, magnam, hoc est, maternam adferebat authoritatem; & agebat apud eundem Filium, apud quem vel à quo vita & salus procurabatur; cui actioni, ex eo quòd eius Dei Mater esset, magnum ibidem pondus accedebat.

Quia igitur tam singulari ratione saluti nostræ cooperata est, idcirco peculiaribus titulis eam etiam tum mortalem ornant SS Patres, qui in alios Sanctos cadere non possunt. S. Irenæus *vniuersi generi humano causam salutis factam*; S. August. *vti auctricem peccati Euam; ita auctricem meriti MARIAM*; S. Anselmus *hominum reparatricem*; S. Hieron. *Vitam nobis datam per MARIAM*; vel, vt loquitur Chrysologus: *Angeli mirantur, omnes homines vitam meruisse per fæminam.* Alij *salutis auctricem, causam, mediatricem* appellant. Verum est tamen, longè hæc aliter, & infinito internallo ampliùs & nomina & rem CHRISTO competere, quàm Virgini. Ille enim fuit nostræ salutis causa principalis; solus ille meritis passionis & mortis suæ, quæ ob vnionem hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo, erant infiniti valoris & pretij, integrè pro debito nostro satisfecit: ille, vt loquuntur in scholis, vitam & salutem omnibus meruit de condigno; Deipara autem tantùm de congruo, & solùm per modum interpretationis; salutem videlicet nobis, per spontaneam Filij sui, vt rei suæ, eiusque vitæ & passionis oblationem, & per suam voluntati Filij circa idem obiectum versantis conformem, & quasi identicam voluntatem procurando.

§. 5.

§. 5.

Quàm præstans sit hic modus, ostenditur.

Cæterum, quamuis, vt dixi, oblatio hæc Filij, quatenus erat à Virgine, infinito interuallo distet ab oblatione, qua seipsum CHRISTVS obtulit; tamen, si consideretur, non vt collata cum oblatione CHRISTI, sed vt in se est, erat etiam ingentis apud Deum pretij, illi gratissima, & ad impetrandam salutem nostram efficacissima. Erat enim à persona nullo vnquam peccato maculata, omnibus alijs puris creaturis etiam simul sumptis sanctiore, & Deo acceptissima; erat item oblatio rei pretiosissimæ, nempe CHRISTI Filij Dei, & rei quæ eius propria fuit, quæ eam offerebat, nēpe Filius Matris, & quidem ita eius propria, vt simul esset eius cui offerebatur, eiusdem cū illo substantiæ, ita vt si illi offerretur, offerretur id, quod non solùm esset illius quasi cor & anima; sed quod ille tanquā se amaret, & vt veram ac realem sui imaginem & *figuram substantiæ* suæ gratantissimè respiceret. Nam, vt ait S. Anselmus lib. de excellentia Virginis c. 3. *Pater æternus suum tam vnicum, quàm dilectissimum, & in omnibus omnino æqualem, non est passus remanere solummodò suum; sed eundem ipsum in rei veritate esse vnicum, & dilectissimum, & naturalem MARIAE Filium voluit; nec ita, vt duo essent, vnicus videlicet suus Filius, alius Filius Sanctæ MARIAE; sed idem* *Heb. 1.*

 omnino.

omnino. Et S. Bernardus; *Ipsa*, inquit, *est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogatiua MARIAE, quòd Filium vnum eundémque cum Deo Patre meruit habere communem*. Cùm ergo SS. Virgo offerebat Patri æterno CHRISTVM Filium, adeò, vt dictum est, suum, & simul, quo Pater æternus nihil habebat magis suum, & sibi charum; quam grata & pretiosa ex hoc capite debuit esse oblatio? Denique eadē oblatio à B. Virgine facta maximi & indè erat momenti ac ponderis, quòd esset difficillima. Quæ enim maior cōcipi potest difficultas, quàm Filium vnicum, rebus omnibus imaginabilibus chariorē, offerre dirissimis cruciatibus, & morti acerbissimæ addicere? Fuit ergo omni ex parte hæc oblatio eximiæ prorsus dignitatis, meriti & excellentiæ, per quam, vt ait D. Anselmus, *Mater nostra facta est*. & S. August. in lib. de S. Virginitate eam vocat *Matrem spiritu membrorum* CHRISTI, *quæ nos sumus, quia*, inquit, *cooperata est charitate sua, vt fideles in Ecclesia nascerentur*. Neque post oblationem CHRISTI, qua seipsum obtulit potest aut esse, aut fingi maior, aut Deo acceptior actus.

§. 6.

Matris nostræ sub cruce nos parturientis dolor.

Sed videndum iam nobis est, an, & quanti doloris in Virgine, hæc noua maternitas, & nostri,

nostri, nostræque salutis parturitio origo fuerit? Parturientium mulierum dolori dolorem eius aut comparant, aut præferunt SS. Patres. S. Anselmus in lib. 4. de fide orthodoxa c. 15. *Ipsa,* inquit, *beata, & super naturam donorum digna effecta, dolores partûs, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum laceratu reparturiens.* Rupertus in Euang. S. Ioannis lib. 3. cap. 16. sic discurrit. *Si enim,* inquit, *Apostolos suos in illa hora sua passionis, Dominus mulieri parturienti rectè comparauit dicens: Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur tristitiam habebitis &c. Quantò magis mulierem hanc stantem iuxta crucem, mulieri parturienti, talem Matrem talis Filius similem duxit.* Et post pauca adijcit. *Non enim habuit hæc mulier hanc pœnam, vt in dolore pareret, quando infans sibi natus est; sed nunc dolet, cruciatur, & tristitiam habet; quia venit hora eius, illa videlicet hora, propter quam concepit &c.* Similia habet S. Bernardus in lament. B. MARIAE. *Nec lingua,* inquit, *poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebãtur pia viscera MARIAE. Nunc soluis Virgo cũ vsura, quod in partu non habuisti à natura. Dolorem, pariendo Filium, non sensisti, quem millies replicatum, Filio moriente, passa fuisti.*

Dixi

Dixi quidem superiùs ex Tostato, eam Filium promptissimè, imò cum gaudio, ob ardentem in nos amorem; humanæque salutis studium, obtulisse; sed simul hic amor fuit cum ingenti dolore. Fieri enim potest, vt quis libentissimè aliquid faciat, & tamen simul dolentissimè. Machabæorum matrem, vt c.3.§.1. dictum est, & S. Felicitatem plus, quàm Martyres SS. Patres faciunt; imò toties Martyres, quot ante suos oculos, filios occidi viderunt; & tamen filios promptissimè libentissimeque neci obtulerunt; imò & ad eam perferendam summo studio sunt hortatæ. An idem, imò longè amplius de Deipara dici nequit?

Quanquàm non vnus ille doloris fons B. Virgini fuit, quòd (tametsi pro humana salute, quam illa votis omnibus expetebat) tam crudeliter filius necaretur; sed longè vberior alter, pluriumque & maiorum dolorum fœcundior; imò ausim dicere, tot propè dolorũ ferax, quot & ante CHRISTI passionem fuerant, & futuri postea homines erant. Cùm enim omnium & singulorum hominum salutem ardentissimè sitiret, & ab ea, quocunque peccato deuiari ægerrimè ferret; quotquot erant homines (quos ei fuisse reuelatos atque ostensos suprà c.3. dixi verisimile esse) qui vel salutem omnino perderent, vel illam peccato aliquo perditum irent, tot illa doloris ictibus petebatur, toties cor illius trãsfigebatur. Circumspice iam, & vide mundum, idololatriæ, infi-

infidelitatis, hæresum, flagitiorum tenebris & fœditatibus immersum ac sordidum; attende, quot vbique victimæ orco cadant, quot à recto deflectant; simul memoriâ repete non huius tantùm, sed omnium retrò sæculorum seriem; de futura, ex præcedentibus iudiciũ fer, & præsertim ex *refrigescente* vltimis tẽporibus *charitate, iniquitate abundante*, quãta hominum ius est, quibus sua salus aut perdita est, aut cordi non est! quanta hæresum ac scelerum in Ecclesia & fuit, & est colluuies! quantus extra Ecclesiam hominum numerus, si numerus dici potest, qui numerari nequit? Hos omnes, & singulos, cùm amantissima hominum Virgo, saluos, & quasi Mater, Deo parturire ac parere vellet, & eorum vitio partum salutarem impediri videret, nónne plùs quàm parturiens doluerit? *Mulier* illa Apocalyptica c.12. *amicta Sole, in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret.* Hanc mulierem licet, cum Interpretibus Sacrarum litterarum, B. Virginem interpretari, quæ *amicta Sole*, id est, hominum charitate, ita vt *non sit qui se abscondat à calore eius:* est enim Sol symbolum benignissimæ charitatis, quem *Deus facit oriri super bonos & malos*; clamabat non voce, sed ingenti affectu, & cruciabatur præsertim sub cruce, ingenti desiderio allaborans pro partu, vita, & salute hominum, vt CHRISTVM in illis pareret: sed videbat, multos suo vitio & scelere partum impedire.

Matt. 24

Ps. 18.

Matth. 5.

impedire. Quanto dolori esset Matri, maximis cum angustijs parturienti, si videret prolem, quam ingenti cum nixu parturiret, spóte, imò nequiter sibi, priusquam in lucẽ veniat, mortem consciscere? Simile quid cogita de B. Virgine, si simile esse potest, cùm vita spiritualis, quam perditum ibant, & eunt homines, in immensum plus illi fuerit, & sit, quàm Matri cuicunque, prolis vita ista temporaria. S. Paulus, cùm intellexisset, Galatas, vnam gentem, eamque neque magnam; quippe Germanorum aliquam coloniam; neque totam, non quidem planè à CHRISTO defecisse, sed quorundã persuasionibus inductam, ad Iudaicos ritus declinasse; sic tamen ad eos scribit c. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur CHRISTVS in vobis.* Super quæ verba S. Chrys. *Apostolus hic*, inquit, *Matrẽ refert de liberis trepidantem. Vides paterna, imò materna viscera, vides anxietatem, vides qualẽ emittat eiulatũ, multò tristiorem, quàm solet esse parturientiũ?* Eadem ferè habet S. Gregorius 30. moral. c. 21. super illud Iob 30. *Nunquid parturientes ceruas considerasti? incuruantur ad fœtum & pariunt, & rugitum emittunt. Video*, inquit, *Paulum quasi quandam ceruam quosdam in partu suo magni doloris rugitus emittentem*: ait enim: *Filioli mei, quos iterum parturio &c. Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris?* Porrò quòd S. Paulum cum cerua parturiente comparet S. Gregorius, est, quòd ceruæ magnis

magnis cum angustijs & difficultate pariunt, vt testatur Aristoteles & Plinius. Et hinc ille rugitus, quem emittunt. Hæc si de S. Paulo dicuntur, ob insignem eius in homines charitatem; quid de B. Virgine dicemus, respectu cuius charitas Pauli nulla propemodum est. Alibi dicit idem Apostolus, nullum esse, qui *scandalizatur*, quin ille *vratur*, nullum qui *infirmatur*, quin itidem ille corripiatur ægrimonià; alibi *tristitiam sibi magnam esse & continuum cordi suo dolorem, ita vt optaret esse anathema à CHRISTO pro fratribus suis*. Tolerabilior igitur D. Paulo fuit gehenna, quàm videre fratres suos interire. Quid alios referam? De S. Francisco narrat S. Bonau. c. 8. vitæ. *Cũ cerneret animas CHRISTI IESV sanguine pretioso redẽptas inquinari aliqua sorde peccati tãta miserationũ teneritudine deplorabat, vt eas tanquam Mater in CHRISTO quotidie parturiret.* Et c. 10. *Nemora*, inquit, *replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, & quasi occultius secretariũ nactus, confabulabatur cũ Domino suo; ibi respondebat Iudici &c. Ibi quoque fratribus ipsum piè obseruantibus aliquoties auditus clamosis apud diuinam clemẽtiam vocibus pro peccatis interpellare.* B. Maria Magdalena de Pazzis petebat vt est in eius vita, à Deo assiduè, sibi vt liceret non millies tantùm in die, sed quouis temporis momẽto subire

2. Cor. 11.

Rom. 9.

ſubire martyrium, ſtatimque reſurgere, ad ſubeundam iteratis vicibus perpetuò mortẽ, vt hac carnificinâ ſui, humana poſſet impedire peccata, & conuerſionem improborum impetrare. Quin offerebat ſe etiam Domino ad ipſas Purgatorij, imò ad inferni pœnas, tantùm ne vllo vnquam tempore peccato aliquo offenderetur Deus; ſæpéque noctes ducebat inſomnes, orans pro peccatoribus, & ſeſe quodammodo enecans æternis animarũ doloribus; præſertim cùm oſtenſæ illi eſſent diuinitus multorum ſæcularium, imò & Religioſorum animæ, ad grauiſsimas inferni pœnas detruſæ; Religioſorum quidem ob violatum votum Paupertatis, & luxum in veſtibus, & carnis vitia; aliorum verò ob alia ſcelera. Imò non defuerunt Sancti, qui temporales etiam aliorum calamitates acerbiſsimè lugerẽt. Lugebat Saulem Samuel ob ademptam poſteris eius Regiam dignitatem 1. Reg. 15. vſque eò, vt diceret illi Dominus: *Vſquequo tu luges Saul?* Ieremias Propheta ille *fratrum amator*, vt eum appellat Onias 2. Mach. 15. totus reſoluebatur in lachrymas ob Iudæorum vel cædem, vel captiuitatem. *Quis dabit*, inquit, *capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Ier. 9. & Thren. 2. *Defecerunt*, ait, *præ lachrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea, effuſum eſt in terra iecur meum, ſuper cõtritione filiæ populi mei.* His & multis alijs,

quæ

quæ commemorari possent, Sanctorum exẽplis & factis expensis, nihil vltrà attinet dicere de dolore B. Virginis, quantum illum fuisse necessè sit, cùm aliorum Sanctorum tantus fuerit, cùm illa non modò charitate, supra omnes alios, plena fuerit; sed ipsam charitatis naturam induerit, vt c.4. ex S. Aug. retuli, vt quæ CHRISTVM ipsam charitatem, intra sua viscera nouem mensibus tulit; & cui aptè illud conueniat: *Induite, sicut electi Dei, viscera misericordiæ*, & magis quàm cum Iobo *ab infantia cum illa creuerit miseratio*, & constituta sit Mediatrix hominum eo modo, qui nemini alij conuenit; imò Mater, eaque & miserorum simul & misericordiæ Mater. Lege, *quæ passim* ab authoribus referuntur, de eius misericordia, benignitate, charitate in homines, fuséque integris codicibus explicantur & confirmantur. Huc enim omnia quadrant, & adferenda, nisi prolixitas obstaret, essent, ad explicandam magnitudinem doloris, secũdùm magnitudinem amoris eius in homines. *Satis* hoc sit dicere, eum amorem in homines ortum esse ex amore in Deum immenso. Simul æstima atrocitatem mali, non temporalis tantùm, sed æterni, ex tot hominum, per tot sæcula, æterno interitu, pro quibus illa videbat talia pati, & sic mori CHRISTVM, & tum demum ex his alijsque in vnum collatis de dolore coniecturam cape.

Coloss. 3.

Iob 31.

CAP.

CAPVT X.

CHRISTVS ex singulari amore suos Matri dolores communicauit.

§. I.

Quàm conueniens fuerit amori CHRISTI, suos Matri dolores communicare.

NOn eo solùm CHRISTVS dolorum B. Virginis author fuit, quòd illi suis doloribus occasionem & materiam dolendi & cõdolendi præbuerit; sed eos illi ex speciali beneuolentia destinauit, voluit, & vt rẽ pretiosam communicauit. Si CHRISTVS sic amasset suam Matrem, sicut solent se huius mundi homines, & præsertim inter se sanguine iuncti amare; procul illam à sua cruce abesse voluisset, reliquisset Nazarethi, aut alibi alicubi, donec, consummata passione, vitæ postliminiò restitutus, gloria & honore coronatus, in gloriosa sua Anastasi illi appareret. Verùm non ita fecit; sed, quia eam plùs omnibus alijs dilexit, plus omnibus pati voluit, suæque cruci sicut proximam assistere (Nam vt ait S. Io-
Io. 19. annes *Stabat iuxta crucem IESV MARIA Mater eius*) sic de suis cruciatibus plurimùm participare. Narrat Bzouius in annalibus ad annum 1297. B. Margaretham, cùm petijsset particeps fieri dolorum B. Virginis, ita factam esse in templo Franciscanorum tristem ac debilem,

bilem, vt iacuerit longo tempore, quasi mortua. Gratia hæc fuit singularis, cuius illam precibus & votis expetitæ B. Virgo compotem fecit; priùs ipsa eiusdem gratiæ & quidem vberiùs atque ampliùs à CHRISTO Filio compos facta. Tanquam ingens beneficium, & magnam diuini amoris testificationem Philippensibus S. Paulus exaggerat, cùm ait c. 1. *Vobis donatum est pro CHRISTO, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc auditis de me.* Hoc beneficium, hanc amoris sui testificationem quomodo negaret CHRISTVS Matri? Itaque *donauit* illi non solùm, vt alijs in fide hæsitantibus, diffugientibus, & CHRISTVM deserentibus, ipsa stabilis in fide permaneret, & *in eum crederet*; sed, vt etiam & *pro illo*, & cum illo *pateretur*, *idem certamen habens*: non quemadmodum Philippenses cum Paulo, *quale in illo viderant*, vt de illo *audierant*; sed vt Mater cum Filio, MARIA cum IESV, quale suis oculis coram *in illo* vidit, & ex illo, atque de illo sæpe *audiuit*, & alia etiam clariore & euidentiore mentis cognitione intellexit. *Communicantes CHRISTI passionib*[9] vult *gaudere* S. Petrus in 1. ep. 4. quasi ingẽti thesauro inuẽto, & magno à Deo accepto munere, beatosque tales prædicat. Cur? *Quoniã*, inquit, *quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ei*[9] *spirit*[9] *super vos requiescit.*

Suum

ait: stabat *iuxta crucifixum*; sed: *iuxta crucem eius*, quam CHRISTVS crucifixus illi quasi porrigebat, tradebat, communicabat.

§. 2.

Idem S. Pauli, aliorumq; exemplis, & dictis confirmatur.

Cùm Dominus S. Paulum ad amplissimum
Act. 9. munus eligeret, ita vt diceret: *Vas electionis est mihi iste*, id est, vas electissimum, in quo, & per quod nomen suum, & gloriam, per orbē terrarum, coram gentibus, & Regibus, & filijs Israël vellet circumferri; vt probaret tale esse vas, & suum in eum amorem testaretur, pro euidenti eius indicio quod adfert argumen-
2. Cor. 12 tum? An hoc? Ego *rapiam illum in tertium cælum*? faciam illum *audire arcana verba, quæ non licet homini loqui*? Multas illi dabo visiones & reuelationes? Nequaquam. Sed: *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*. Nota verbum (*oporteat*) vt enim esset vas electionis oportebat, & necessè erat illum pati, nec aliter tale vas esse potuit; sicut *oportebat CHRISTVM pati*. Et vas
Luc. 24. quidem electum pro diuina gloria erat S. Pau-
Cant. 6. lus; at Beatissima Virgo planè *electa vt Sol*, ad *enarrandam gloriam Dei*, in quo *posuit Altissimus tabernaculum suum*, quæ Dei gloriam non per orbem terrarum tantùm circumferret, *sed à summo cælo egressio eius, & occursus*

ria. cumfe

occursus eius vsque ad summum eius. Nónne Ps. 18.
ergo & illi hanc gratiam faceret, vt pateretur? imò nónne & *oportebat* illam *pati*? siue *ostendere* illi Dominum, *quanta oporteat eam pati*? Tanti hanc gratiam sibi factam fecit S. Paulus, vt ab ea cogitationem abducere non posset, nec quidquam *scire aliud* vellet, *nisi CHRISTVM crucifixum*, vt testatur de seipse 1. Cor. 2. Et eam scientiam, quæ est de societate passionum CHRISTI maximi æstimaret, cui alia omnia postponeret, & pro nihilo duceret. *Existimo*, inquit ad Philipp. 3. *omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam IESV CHRISTI Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci & arbitror vt stercora*: & paulò pòst subdit: *Ad cognoscendũ illum, & societatem passionum eius, configuratus morti eius*. Sed neq; aliud erat, in quo gloriaretur, quã in cruce. *Mihi autẽ*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini N. IESV CHRISTI*, ad Gal. 6. Mira res! Quid est hoc, ô D. Paule, quod ais *Absit*? Rectè tu quidẽ in cruce gloriandũ dicis potissimũ: at nónne & in cæteris secundũ crucem? *Absit*, inquit, *nisi in cruce Domini nostri*, *absit*. Atqui saltem in CHRISTO plura sunt, in quibus meritò glorieris. *Absit, nisi in cruce. Poterat Apostolus gloriari* (inquit S. August. serm. 20. de verbis Apostoli) *in sapientia CHRISTI, & verum diceret; poterat in maiestate, poterat in potestate; & verũ diceret; sed dixit in cruce.*

 Vbi

Vbi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, vt qui gloriatur in Domino glorietur. quo Domino? CHRISTO *crucifixo. Vbi humilitas, ibi maiestas, vbi infirmitas, ibi potestas, vbi mors, ibi vita.* Hæc S. Aug. Addo ego: vbi stultitia, ibi sapientia. *Quærunt Græci Sapientiam*, sed vbi sit nesciũt. CHRISTVS cru-
1. Cor. 1. cifixus illis *stultitia* est. Quærit Iob c. 28. *Sapientia verò vbi inuenitur? & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium.* Hoc primum indicium reperiendæ sapientiæ, vt non quæratur in vita suaui. Vbi ergo? post multa, quæ præmisit, subdit Iob. *Trahitur autem sapientia de occultis.* Vbi minimè putas, latet. In *stultitia crucis* ibi est Sapientia, quam tanti æstimauit Paulus: nempe *CHRISTVS, Dei virtus & Dei Sapientia*, non vtique in terra suauiter viuentium, sed in doloribus, & ignominia crucis. *Sub arbore malo suscitaui te* (dicit CHRISTVS humano generi) *ibi corrupta est Mater tua, ibi violata est Genitrix tua.* Cant. 8. Eua scilicet, quando credidit serpenti pollicenti:
Gen. 3. *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* Quæsiere ibi protoplasti nostri sapientiam, & stul-
Ps. 48. titiam reportarunt. *Homo cùm in honore esset, non intellexit: & similis factus est iumentis insipientibus.* Quia tamen in ligno quæsiuit Sapientiam, placuit Deo in ligno veram exhi-
Gen. 3. bere Sapientiam. *Plantauit Deus paradisum, & in eo posuit lignum scientiæ boni & mali,*

de

de quo gustare vetuit. Nunc autem in paradiso Ecclesiæ pariter plantauit lignum veræ sapientiæ, ad quod gustandum inuitat. Hæc est crux, ex qua *gustate & videte, quoniam* Ps. 33:
suauis est Dominus in ipsa quoque cruce: *Comedite & bibite & inebriamini charissimi*, ex Cant. 5.
hoc *torculari*, quod ille *calcauit*. *In quacunque enim hora comederitis ex hoc ligno*, non Is. 63.
moriemini, vt ex priore, sed viuetis.

Hanc igitur verã Sapientiam, quæ in cruce est, pro eo amore, quo super omnes alios dilexit Matrem suam, illi affatim & abundè communicauit CHRISTVS, hoc *torcular calcauit Dominus Virgini filiæ Iuda* Thren. 1. huius gloriæ, de qua & sola, & tantopere gloriandum existimauit Apostolus, eam præ cæteris compotem fecit, hoc est, passionis suæ, & dolorum suorum: quam etiam gloriam (vt magis intelligamus quantæ sit excellentiæ, quamque ex singulari amore à CHRISTO B. Virgini sit tributa) summè in S. Paulo deprædicat S. Chrysost. hom. 8. in c. 3. epist. ad Ephes. dicitque *pati pro* CHRISTO *illustrius esse, quã siue Apostolum, siue Doctorem, siue Euangelistã esse, & regno quouis ac consulatu maiorem hac dignitatem* facit; neque ita *beatum dicendum* putat *Paulũ quod in Paradisum raptus est*, atq; *quod passus sit*. Lege citatum locum S. Chrysost. & plura de hoc, eaque præclara inuenies. Eiusdem mentis & spiritus fuit nostra ætate Marina de Escobar, cuius mentionẽ iam

feci c.4. quæ licet extraordinarijs alijs plurimis ex maximis Dei donis ornata, & per altissimas Mysticæ Theologiæ vias à Deo ducta; corporis tamen dolores, aliasque afflictiones, quibus grauissimis, per triginta tres annos exercita fuit, adeò, vt cum præstantissimis Martyribus comparari posset; semper pluris fecit, quàm alia speciosa visionum & reuelationum dona, quæ vulgus suspicit, & tunc se maximè securam, felicémque credidit, cùm affligeretur magis. Vnde sæpe dicebat, grauem sibi futuram hanc vitam, si huiusmodi cruciatibus careret. B. Maria Magdalena de Pazzis tanti beneficij loco afflictiones ducebat, vt se eo prorsus indignam putaret. Quæ ego idcirco commemoro, vt magis in aperto sit nouus hic dolorum in B. Virgine fons, qui est CHRISTI in illam amor, quo suos cum illa dolores communes habere voluit, siue, vt iuxta phrasim Apostoli loquar, ad suarum *societatem passionum* admisit, vt ijs & *morti eius configuraretur.* *Philip. 3.*

§. 3.

Quomodo CHRISTVS communicauerit suos Matri dolores, & quanti illi fuerint?

Quæres, quibus modis suam Matri passionem, & dolores Filius communicauerit? De hoc nihil certi habeo affirmare. Varijs enim modis Sanctis suis CHRISTVS hoc beneficiũ præstitit. S. Francisco impressit in manibus, ac pedi-

nodis Sa
ræstitit. S.

pedibus, & latere, vulnerum suorũ stigmata, quæ foris etiam apparerent, & sanguine, vt testatur S. Bonau. tunicam & femoralia respergerent, nec modicum dolorem causarent. S. Catharinæ Senensi, & capiti spineam coronã imposuit, ex qua capitis dolorem sensit acutũ ac vehementem, & per lucidos radios, ad manus, pedesque, & latus allapsos, suorum itidẽ vulnerum stigmatibus affecit; quæ tamen non apparebant (hoc enim illa humilitatis studio deprecata fuit) sed nihil doloris minus, quã si apparerent, creabant. Idẽ legimus de B. Maria Magdalena de Pazzis. In vita P. Iosephi Anchietę, è Societate nostra, à rebus mirabilibus patratis meritò nomen Thaumaturgi adepti, legitur, dum exercitijs spiritualibus S. Patris Ignatij vacaret, hoc singulari gratiâ à CHRISTO donatũ, vt eius dolorum partẽ sentiret. Modus non scribitur. Credibile est, nõ vulnera in corpore, sed dolorẽ, ac si vulnera essent, esse expertum. De B. Francisco Borgia Tertio nostræ Societatis Generali refertur, rogatum aliquando ab altero quodã, vt potissimã gratiam, quã illi CHRISTVS cõtulisset, sibi quoque precibus ab eo impetraret. Annuisse illũ; sed adiecisse, se quidẽ precaturum Deũ, cæterũ videret, nè, si, quod precaretur impetraret, eum deinde desiderij pœniteret. Cùm alter in postulando perstaret, dedit se Franciscus in preces, post quas alterum illũ tam acer capitis dolor inuasit, vt ad Franciscum recurreret,

rogaretque, vt vnâ secum vota mutaret, & se illâ molestiâ contrarijs precibus liberaret, sibi ad eam tolerandam non satis virtutis esse, & per eam ab aliorũ munerum tractatione impediri. Ex quo intellectum est, quænam esset gratia B. Borgiæ à CHRISTO tributa, quam potissimam duceret, & quæ ei ob virtutis perfectionem, quàm alteri meliùs conueniret. Alijs fortasse aliâ in corporis parte CHRISTVS dolores suos communicauit v. g. in corde, in quo passionis mysteria expressa post quorundam Sanctorum obitum reperta sunt. Alijs in sola anima amaritudines suas & angustias, aut suis similes dedit.

An aliquo priorum modorum crucis & passionis suæ suam Matrem CHRISTVS participem fecerit quis conijciat? cùm id à nemine, quod sciam, sit proditum. Negari non potest, quin spiritu & animâ, super omnes alios, quibus quomodocunque CHRISTVS gratiã illam præstitit, vberiorem illa in simili genere maiorémque acceperit. Itaque, licèt non habuerit vulnerum Filij sui stigmata in suo corpore impressa, vt S. Franciscus, vel alij quidam
Luc. 2. Sancti: at habuit gladium doloris, qui illi à Simeone prædictus erat, qui animam eius pertransiuit. Circa quem obserua, eum non vocari gladium dolorificum, siue qui dolores causaret, sed *gladium doloris*, quasi ex dolore confectum, ita vt sicut alij gladij ex ferro aut chalybe conficiuntur, ita iste ex dolore, ita [illegible], vt ipse

..aret, se..
fectum, ita v..
lybe confici..

 amor

vt ipse dolor in gladium sit formatus & exa-cutus, per quod doloris acrimonia, siue acu-tissimus dolor exprimitur. Præterea vim ma-gnam habet verbum *pertransibit*.. Indicatur enim non aliqua tantùm gladij illius punctu-ra, aut ictus per ipsam animam penetrans; sed vsque deque gladij doloris transitus, intra extráque totius animæ omnes quasi partes (si sic licet loqui) permeatio ac discursatio, cum immani discruciatione. Erat enim Mater illa afflictissima ita Mater dolorum, vel potiùs præda dolorum, sicut Filius eius fuit *vir do-lorum* & præda dolorum, quippe cùm in eũ Deum suum crucifixum, tota fuerit spiritu transformata & abyssata, in quam ille sicut in ceram mollissimam suos dolores impressit & expressit. Hinc S. Epiphanius in serm. de laudib. Virginis MARIAE, eam appellat *cru-ciformem*. Alij vocant *CHRISTO concrucifixã*. *Gladio doloris*, inquit Arnoldus Carnot. tom. 1. Biblioth. *anima eius infixo, vulnerabatur spiri-tu, & crucifigebatur affectu, & quod in carne* CHRISTI *agebant claui & lancea, hoc in eius morte, materna affectionis angustia. Omnino tunc erat vna* CHRISTI *&* MARIAE *voluntas, vnumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine car-nis*. Nec minus venustè & acutè Guilielmus super illud Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ*. *Per palmam*, inquit, *qua manus victo-ris antiquo ritu ornabatur, insigne illud ac vi-* Is. 53.

 ctorio-

ctoriosum crucis lignum notatur. Cui nimirum Euangelista staturam præ Matris aßimilatam insinuans, ait: Stabat iuxta crucem IESV Mater eius: planè ille foris, illa intus patiebatur crucem. Stabat illa iuxta crucem sui IESV atque ea ipsa sibimet quodammodo erat in crucē erecta, stando iuxta crucem, ipsa sibi per affectum maternum quodammodo erat Crux.

Imò ex eo, quòd eadem illa in spiritu passa sit Mater, quæ Filius in carne, eique spiritu fuerit concrucifixa, existimant nonnulli, maiores sensisse dolores, quàm Filium, si eius dolores interni in spiritu, cum solis externis CHRISTI doloribus, quos in corpore patiebatur, comparentur. Quemadmodum enim voluptas animi, quæ capitur ex cōtemplatione delectabilium, plurimùm superat delectationem corpoream, vt docet Aristoteles in 1. Ethic. & cum illo D. Thomas 2.2. q. 1. ita è contrario dolor, qui animum afficit, superat illū, quo corpus affligitur. Cōtrariorum enim eadem est ratio. Et in hoc sensu verum esse potest, quod ait S. Bonauentura in cursu de compaſsione MARIÆ Virginis lect. 1. *Hæc maiorē dolorem habuit, quā Saluator, qui tot sustinuit*; nēpe si solū corporeum dolorē CHRISTI spectes, cū animi cruciatu, quē internè, Virgo sensit, collatū. Primā flagelli plagā, quæ CHRISTO inflicta erat, quamq; illa audiuit, & spectauit, tanto illi dolori fuisse dicit S. Brigitta, vt pœne sit mortua; quid dicem⁹ de tot

clauo-

ipe.
itta, vt p

clauorum ictibus? de tot plagis, verberibus, vulneribus? *Hæc omnia,* inquit Simeon Metaphraſtes in homilia de dormitione Deiparæ, *illā tranſuerberabāt profundius, quā vlli claui, & pro vna filij plaga, innumeris ipſa plagis ſauciabatur.* Adde, quòd (vt notauit S. Bernardus, cuius verba ſequenti capite adferam) ex quibuſdā CHRISTI vulneribus ſummū illa dolorē hauſerit, ex quib⁹ CHRISTVS nullū ſenſit; qualis fuit apertio illa & ingēs vulnus lateris, per lanceā aperti, quod vulnus, vt ex Prudētio, Cypriano, & Theophyl. probat Cornelius à Lapide in c. 19. Ioan. totum Chriſti latus penetrauit, vt videlicet lancea adacta per latus tranſierit per cor, & pericardiū, atque cuſpis eius exierit per latus ſiniſtrum ad papillā. Vnde ob perfoſsū cor, S. Brigitta li. 4. reuel. c. 40. *Aperto,* inquit, *latere, & extracta lācea, ſanguis in cuſpide, quaſi brunei coloris apparuit, vt ex hoc intelligeretur cor transfixum.* & lib. 2. c. 21. *In corde punctus erat tā amarè & immiſericorditer, quòd pungens non deſtitit, donec lancea attigit coſtā, & ambæ partes cordis eſſent in lācea.* Hoc autem tam immane vulnus CHRISTVS non ſenſit, quippe iam mortuus; ſenſit autē Virgo ſuprà quā dici aut cogitari poteſt, acerbè. Quin & hinc probat Cornelius, B. Virginem ampliùs fuiſſe paſſam, quam CHRISTVM. *Nam paßio CHRISTI,* ait, *deſijt in morte, tunc autem B. Virginis paßio & compaßio non deſijt, ſed creuit. Nam CHRISTI*

corpus mortuum de cruce depositum, ipsa excepit, cum rediuiuo dolore, ac deinde per tres dies sepulturæ, cruciatus CHRISTI *crucifixi, quos ipsa cominus oculis aspexerat, viui hærebant in imaginatione eius, eamque cruciabant.*

Denique non ex solis corporeis doloribus CHRISTI, dolores B. Virginis originem traxerunt & incrementum, sed & multò etiam magis ex internis. Sciebat enim illa angustias animæ eius, & tristitiam illam vsque ad mortem, & extremam desolationem. audiebat illum clamantem; *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me.* O! quàm graui ictu vulnerauit hęc vox cor Virginis, quàm bene in illam cadere poterat illud Thren. 1. *Ego plorans, & oculus meus deducens lachrymas, quia longè factus est consolator.* Sciebat præterea, Filium, quem illa patiebatur, dolorem, tanquam suæ dilectissimæ Matris sentire; imò, ex multorum sententia, magis, quàm suos alios corporis dolores. *CHRISTVS tunc*, vt ait Arnoldus Carnot. *in Matre ampliùs quàm in se pati videbatur. Foderis*, ait S. August. *ô dulcis IESV, diris clauis extrà, asperiùs intrà, ex compassione Virginis Matris tecum hæc omnia participantis.* Erat ergo inter duas illas sanctissimas animas dolorum reciprocatio, & mutuus, isque cõtinuus quasi fluxus ac refluxus. Dolebat Mater ob Filiũ, Filius ob Matrem; Mater ob hoc ipsum magis dolebat, quòd sciret ob se dolere summè Filium, & idipsum erat maius Filio doloris

augmen-

augmentum. O *dolores inexplicabiles*, inquit S. Bernardus hom. super Stabat. O *ineffabilis reciprocatio sancti amoris! Filius patitur, & intus valde compatitur Matri: Mater Dei verò compassa est patienti Filio. Tantus nempe impetus passionis Domini IESV fuit, vt quasi torrens ipsum impleret patientem; quia teste Psalmista; de torrente passionis in via bibit, vt sic Christo impleto, in Matrem flueret compatientẽ; qua similiter impletâ, ad Filium redundaret inũdatio amaritudinis & mœroris.* Hæc S. Bernardus. Nimirum *erat* MARIAE anima magis agglutinata animæ IESV, quàm olim anima Ionathæ animæ Dauidis, adeoq; erant & agglutinati alterius alteri dolores sese reciprocantes, vt in eas aptè quadraret illud: Eccles. 1. *Ad locum vnde exeunt* dolorum *flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Quin imo *abyssus abyssum inuocabat*, cùm quasi ruptis cataractis, nullo interueniente obstaculo, duæ dolorum abyssi in se inuicem vtrinque incurrerent, atque influerent, & altera ab altera abyssaretur profundiùs, seque mutuò implerent. *Adimpleo*, dicebat de se S. Paulus, *ea quæ desunt passionũ CHRISTI in carne mea*; at B. Virgo dicere poterat: superimpleo plenitudinem dolorum CHRISTI, abyssum abysso, & ab eadem abysso abyssor. Quanquam & hic S. Pauli textus, magis illam, quàm S. Paulum, aut alium quemuis concernit. Nam

Ps. 41.

Coloss. 1.

si S. Paulus ideo, vt vult S. Thomas, S. Anselm. & alij Patres, implebat ea quæ desunt passionum CHRISTI, quia, cùm esset membrum sub capite CHRISTO (omnes enim iusti membra sunt CHRISTI) dū ille patiebatur, CHRISTVS in illo, quasi in suo membro patiebatur; adeoque porrò adimplebat, quæ restabāt CHRISTO in suis membris patienda, qui iam passus erat in seipso, vt in capite: quantò magis B. Virgo de se hoc dicere poterat; quippe in qua CHRISTVS non solùm vt in membro sibi coniunctissimo, plurima & maxima passus est, sed etiam vt Filius in Matre; quorum cùm vna sit caro, quidquid Filius in Matre pertulit; & contrà, quidquid hæc pertulit in Filio, in sua carne pertulit; & cùm vtrique eæ passiones, saltem secundùm spiritum, communes fuerint, & insuper alter alteri fomenta passionum subministrauerit: sicut eas sibi mutuò augebant & superaddebant, ita eorum mensuram sine mensura adimplebant.

§. 4.

An B. Virgo spasmum, aut deliquium sit passa.

Locus hic postulare videtur, vt disquiramus, an B. Virgo ex tam immani dolore, deliquium, aut spasmum sit passa, ita vt sensum amiserit, & cōtractis neruis in terram corruerit? Multi id afferunt, quos refert Suarez to. 2. in 3. part. d. 41. s. 3. & d. 4. s. 3. & Cornelius à Lapide in 19. c. Ioannis v. 25. sed in tempore, quo id fa-

id factum fuerit, non conueniunt. Alij enim tunc accidisse aiunt, quando CHRISTO crucem baiulanti occurrit. Ita videtur sentire S. Bonau. lib. medit. vitæ CHRISTI c. 77. *Cernēs*, inquit, *eum oneratum ligno tam grandi, quod primò non viderat, semimortua facta est præ angustia, nec verbum dicere potuit.* Et fauet his id, quod Suarez adfert ex quibusdam, qui situm terræ sanctæ describunt. Dicunt enim, in via Caluariæ fuisse templum, cuius ruinæ etiamnum extant, estque nunc stabulū equorum Turcarū, quod S. MARIA de spasmo diceretur; quia in eo loco. B. Virgo occurrit Filio crucem portanti, & præ dolore, quasi exanimis concidit. Quanquam Cornelius dicit Chronographos illos asserere, quòd ibi B. Virgo viderit Filium in cruce. Alij spasmum hunc referunt ad tempus crucifixionis & incussionis clauorum. Vnde Anselmus Dialogo de pass. Domini, ex persona B. Virginis sic ait: *Cùm venissent ad locum Caluariæ ignominiosissimum, nudauerunt IESVM Filium meum totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui.* Idem tradit S. Brigitta l. 1. reuel. c. 10. & lib. 4. c. 70. Citatur etiam à Cornelio S. Augustinus, S. Laurentius Iustinian. Dionys. Carthus. & Daniel Mallonius. quibus accenseri potest Salmeron lib. 10. tr. 41. asserens B. Virginem principio erectæ crucis ex doloris vehemētia in terram corruisse; postea verò resumpto animo semper stetisse. Alij toti tempori

cruci-

crucifixionis spasmum videntur attribuere, vt S. Bona sup. c. 79. *Credo*, inquit, *quòd vel propter angustiarum multitudinem absorpta erat, & quasi insensibilis facta, vel semimortua facta est, nunc quidem multò magis, quàm cùm obuiauit ei crucē portanti.* & S. Bern. in opusculo de lamentat. Virginis MARIAE, si tamen hoc opusculum illius est: *Iuxta crucem CHRISTI*, ait, *stabat emortua Mater, quæ ipsum ex Spiritu Sancto concepit: vox illi non erat; quia dolore attrita iacens pallebat, quasi mortua viuens, viuebat moriens, moriebatur viuens, nec mori poterat, quæ viuens mortua erat.* Sed & idem affirmat S. Bonau. sup. c. 8. contigisse Virgini, quando CHRISTVS est lanceâ vulneratus. *Tunc*, inquit, *Mater semimortua cecidit inter brachia Magdalenæ.* Confirmat hanc opinionem id, quod Caiet. in opusculo de spasmo Virginis MARIAE refert, nempe quòd celebrata sit festiuitas spasmi Virginis cum octaua, & qui celebrabant, petierint à Summo Pontifice indulgentias. Accedit vulgi opinio, & pictores, qui B. Virginem in deliquio iacentem pingunt.

Contrariam sententiam, quòd scilicet B. Virgo neque spasmum, neque deliquium passa sit in passione Filij, tuentur plerique recentiores authores, vt Caietanus, Iansen. Toletus, Christoph. à Castro, Medina, Molan. Suarez, Cornel. à Lapide; Maldon. qui asserit contrarium dicere, esse errori affine, quod crediderim,

rim, si de vero spasmo sit sermo, quatenus significat corporalem defectum, cum perturbatione sensuum, languore, & contractione membrorum &c. Hunc enim ponere in B. Virgine indecentissimum est, fuissetque magna imperfectio, inquit Suarez cum Caietano, derogans multùm excellenti gratiæ Virginis, & dominio, quod habebat in omnes suos motus, actus, & potentias. Sed neque mihi vllo modo persuadere possum, aut deliquium esse passam, aut in terram corruisse; id enim quoque fuisset indecorum. Imò S. Ambros. de obitu Valentiniani, nè fleuisse quidē putat: *Stantem*, inquit, *lego, flentem non lego.* Et S. Anselmus de excellentia Virginis c. 5. gladium mortis CHRISTI animam Virginis penetrasse dicit, quia tanto dolore illam affecit, vt, nisi speciali Dei gratiâ & fauore confortaretur, viribus prorsus deficeret. Idem habet S. Bernard. in homilia super illud: Stabat autem iuxta crucem &c. Ergo ex horum Patrum sententia, confortata fuit à Deo, nè caderet, aut animo linqueretur. Vnde suspecta sunt ea loca, quæ suprà, ex Patribus his pro contraria opinione attuli; præsertim Dialogus ille qui tribuitur S. Anselmo, quem Suarez arbitratur eius non esse. Et certè rem claram facere videntur verba S. Ioannis, c. 19. *Stabat autem iuxta crucem IESV MARIA Mater eius.* Quodsi tunc, cùm grauissimum dolorem Filius in cruce pendens viuus pertulit,

Stabat;

Stabat; non est ratio, cur alio aliquo passionis tempore, hoc est, vnquam cecidisse dicatur. Imò nihil tale egisse B. Virginem gestu, voce, motu corporis, quod non præ se ferret summam modestiam, decentiam, & decorem exterioris etiam hominis compositionem ac statũ, pro certo habendum est. *Stabat*, inquit S. Antoninus 4. part. Theol. tit. 15. c. 41. §. 1. *verecunda, modesta, lachrymis plena, doloribus immersa*. Neque mihi verisimile est, eos, qui spasmum B. Virgini attribuunt, aut spasmi festum celebrarunt, proprium spasmum intellexisse, qui, vt dixi, magna esset imperfectio & indecentia; sed intellexerint fortasse solùm vehementem dolorem, cum ingenti admiratione, & quasi stupore. *Tenebatur ad crucem*, inquit S. Laurent. Iustinianus, *triplici funiculo, admirationis, doloris, amoris. Iuxta admirationis, & amoris mensuram inerat ipse dolor*. Quod attinet ad picturas, quæ illam cadentem aut lapsàm repræsentant, ijs ex [illegible] opinione introductis non est credendum, [illegible] que vtinam efficere possem, nè tales [illegible] ceps icones pinganeur, quæ B. Virginis constantiam & virtutem dedeceant.

CAPVT XI.

CHRISTI patientis amori, similis amor à Deipara redditus.

§. 1.

Patientis CHRISTI *qualis amor?*

MAiorem hac dilectionem, inquit CHRISTVS, *nemo habet, quam vt animã suã ponat quis pro amicis suis*. Potest quidem amor etiam alijs modis declarari, vt: sua alteri largiendo; verbis & factis internum affectũ prodendo; alterius voluntati gratificando, opitulando, & subueniendo eius necessitatibus; ad eum tuendum & ornandum connitendo; sed hæc omnia, etiamsi nostra sint, sunt tamen extra nos, aut nobis extrinseca; seruamus & retinemus nos adhuc nobis. At pati & mori pro altero, non tam nostra, quàm nos concernit, nos damus, nos impendimus; imò nos esse desinimus ad contestandum amorem nostrum. Talem amorem CHRISTVS in passione nobis exhibuit, cum se in mortem, eamque acerbissimam dedit; adeóque maiorẽ exhibere nõ potuit. Quanquam, si amoris huius adiuncta & peristases consideremus, eũ maximo maiorẽ fuisse fateri debebimus. Siue.n. spectemus eos, quos sic amauit, pro quibus animã suã posuit, ij erant non *amici* eius, sed peccatores, iniusti, impij, inimici. *Vix pro iusto quis moritur,* inquit Io. 15.

inquit Apostolus Rom. 5. *Nam pro bono for-
tan quis audeat mori. Commendat autem cha-
ritatem suam Deus in nobis, quoniam cum ad-
huc peccatores essemus, secundum tem
CHRISTVS pro nobis mortuus est.* Et super
dixerat; *CHRISTVS pro impijs mortuus est.*
ue spectemus eum, qui mortuus est, is D
est, cui cum mori & interire repugnet e
natura, quæ necessaria est, & cui essen
esse; aliam naturam assumpsit, in qua e
tate mori posset, & reipsa, vt eam dec
moreretur. Si cogitemus mortis gen
dum, is erat eiusmodi, vt eo ad te
amorem excogitare ampliorem no
mus; quippe per omnes cruciatus duc
est, & quidquid est aliorum bonorum
fortunarum, vitæ, secum abstulit. Si d
attendamus affectum amoris, eo am
exarsit, vt sua vulnera, suos dolores,
lem & tam acerbam mortem non v
curare; sed, abalienato quasi à suis ær
cruciatibus sensu, toto affectu in n
nostra suis, nos sibi quodammodo
denique se negligere, nostri duntax
agere. Expendamus paululum hunc
affectum. Sequebantur eum mulieres, q
tenerior solet esse commiseratio, ad mor
Luc. 23. mortem autem crucis euntem, *quæ fleb
lamentabantur eum.* Quibus ille hoc p
de se, hoc de ijs, pro quibus moriebatur, &
niuersim de omnibus, quibus hæc
potest

potest accommodari: *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsos flete, & super filios vestros.* Si sanctissima Virgo Dei Mater hanc vocem audiuit, & inter illas mulieres fuit, vt fuisse censet S. Bern. quamuis id neget Suarez; & si etiam inter illas non fuit, cùm nó longè abesse potuerit, potuit audiuisse; & verò etiam aut audiuerit, aut certiùs, quàm si audiuisset, intellexerit; nónne *anima eius liquefacta est, vt dilectus* eius sic *locutus est*? Itáne verò, mi IESV! flere nos super te prohibes, in tam lugubri & miserabili tuo statu, quo saxa & rupes mouerentur; imò & pòst paulò mouebuntur, neque quin se scindant contineri poterunt, & inter omnia, minimè ad motum idoneum elementum terra, ipsa mouebitur: nos verò etiamne flere prohibes? *Nolite*, ais, *flere super me*. Ergo saxis & petris insensibiliores sumus, & duriores? Iosias cùm allatus esset ex prælio vulneratus, curru Regio, & mortuus in Ierusalem 2. Paralip. 35. *vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum, Ieremias maximè, cuius lamentationes, omnes cantores, atque cantatrices longo post tempore replicabant, & quasi lex obtinuit in Israël*, ita vt in prouerbium & similitudinem luctus ille abierit, ad declarandum maximum luctum, quâ vtitur Zacharias Propheta c. 12. Et cùm hæ mulieres te plangunt & lamentantur, ô bone IESV; tu id vetas? tu dicis: *Nolite flere super me.* Ergóne Iosias præ IESV deflendus

Cant. 5.

est;

est; imò ille flendus, hic siccis oculis, longè quàm ille magis vulneratus, & ad atrociorē mortem destinatus, imò impiè damnatus, & rebus omnibus altero melior ac præstantior; siccis, inquam, oculis, sine commiserationis sensu est aspiciendus? Ieremias, nō Iosiam solùm Regem probum atque amabilem deplorat, sed scelestos etiam Iudæos, & omni flagitiorum genere coopertos, interfectos sic luget, ac deflet, vt exhaustis iam lachrymis, nouas capiti aquas, nouos oculis fontes desideret, vt solui totus in fletus velit. Sed & Isaias c. 22. ita plorat, vt nullum consolationi, nullū consolatori locum det: *Recedite à me, amarè flete, nolite incumbere vt consolemini me.* Et tu pro te innocentissimo, morti crudelissimæ addicto, toto corpore conscisso, & plurimis maximisq; vulneribus laniatò, nè primas quidem lachrymas permittis. *Nolite*, dicis, *flere super me.* Et quid ego plura commemorem? Hostem suum capitalem occisum Saulem ita
2. Reg. 1. luxit Dauid, vt non solùm ipse *sciderit vestimenta sua* cum suis, *& planxerit, & fleuerit, & ieiunauerit, vsque ad vesperam*, sed edixerit etiam, non tantùm filiabus Ierusalem, sed vniuersis filiabus Israel: *Filiæ Israël flete super Saul.* At nobis non hostis moritur, sed amicorum amicissimus, sed pater, sed frater, sed Sponsus, sed Deus, sed vnus omnia, & quasi malè meritus esset de nobis, à quo habemus, si quid habemus, si quid speramus boni, la-

mentis nobis & lachrymis interdicitur, nobis dicitur: *Nolite flere super me.* Quænã est hæc, & quàm admirabilis antithesis atque oppositio duorum dictorum: *Filia Israël flete super Saul.* & : *Filiæ Ierusalem nolite flere super me?* Vbi flendi materia aut nulla aut exigua est, fletus isque ingens & permittitur, & iubetur; vbi maxima est, non permittitur. At non eadem voluntas tua, Domine IESV, cùm vidisses aliquando Ierusalem, non prohibuisti oculis tuis quo minùs flerent; non dixisti: *Nolite flere*; sed vt habet S.Lucas c.19. *Videns ciuitatem fleuisti super eam.* Tuis igitur super Ierusalem fletibus habenas laxas, filiabus Ierusalem super te fletum non concedis, cùm tu commiseratione omni dignus sis, Ierusalem supplicio & pœnâ. Quidnam hoc est rei? Equidem non reor fletum, aut commiserationem de Dei & Domini nostri tantis pro nobis susceptis doloribus hîc prohiberi, cùm aliunde constet, ei esse gratissimam; sed nimirum amorem suum in nos his verbis vult prodere Dominus. Facit enim hoc vehemens amoris in rem amatam affectus, vt suos, quantumuis graues, ob illam toleratos labores, ærumnas, imò & cruciatus non magni ducat; rei verò amatæ miserijs tangatur vt suis, & magis quàm suis; illos vix putet lugẽdas aut miserãdas, has vel maximè. Quatuordecim annis durã seruitutẽ seruiuit Labano Iacob pro Rachele, ita vt *die noctuq; æstu*

vrere-

vreretur & gelu, fugerétque somnus ab oculis eius; & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, Gen. 29. & 31. adeóque & labores parui ac leues. Si igitur & CHRISTVS ob immensi in nos amoris magnitudinem, mortem & immanes suos cruciatus, quasi pro leuibus ducit; & licèt, vt maximum in nos declararet amorem, maximos assumpserit; illos tamen nostris malis miserijsque posthabet, vt hæ illi deflendæ potiùs, quàm illi videantur. Vnde *flete super vos*, ait, & *Nolite flere super me.* O amor! quem nemo cognouit magis, quàm sanctissima Virgo, & nemo pari amore compensauit, aut redamauit magis. Quanta enim ille in Virgineo pectore excitauit incendia! quàm ignito telo cor illud traiecit!

§. 2.

CHRISTVS crucifixus amoris schema.

Iam si vel CHRISTVM Filium suum crucifixum aspexit Virgo, quid nisi Amorem ipsum aspexit? Nec enim alio habitu & schemate se aptiùs induere poterat Amor. Vide enim cum Virgine hunc habitum, hoc schema amoris tui, ô homo. Expandit brachia quantùm potest amor. quorsum? nisi Primò vt te totum, & amplissimè amplectatur. Secundò, vt quasi arcum tendens ex corde sagittas amoris in te eiaculetur. Tertiò, vt seipsum tibi demonstret
Gen. 45. qualis sit: *Ego sum*, inquit, *frater vester Ioseph, quem*

quem vendidisti. Quartò vt offerat Patri pretium redemptionis tuæ. Quintò, vt pro te oret velut alter Moyses manibus extensis. Sextò, & extendit ad crucem, vt ex ea capiat thesauros repositos à Patre, quos in te effundat. Septimò, vt sibi ostendat & significet, quòd *labores manuum eius manducabis.* Octauò, vt Ps. 127.
à terra te ad cælum eleuet & transportet. Nonò, vt *sicut aquila* quasi expansis alis *super* Deut. 32.
te volitet, & ad volandum te prouocet. Decimò, vt *quemadmodum gallina congregat pullos* Matt. 23.
suos sub alas suas. Vndecimò, vt *in velamento* Cant. 2.
alarum eius speres, sub vmbra illius, qui desiderabilis est, sedens & quiescens protectus ab æstu meridiano, ibique decidentes *fructus* crucis colligas *dulces gutturi tuo.* Duodecimò, vt qui antea digitis creauit omnia (nam *opera digitorum eius sunt cæli) & tribus digitis* Ps. 8.
appendit molem terræ, nunc *in manu forti &* Is. 40.
brachio extento atque excelso operetur salutẽ Deut. 5.
tuam in medio terræ. Decimotertiò, vtque se Is. 53.
tibi reuelet, qui est *brachium Domini*, simulq́; magnitudinem amoris *secundùm magnitudi-* Ps. 78.
nem brachij sui, quod *annuncies generationi* Ps. 70.
omni quæ ventura est ac dicas: *Fecit potentiã* Luc. 1.
in brachio suo, fecit magna qui potens est, & sanctum nomen eius, & charitas ac misericordia eius à progenie in progenies, quas extentis brachijs disponit ac disterminat.

Spinis implexum caput gerit amor. Cur? nempe Primò quærendo ouem perditam per

lustra & spineta, spinis se induit. Secundò quia, cùm quæsiuisset, quamprimum in hunc mundum venit, *hominem comparatum iumentis insipientibus & similem illis factum* in stabulo, & is cum in feram prorsus degenerans fugeret, per aspera & senticosa secutus est. Hinc illæ spinæ. Tertiò, vt purpurascentes amoris rosas ex spinis eius legas, nobilissimam corporis partem occupantibus. Quartò, vt *spinas & tribulos* quos tibi in pœnā *terra germinat*, in caput suum transferat. Quintò, vt te spinis suis implicet, & transfigat, sic, vt ab eo separari, & auelli non possis, & velut membrum capiti connectat.

Ps. 48.

Gen. 3.

Pedes transfixos habet amor. Cur? Vt primò de eius possessione securus sis, neque effugiturum auolaturúmve suspiceris, sed cum sponsa dicas. *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam.* Secundo, vt eis cum Magdalena te aduoluas, & Magdalenæo amore potiaris. Tertiò, vt haurias ex his apertis fontibus, tibi in terra posito proximis, aquam omnium gratiarum, & donorum cœlestiū, & præcipuè vinum charitatis, quo te inebries. Quartò, vt sint tibi instar altaris, super quod imponas peccata tua comburenda igne charitatis & misericordiæ eius. Quintò, vt eos amplectendo recogites iter Ducis tui à cælo ad stabulū, à stabulo ad crucē, à cruce ad cęlū, quo te ducere & præire gestit. Sextò, vt sicut eos ille ad crucē amore tui fixit, ita tu vicissim

Cant. 3.

ad

ad eos affigas atque alliges omnes affectus tuos, vt captiuos Crucifixi, eiúsque amori atque obsequio mancipatos.

Sanguine rubet totus vulneratus amor. Cur? Primò hanc nimirum purpuram amat amor, hoc se colore vestit, certans pro amato vsque ad sanguinem, laborans & sudans vsque ad sanguinem. Secundò, conscisso tot vulneribus mortalitatis sacco, lytrũ & pretiũ omne, sanguinem effudit liberaliter pro amato; imò prodigè, nihil vt præterea reseruet. Tertio, Amoris & affectus sedes est sanguis. Hoc cùm se totum toto tegit atque operit, toto seipso seipsum totum operit amor, vt in amore nihil nisi amorem videas. Quartò, amat multa vulnera amor, vt apertis velut multis simul ostijs, non vnâ viâ, sed vndique in te erumpat. Quintò, vt quacunque in parte os applices, amorem bibas, ex tot circumquaque hiatibus scaturientem.

Moritur inclinato capite amor. Cur hac formâ se præbet spectabilem? Primò, vt tibi præbeat osculũ. Secundò, vt valedicat ex hac lachrymarum valle discedens, & te ad sequẽdum inuitans. Tertiò, vt tibi dicat moriẽs hæc pauca ad aurem cordis tui: Morior amore tui. Quartò, vt tuis postulationibus annuat. Quintò, vt, cùm non habeat vbi caput suũ reclinet, sinum illi tuum morienti accommodes ac pandas, in quo pectus reponat tot & tantis cruciatibus propter te fatigatum. Sextò, vt

spineam tibi coronam tradat, amoris in te sui mnemosynon, quam pro illo gestes. Septimò, vt, cùm aliter nequeat, capitis inclinatione ostendat, restare aliquot in lacerato corpore sanguinis guttas, quas adhuc tibi donare velit, & pro te lancea effundere. Octauò, vt ostendat non mortis imperio aut iure, sed suo
Io. 10. nutu & tui amore se mori, *potestatéque* suâ vti *ponendi animam suam.* Nonò, vt annuendo
Philip. 3. Patri æterno *fiat obediens vsque ad mortem*
Is. 53. pro salute tua. Decimò, vt indicet *positas in se iniquitates omnium nostrum*, quæ illi suâ mole, & pondere caput & ceruices inclinarint. Vndecimò, vt, si ex eo quæras; pluráne pro te paratus sit pati, & per sæcula pro tui amore in cruce esse? capitis nutu affirmet.

Neque verò solùm dum viuit in habitu suo & schemate, se prodit noster Amor, sed & iá mortuus, aliud, idque pœne euidentius assumit. Nam illi amplo latóque vulnere hiat pectus. Cur id? Primò, vt declaret charitatis excessum, quæ interiùs se continere nequijt, quin foras quasi violenter disrupto latere exiliret. Secundò, vt ostenderet inclusus ille in præcordijs amor, se fuisse causam omniũ, quæ Dominus ille Deusque noster, fecit & passus est pro nobis. Vt tibi domicilium *in* hoc *fora-*
Cant. 2. *mine petræ & cauerna maceriæ* colloces. Quartò, vt faciliorem aditum habeas ad cor eius. Quintò, vt ex illo sagittis amoris continenter transfigaris. Sextò, vt cor tuũ liberiùs

cordi

cordi eius coniungas. Septimò, vt ex illo fluát tibi omnia aromata gratiarum. Octauò, vt indè spiritus vitales, qui ex corde generantur, desumas, ad vitæ opera exercenda. Nonò, imò vt cor ipsũ indè accipias, vt sicut, CHRISTVS amor tuus tibi mortuus est, ita tu non tibi, sed illi viuas, idque eius corde, quod est principium vitæ.

§. 3.

Charitatis CHRISTI latitudo, longitudo, sublimitas & profundum à Virgine Deipara maximè cognita.

Hæc, & si quæ sunt alia, nos animæ viles, & in rebus diuinis hebetes, ac pœne insensatæ, &, quod caput est, quibus virtus & charitas aut infirma est, aut nulla, de CHRISTI crucifixi amore concipimus, &, si res, vt est, spectetur, vix aliquid concipimus, sæpéque cæcutimus atque hallucinamur; & videmur tamen nobis non parum concipere. Quid verò sacratißima Deipara? quæ & mente fidéque illuminatißima, & virtute ac charitate corroboratißima ac summa fuit. hæc enim ad cognoscendam CHRISTI charitatem S. Paulus requirit, hæc Ephesijs suis à Deo c. 3. demißißimè precatur ac postulat: *Flecto*, inquit, *genua mea ad Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum eius in inte-*

riorem hominem: CHRISTVM habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem CHRISTI, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Innuit his verbis Apostolus, non quemuis esse idoneum ad intelligendam CHRISTI charitatem, quandoquidem orat, vt & *CHRISTVS habitet per fidem in cordibus* nostris (Nam *nisi crediderimus non intelligemus*) & vt *virtute corroboremur per spiritum eius in interiori homine, simusq; in charitate radicati & fundati*, vtique per corroborationem Spiritûs Sancti in interiori homine, & tum demum subijcit: *vt possitis comprehendere, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem CHRISTI.* Sed mirabile illud est, ac paradoxo simile, quod ait: *vt possitis comprehendere*; cùm tamen statim subijciat charitatem CHRISTI supereminentem esse omni scientiæ. An quod supra se est, mens humana comprehendere poterit? Videtur mihi hoc insinuare velle D. Paulus, quòd, si non dabitur ipsam in se comprehendere charitatem CHRISTI, cùm sit supereminens omni scientiæ, licebit saltem intelligere, eam esse penitùs incomprehensibilem. Id enim & in cæteris diuinis perfectionibus perscrutandis contingit, vt, cùm omnia explo-

exploraueris, mentéque conceperis, cogaris fateri, nihil horum esse Deum, sed supra ea omnia, quid immensum & incogitabile. Ita ergo & dimetiendo charitatem CHRISTI, secundùm latitudinem, & longitudinem, & sublimitatem, & profundum, cùm nullos terminos repereris, intelligas comprehendi non posse; quæ est quædam illius comprehensio, qualis mortalibus in hac vita contingere potest. Cæterùm quamuis hæc ita se habeant; tamen B. Virgo, quæ, vt dixi, sicut fidei lumine illuminatissima, & in virtute, charitate, spiritu, vt nulla alia pura creatura, imò nè omnes quidem simul sumptæ, maximè fundata ac corroborata fuit; ita præ omnibus, quantum puræ creaturæ, eique Dei Matri in hac vita degenti fas fuit, CHRISTI incomprehensibilem charitatē intellexit. Intellexit, inquam, latitudinem illam, quâ ad omnes omnino homines hæc charitas se extendit, à polo ad polum, imò vltrà, si plures mundi forent. Atque vtinam & nos intelligeremus, lōgè quā nūc alios haberemus affectus. Aliquid tamen breuiter, pro modulo & exigua mensura intellectûs nostri de illa dimetiamur. In veteri testamento summus Sacerdos, in rationali, scùlpta gestabat in totidem gemmis, 12. nomina tribuum Israëliticarum, quasi certæ gentis familiarū Sacerdos & interpres apud Deum. At verò CHRISTVS *Sacerdos à Deo appellatus secundùm ordinem Melchisedech,* Heb. 5.

 in illa

in illa solemni oblatione sacrificij vespertini, quod offerebat moriens super altari crucis, latitudine charitatis expandens, quâ potuit latissimè, manus, & dilatans in immensum amoris viscera, omnes omnino mortales complexus est, & in sinum suum recepit, omnes in manibus suis, omnes in preciosissimis vulnerum, quas tot & tantas in cruce habuit, gemmis descripsit, non iustos tantùm, sed & peccatores, propter quos se in mundum venisse

Matt. 11. profitetur. *Non est qui se abscondat à calore eius*, quin & crucifixus expandit *manus* suas *ad*

Ps. 18. *populum non credentem, & contradicentem*, i-

Rom. 10. mò & vitam eripientem sibi, & crucifigentē se. O! latissima charitas. Neque verò, dum extenditur hæc charitas ad omnes, minor est ad singulos; sed tota in omnes, & æquè in singulos, non admittens remissionem, neque diuisionem. Nam facultas est par voluntati, nec, si multis bene velit; ideo minùs præstare singulis potest. Cùm igitur sit omnipotens, velle Dei erga singulos non est remissius, quòd paria non posit vnicuique præstare. O! bona charitas, quæ simul est omnipotens. Homines idcirco non pariter alios amant, quia dare nō possunt omnia omnibus, & indè fit, vt in conferendo, quod possunt, debeant istos illis præferre. CHRISTVS autem, cùm præfert, id non facit ex impotentia dandi, sed vel ex vitio accipientis, vel ex sui consilij prouidentia. Pandit ille charitatis ostium amplissimum omnibus,

bus, vt maiori iure illi conueniat illud 2. Cor. 6. *Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris. Eandem autem habentes remunerationem (tãquam filijs dico) dilatamini & vos.* Charitas est quæ dilatat cor, hæc est per quam dilatatum est cor CHRISTI. Hanc charitatis latitudinem cognitam, vt dixi, super omnes habuit SS. Virgo.

Sed non minùs eius longitudinem, quæ se porrigit ab æternitate in æternitatem, *Charitate* enim *perpetua dilexit nos*, ex quo Deus est, qui nunquam non fuit. Etenim quod Deus extra se facere decreuit, ex æternitate decreuit, nè, si pòst dicatur decreuisse, putetur noua consilia capere, more hominum, qui non statim vident quod eligant, & hærent in consilijs capiendis. Itaque Deus ab æternitate nos amat. Et, quia quod æternum est, nunquam incæpit; oportet dicere, Deum nunquam cæpisse amare nos, quos nunquam non amauit. O! longæua charitas, sed in quo amauit ab æterno, quibus nihil contulit ab æterno! In eo amauit, quia ex tunc voluit nobis conferre, quod in tempore contulit, vt non solus ille esset, & beatus esset, sed & nos cum illo & essemus, & beati essemus. Itaque exercere cæpit æternum hunc amorem, quando adhibuit manum, vt conderet nos, & conderet ad beatitatem. Verùm, cùm à beatitudine per pec- *Ier. 31.*

Is. 12. catum *abalienati essemus retrorsum*, non reuocauit tamen ille charitatem, neque retra-
Io. 13. ctauit; sed *cùm dilexisset suos, in finem dilexit*
Galat. 4. *eos. Quando venit plenitudo temporis*, tum ef-
1. Io. 4. fudit se charitas & in carne apparuit. Nã *Deus charitas est*, & Deus caro factus est. Ergo charitas est incarnata, *vt carne carnem liberans; nè perderet quos condidit.* Liberauit autem, dirissima quæque in carne tolerando, & vitam cum sanguine in cruce profundendo, vt vitam homini perditam restitueret, &, quam ipse vitam exhalabat, illi quasi inhalaret, *in-*
Gen. 2. *spiraretque iterum spiraculum vitæ, vt fieret homo in animam viuentem*, & quidem priore nobiliorem; quippe qui Dei vitam participaret, & non modo esset consors felicitatis Dei, sed & socius ac frater. In hac, quæ iam tum aduenerat, plenitudine temporis, cùm videret Virgo Deipara exercitium amoris æterni in cruce peragi, ad tempus illud reseruatum, simúlque, & quantum illud esset, attenderet, & quàm longæui amoris, cuius longiturnitas siue longitudo æternitati commensa esset, nónne dicere potuit illud Prophetæ Habacuc 3. *Domine, audiui auditionem tuam*; intellexi nempe, quod reuelasti nobis, & nos audire fecisti, *& timui*; atque cohorrui, præ stupore & sacro horrore. *Domine opus tuum*, opus diuinum, opus æternæ & interminabilis charitatis, quod *in medio annorum*, intra annos scilicet, & tempus à te

præsti-

præstitutum & præfinitum, quo ego nunc id fieri oculis meis cerno, & coram specto, *viuificasti*, hoc est effecisti & suscitasti, & in hoc medio annorũ mihi notũ fecisti. Video *cornua in manib⁹ tuis*, cornua crucis, *ibi abscõdita est fortitudo tua*; siue (vt vertũt Septuaginta) *posuisti dilectionem robustam fortitudinis tuæ.* Verè robustam dilectionem, verè fortitudinis tuæ, id est, diuinæ, quando quod ab æterno ex infinito amore destinasti, id nunc perficis, quando *fortis vt mors est dilectio* tua, quæ Deum ipsum addicit morti, morti subijcit, simúlque vicissim fortissimè mortem, & cum illa Diabolum fugat ac vincit. Nam *ante faciem tuam ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes tuos*, ducti in triumphum. *Stabis*, victor, & *metieris terram*, tua potestati illam subdens, & *incuruabis colles mundi*, illos scilicet, qui vt colles, in mundo super alios eminent, vt curui, humiles, proni te adorent, adiges. Vnde autem eò adigentur? *Ab itineribus æternitatis tuæ*, dum cognoscent, & admirabuntur itinera æternitatis tuæ immensa, quæ hominum causâ confecisti, vt infinito & æterno amore impulsus, ex æternitate ad tempus, homo factus, descenderes, cornua crucis manibus, quod nunc facis, complecterêre. *Egressus enim tuus à diebus æternitatis*, Michææ 5. Hic æternus & longæuus amor potens est omnes ad te adorandum incuruare, excitare ad redamandum.

Cant. 8.

Atque hæc quidem longitudo dilectionis CHRISTI, quid sublimitas & profundum? O! altitudo charitatis & misericordiæ Dei, quàm incomprehensibilis est sublimitas tua, & inuestigabile profundum tuum! Quid sublimius Deo? quid cruce, contemptu, morte humilius, abiectius, magis imum? Atqui ille,
Philip. 3. qui *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, Deus ille Altissimus *exinaniuit semetipsum, semetipsum humiliauit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, idque pro homine, inter quem amatum, & Deum amantem est distantia infinita. quàm enim iste sublimis? quàm ille abiectus? & hominē peccatorem, Deo inimicum, quod longè maius est profundum, & infra omne profundum. Prô! quæ profunditatis abyssus. Quid dicemus ad hæc? Quò potuit vltrà charitas excrescere? Quid amplius potuit facere & non fecit? Et forte hæc causa est, quòd magnus ille Sacerdos CHRISTVS, inter oblationis tempus super crucem, primò quidem dixit: *Sitio*. Quid sitis, ô bone IESV? Plura pati, plus sanguinis fundere, si opus sit pro gloria Patris, pro salute, pro amore hominum, aut aliquid inuenire quo magis declarem charitatem meam. Deinde verò subiunxit: *Consummatum est*. Non datur vltrà amare. Exhausi charitatis fontem, exhauriendo venas. O charitas! ergo ad summum & imum deuenisti? non habes quò te ampliùs attollas? quò deprimas? quò exten-

extendaris? Non habeo; quia nec maius aliquid Deo, nec maius vitâ Dei. hanc profundo propter inimicos meos. Tu, *Pater, suscipe spiritum meum*. O vnice Phœnix, igne charitatis absumpte in odorem suauissimum Patri. O momentum illud benedictum, dignum ante omnia, *vt computetur in diebus anni, & numeretur in mensibus*. Iob 3.

§. 6.

CHRISTI patientis amori similis & mutuus amor redditur patiendo.

Sed est & hoc in hac sublimitate & profundo consideratione dignum, quòd non tantùm Altissimus semetipsum humiliauit vsque ad crucem, *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos*, quod est profundum; sed & crucem, & ea, quæ crucem consequuntur, dolorem, contemptũ, egestatẽ, sublimauit vsque ad Deũ, qua non potest esse maior sublimitas. Nã crux, & ea, quę illi adnexa sunt, Deo cõnexa sunt, Dei sunt, ad Deũ pertinent, à Deo suscepta sũt, idq; tenerrimo cũ affectu & amore. Vnde & dignitatẽ à Deo maximã acceperũt, & facta sunt sicut Dei in nos, ita nostri in Deũ amoris testificãdi aptissima & præstantissima media; præsertim cùm ille ideo *passus sit, vt nobis relinqueret exemplum, & sequamur vestigia eius*, & hoc maximè modo mutuum ei amorem reddamus. Hinc illa crucis & ærumnarum desideria in amatoribus vel redama- Ephes. 2. 1. Pet. 2.

toribus CHRISTI sunt orta, quibus pleni sunt libri & annales; imò & gaudia ac tripudia in contumelijs, & cruce quasi honoribus & delicijs inuentis. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliã pati*, Act. 5. Attẽde ad vocẽ (*digni*) dignitatem ergo illã ducunt Apostoli. Cũ S. Rufina virgis atrociter cæderetur, Iudicẽ S. Secunda eius soror sic interpellauit: *Quid est, quòd sororem meam honore, me afficis ignominia? Iube ambas simul cœdi.* En virgis cœdi, honor est, nõ cœdi, ignominia! Marcus & Marcellianus fratres pedibus ad stipitẽ clauis affixis dicebant: *Nunquã tam iucundè epulati sumus, quã hæc libẽter IESV CHRISTI causa perferimus, in cuius amore nũc fixi esse cœpimus. Vtinã tam diu nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus.* En in crucẽ agi atq; affigi iucundæ epulæ sunt! *Non sic ad thalamũ nupta properauit, vt ad supplicij locũ B. Agnes, læta successu, gradu festina processit.* En suppliciũ gaudiũ nuptiale! S. Ignatij Martyris quod fuit desiderium? quæ votorum summa? An aliquid de his, quæ videntur? Non se putasset CHRISTI discipulũ. *Nunc*, inquit, *incipio CHRISTI esse discipulus, nihil de his, quæ videtur desiderãs, vt IESVM CHRISTVM inueniã.* Quid igitur, Ignatj desideras? *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis cõtritio, & tota tormẽta Diaboli in me veniant, tantũ Christo fruar*, CHRISTO associer.

S. Ambr. lib. de Virg.

associer. Vnde hæc tibi taliũ rerũ sitis? Quid aliud dicet, quã quod dicebat semper, quod sẽper in ore habebat Theophorus iste? *Amor meus crucifixus est, crucifixerunt amorẽ meum.* Nõ tot esse poterãt carceres, vincula, ærumnæ, alteri illi Ignatio, qui Societatẽ IESV, in Christi imitatione positã fundauit, quin plures ille, Christi amore concupisceret. *Qui* enim ait S. Chrys. ho. 8. in ep. ad Eph. c. 3. *diligit & ardet Christũ, eligit potiꝰ vincula ferre propter Christum, quam cælos inhabitare.* De se verò idem Chrysost. *Potius*, inquit, *mihi habetur malè affici pro Christo, quã honorari à Christo*; pluráq; & maiora adnectit, quibꝰ, quanti æstimet pro Christo pati, declarat. Sed qd ego his immoror, cũ mihi propositum sit de Deipara loqui, hîcq; sit meæ dictionis ac scriptionis scopus? Quanquã per hæc nõ multũ abeo à scopo. Nã, si hi, quos nunc retuli, Sancti, his desideriorũ ignibꝰ, pro Christo patiẽdi, sunt correpti, quia intelligebant, se neq; digniùs neq; aptius posse mutuũ amorẽ Christi amori reddere; in quæ putabimus desideriorũ incẽdia erupisse cor Virginis? quæ id & meliùs cognoscebat, & vel sensibꝰ ipsis præsenti Christi amore fruebatur, & ad redhibendum amorẽ sine comparatione fuit paratior ac prõptior? S. Calliopij Martyris Mater Theoclia, in amplexu filij crucifixi mortua est. O! quã libenter ac cupidè hæc quoq; Mater in amplexu IESV Filij sui crucifixi, eiusque crucis, ex eius amore mortem obijsset! quàm optabile, quàm suaue illi fuisset eosdẽ

cum CHRISTO flagellorum ictus, eadem vulnera persentiscere, easdem capiti spinas impressas circumgestare, iisdem clauis cruci affigi, cum illo denique mori & Martyrium subire.

§. 5.

SS. Virgo quot modis plus quàm Martyr, & Martyrum Regina.

Cur igitur, inquies votorum compos facta non est? Imò verò facta est. Vnde SS. Patres eã, non modo Martyrum, sed plus quàm Martyrem faciunt. Quomodo id autem? Primùm, quia (vt pedetentim procedamus) non modò maiori, vt paulò antè dixi, dolorum & mortis pro CHRISTO subeundæ cupiditate, quã vlli Martyrum flagrauit, adeóque voluntate magis, quam illi Martyr fuit; sed etiam Martyrio sponte, & generosissimè, fortissiméque se obtulit. Quanta enim illa animi fortitudo, qua per obstantes Ethnicorum & ferocium militum cuneos Virago illa perrupit, per impiæ plebis rabiem, per odia Sacerdotum, & Scribarum penetrauit, & proximam se CHRISTO crucifixo Filio stitit, omnes eorum impetus, omnes carnificinas, si illis liberet, exceptura. *Stabat*, inquit S. August. in lib. de institutis Virgin. c. 7. *ante crucem Mater, &, fugientibus viris, stabat intrepida. Stabat non degeneri Mater spectaculo, quæ non metueret perem-*

peremptorem. Pendebat in cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat. Idem ferè dicit S. Ildephonsus ser. 2. de Assumpt. B. V. expendẽs illud verbum Stabat. *Parata,* inquit, *stetit ad quamlibet pœnam suscipiendam, si percussionis manus accessisset.* Pulchre Guerricus ser. 4. de Assumpt. *Stabat,* ait, *iuxta crucem IESV Mater eius, planè Mater, quæ nec in horrore mortis Filium deserebat: quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortior quàm mors erat?* Porrò licet Christi interfectores nec mortẽ, ad quã se offerebat, illi re ipsa intulerint nec directè intenderint illã propter Christũ affligere; reipsa tamen, Christũ persequẽdo, ipsam persequebantur, & CHRISTVM occidendo, quantum in ipsis erat, eam occidebant. Sicut ergo ad hoc, vt Innocentes verè dicantur Martyres, sufficiebat, quòd persecutores vellent interficere CHRISTVM, quamuis infantes illos non intenderint interficere propter CHRISTVM; ita est & in B. Virgine, præsertim cùm hæc aliunde sustineret dolorem sufficientem ad inferendam mortem corporis, nisi peculiari Dei ope fuisset suffulta. Ita Suarez t. 2. in 3. p. d. 22. s. 4.

Secundò, quia, esto exteriùs in carne passa non sit, passa tamen est spiritu, vt capite præcedenti dictum est, ob quam potissimùm causam Martyribus illam præferũt Patres. S. Hieronymus in serm. de Assumpt. sic loquitur. *Quæ, quia mente passa est, plus quàm Martyr fuit.*

fuit. S. Ildephonsus suprà citatus: *Tunc*, inquit, *plus quàm martyr fuit, quia in anima non minùs amoris quàm mœroris gladio intus vulnerata fuit.* Plus videtur asserere D. Anselmus. Nã in lib. de excellentia Virginis, de gladio doloris, qui maior fuit omnibus doloribus, sic ait: *Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ passionis.* Quæ verba Salazar, citans pro se alium quendam innominatum authorem, sic explicat: Si omnes omnium Martyrum cruciatus simul sumerentur, & in vnum cumulum coaceruarentur, doloribus B. Virginis cederent, essentque cum his comparati leues, vel potiùs nulli. Addit ibidem S. Anselmus: *Quæ nimirum passio tua, sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. Et vtique, pia Domina, non crediderim, te potuisse vllo pacto stimulos tanti cruciatûs, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ dulcissimi Filij tui, pro quo moriente conquerebaris, & tantopere torquebaris, te confortaret.* Quò spectat etiam illud S. Bernardini in tom. 1. ser. 61. a. 3. c. 2. dictum, quod c. 3. retulimus & explanauimus. *Tantus fuit dolor Virginis, quòd, si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt, diuideretur, omnes subitò interirent.* Fulminis illius, quod subtile in Meteoris dicitur, ea vis est, vt carnem & mollia sine læsione pertranseat; solida, dura,

dura, adamántina confringat, conterat, comminuat, quóque minùs nocet mollibus, eò magis sæuit in duriora. Fulminata fuit siue amoris, siue doloris ignè à CHRISTO crucifixo Virgo, brachia ad iaculandum, & vibrandum fulmen expandente. Et quid ex tetra dolorum CHRISTI nube, & ex micantibus ardentibúsque in nube illa amoris flammis, ex ignitis ab imo pectore & corde prodeuntibus accensa charitatis exhalationibus, quæ eousque exereuerant, vt animæ quoque ipsius exhalationem secum traherent: quid, inquam, nisi fulmineæ amoris & doloris flammæ in Virginem prodire poterant? Quin & Virgo ipsa nubes fuit. Sic enim eam appellat Sanctus Epiphanius: *O nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum, deduxisti CHRISTVM.* Loquitur de CHRISTO in vtero Virginis existente. Sed liceat nobis hanc lucidam nubem sic etiam interpretari, quòd tota CHRISTI penetrata fulgure, flammisque amoris ac doloris accensa arderet. Verum enimuero ardor ille fulmineus non mollem carnem per se. & corpus affecit, quæ integra in Virgine manserunt atque illæsa; mollia enim non lædit fulmen: sed quò minùs corpus læsit, eò magis animam, incorruptibilem illam atque immortalem, & velut adamantinam, tri-

plici-

pliciq́ue quodammodo ære conflatam hominis partem doloribus omnibus totam peruasit, & quasi comminuit, dissecuit, ac contriuit, & simul amoris fulgetris cælestiq́ue igne inflammauit, amoris, inquam, simul igne: nam, vt ait S. Fulgentius ad Trasimundum Regem lib. 3. c. 23. *animam ponere* (addo ego in anima pati) *dilectionis est proprium, vbi autem dilectio non est, corpus tradi dicitur* (alludit S. Fulgentius ad locum S. Pauli 1. Cor. 13.) *anima poni non dicitur.*

Tertiò, Martyribus durum & acerbum fuit sustinere vulnera & tormenta: B. Virgini contrà durissimum & acerbissimum fuit, idq́ue ob immensam amoris magnitudinem, vulnera & tormenta non sustinere. Itaq́ue contrario Martyribus modo, eoq́ue superexcellentissimo Martyrium subijt. Vbi illi dolorem habebant, ibi illa habuisset delicias, & non dolor (scilicet corporeus per vulnera) dolori illi fuit. Deinde mors pro CHRISTO obita Martyres fecit; at illi nó mori, morte tristius fuit, & Filium moribundum aspicere, plus quàm mori fuit.

Quartò, Martyres cùm in corpore cruciamenta tolerarent, in anima recreabantur, & internis solatijs perfundebantur, vt de SS. Marco & Marcelliano suprà retuli, & de multis alijs legitur; & saltem cogitatio illa, quod pro CHRISTO gloriosum sanguinem funderent, & honestissimâ morte defungerentur.

illos

illos exhilarabat. At B. Virgini, *cuius animam doloris gladius pertransiuit* solatia à Deo subtracta sunt, vt sentit Scribanius in lib. de pass. & alij, fuitque tota in desolatione & amaritudine, quam voluit eam pati Deus, ad maius meritum. In quo similis erat CHRISTO cuius *anima tristis fuit vsque ad mortem, cœpitq; tadere, pauere, & mœstus esse*, idque ad finem vsque passionis, in quo clamauit: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et ob eandem causam multi Sancti, vt CHRISTO conformiores essent, malebant in desolationibus, quàm consolationibus esse. Ad hæc Martyres, quò magis diligebant Christum, eò minora illis reddebantur illa, quantumuis in se maxima, quæ patiebantur, & leuiùs, imò cupidiùs ea tolerabant non tantùm ex eo, quòd extraordinarijs cœlestibus solatijs eos Deus in tormentis perfundebat; sed etiam quia per se magnum est solatium, si cogites, te pati pro eo, quem sic ames, vt paratus sis acerbiora pro illo pati. At Deipara quò magis diligebat, eò dolebat acerbiùs, quòd eum pati cerneret, pro quo ipsa pati omnia maluisset.

Quintò, Martyres patiebantur humana; *MARIA* verò (inquit Amadeus in hom. 5. de Virgine Matre) *vicit sexum, vicit hominem, & passa est vltra humanitatem; torquebatur enim magis, quàm si torqueretur ex se; quia supra se incomparabiliter diligebat id, vnde dolebat.* Quod dicit Amadeus, supra humanitatem passam,

passam, id sic interpretatur Salazar, quòd, cùm non modo hominis, sed Dei etiam esset Mater, non de homine tantùm, sed etiam de Deo patiente dolebat. Licèt enim dolor & mors Deitatem impassibilem non attingerent; attingebant tamen eum, qui erat Deus; adeóque Deipara de Deo patiente supra omnem humanitatem dolebat.

Sextò, quia dolores cum CHRISTO communes habuit, ei cócrucifixa, &, vt illā appellat S. Epiphanius *cruciformis*, ijsdem plagis in spiritu sauciata, ijsdem clauis cófixa, vt posset multò quā S. Paulus magis dicere; *CHRISTO confixa sum cruci. Viuo ego iam, non ego, viuit vero in me CHRISTVS,* imò & patitur in me CHRISTVS, & ego in CHRISTO patior, & in eo morior. Nimirum vt ait S. Hieron. suprà, *eius dilectio ampliùs fortis quàm mors fuit; quia mortem CHRISTI suam fecit.* S. Brigittæ multa B. Virgo de suis doloribus reuelauit, vt habetur li. 1. reuel. c. 10. 27. 35. l. 4. c. 23. & 70. vbi inter cætera ait. *Dolor filij erat dolor meus; quia cor eius, erat cor meum.* S. Bonauentura in stimulo amoris cap. 4. expendens verba illa; *Stabat iuxta crucem Mater eius*, clariùs & apertiùs de hoc differens, sic B. Virginem alloquitur: *O Domina mea vbi stas? nunquid iuxta crucem? imò in cruce cum Filio cruciaris, ibi enim crucifixa es secum. quod ipse in corpore, tu in corde es passa; nec non singula*

vulnera

vulnera per corpus eius dispersa, in tuo corde generaliter sunt vnita; quia nempe tuam ipsius animam gladius pertransiuit. Tu Domina, in tuo corde es lanceata, tu amaris clauis conclauata, tu spinis coronata, tu illusa & exprobrata, tu contumelijs & maledictis affecta, tu etiam felle, & aceto potata. O dulcissima Domina cur iuisti immolari pro nobis? nunquid non sufficiebat nobis CHRISTI passio, nisi crucifigeretur & Mater? En! quantam dolorum & passionis vnitatem hic Sanctus & pius Doctor in Matre & Filio agnoscit. Idem videtur voluisse Sanctus Laurentius Iustinianus lib. de triumphali CHRISTI agone, cum de Matre dolorosa dixit. *Cor eius clarissimum passionis CHRISTI speculum, & perfecta mortis imago effectum erat.* Imò corporei dolores CHRISTI leuiores fuerunt eius internis in spiritu doloribus, vt dictum est capite præcedenti. Cùm igitur corporei CHRISTI dolores longè superauerint dolores aliorum Martyrum, quid de doloribus B. Virginis sentiendum erit, nisi quòd & maximi fuerint, &, quia cum CHRISTO communes, & ex eius doloribus deriuati, summè ab eo dignificati? Adde, quòd præter dolores CHRISTI, quorum illa in spiritu particeps fuit, alios ex CHRISTI vulneribus, post eius mortem acceptis, dolores,
eosque

eosque grauissimos sensit, quos in se, & exterius non sensit CHRISTVS. Quòd ponderat S. Bernardus, ob idque eam vltra Martyres euehit, ac prædicat in ser. super illa verba Signum magnum. *Et quidem*, inquit, *etiam postquam emisit spiritum tuus ille IESVS, ipsius planè non attigit animam crudelis illa lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus; sed tuam planè animam pertransiuit: ipsius enim anima iam ibi non erat, sed tua planè indè nequibat auelli. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plus quàm martyrem te non immeritò prædicemus.*

Septimò, Contumelias, conuitia, maledicta & improperia, quæ in Martyres à persecutoribus iaciebantur, illi propter CHRISTVM quidem sustinebant: at B. Virgo non tantùm propter CHRISTVM, sed & in CHRISTO, tanquam ad se quoque directè pertinentia: ita vt *opprobria exprobrantium Christo caderent super eam*. Nam contumelia & ignominia, quâ afficitur Filius, redundat in Matrem, & hoc ipso, quod in patibulo suspenditur Filius, dedecorosum & ignominiosum putatur esse Matri, si talis Filij appelletur Mater. Has autem contumelias, irrisiones, conuitia, probra, maledicta, cōtemptus, improperia, ignominias, vt non solùm pro CHRISTO, sed & cum CHRISTO, imò & in CHRISTO exciperet Virgo, proxima cruci stetit, palàm professa, se crucifixi Matrem esse, vt posset congruenter

Ps. 68.

gruenter dicere illud: *Exeamus ergo extra castra improperium CHRISTI portantes.* *Heb. 13.*

Denique CHRISTVS Rex & antesignanus Martyrum, Martyrium & mortem subijt in ea carne, quam accepit à B. Virgine, quæque fuit B. Virginis caro: hac enim phrasi vtuntur SS. Patres; adeóque B. Virgo in CHRISTI carne, vt in sua quodammodo patiebatur, & martyrium subibat. Imò non desunt, qui dicant, B. Virginem lactando CHRISTVM plus meriti obtinuisse, quàm Martyres fundendo sanguinem, idque non tantùm ob maiorem charitatem, quam in lactatione præ illis habuit; sed quia (de quo iam aliquid c. 9. §. 3. dixi) per illã nutriuit CHRISTI pro nobis passi carnem. Et eò applicant illud Cant. 7. *Vbera tua assimilata sunt botris. Vbera* (inquit Heilgr. citatus à Salazar cap. 40. de Immaculata Concept. §. 2. n. 7.) *botris assimilata sunt, in quo mirabilis prærogatiua merendi monstratur in Virgine; quæ non minùs meruit fundendo lac vberibus suis ad filij nutrimentum, quàm Martyres, qui per botros* (torculari pressos) *figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in Martyrio.* Deinde, vt ratiocinatur Salazar, cùm Virgo eo cõsilio Filium lactaret, atque aleret vt pro nobis pretium redemptionis Patri offerret, in communionem & societatem passionum ac meritorum CHRISTI quodammodo vocabatur. *Lacta* (inquit S. Ildephonsus in ser. 1. de Natiu. B. Virginis) *MARIA creatorem tuum,*

lacta panem cæli, lacta pretium mundi, præbe lambenti mammillam, vt ipse præbeat percutienti maxillam. Quod si D. Paulus, Christianos, qui eleemosynis suis Apostolos ad prædicationem alebant, asserit Apostolicis etiā meritis cōmunicare: *Beneficētiæ, inquit, & cōmunionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus:* Hoc est, Beneficentia & liberalitate vestrâ iuuate Apóstolos, vt socij meritorum ac passionum, quibus illi, tanquā hostiæ Deo gratissimæ mactantur, communionem habentes, multum promereamini. Hoc enim significant verba illa: *Talibus hostijs promeretur Deus.* Hostiarum nomine appellat S. Paulus eleemosynas; quia per has Christiani, Martyrum, quos alebant, passiones, earumque merita sibiipsis quodammodo acquirebant. An non simile quid aliqua ratione de B. Virgine dici potest, quæ CHRISTO capiti Martyrum, præter carnem, quam illi in Incarnatione dederat, etiam lacte nutrimentum eiusdem carnis in passione vulneratæ subministrabat, eamque alebat?

Ex his igitur constat, B. Virginem longè supra Martyres esse, vereque dici Reginam Martyrum, vel, vt eam S. Ephrem in oratione ad Virginem vocat, *Martyrum honorem ac decus.* ob quod Suarez suprà citatus docet, eam in cælo nunc habere peculiare quid, præ aureolis Martyrū, quod est veluti insigne quoddam excellentissimæ fortitudinis & charitatis

tis eius, siue hoc etiam appelletur nomine aureolæ Martyrij, siue aliquid eminentius illâ, quod verius est. Quemadmodum etiã, inquit porrò ibidem Suarez, verisimile est, ob dignitatem Matris Dei, & egregium pietatis opus, quod B. Virgo in CHRISTVM exercuit, habere ipsam singularem aliquem splendorẽ ac decorem, qui perfectior sit, quàm omnis aureola; qui tamen inter aureolas non connumeratur; sed perfectio quædam est altioris ordinis. Sic etiam, licèt publicè non docuerit, aut pro concione prædicarit; non caret tamen Doctoris, eaque propria aureolâ; quia, vt ex SS. Patribus constat, singulari & excellẽtiori modo fuit fidei magistra, & doctorũ doctrix. *Satis* enim est ad hanc aureolam promerendam, veritatem fidei in alios diffundere, vt docet S. Th. in 4. dist. 49. q. 5. art. 5. quamuis id fiat sine publica prædicatione.

CAPVT XII.

Enormitatis peccati, pro quo patiebatur CHRISTVS, exacta & perspicua cognitio immane pondus, quo Deipara dolor aggrauabatur.

EST hoc caput vnũ ex præcipuis, quod B. Virg. *inebriauit absynthio, & ad amaritudinẽ deduxit animã eius*; imò in amaroris mare *Thren. 3.*

deiecit ac demersit. Nihil enim est, aut esse potest, quōd magis horrorem, abominationē, dolorem causare & creare queat, quàm peccatum etiam alienum. Satis multa de hoc argumento congessi in 1. parte libelli, cui titulus; Fontes Saluatoris. Sed quia eum libellum non omnes habent, &, quæ ibi sunt posita, magis per modum precationis & affectûs, quàm per modum discursûs dicta sunt; aliqua huc summatim transferā, additis, si quæ præterea occurrent, præsertim cùm hæc tractatio sit vtilissima, ad detestationem peccati inducens, & huius etiam loci propria.

§. I.

Peccati quanta enormitas, eáq; si rectè præsertim ex CHRISTI *paßione cognoscatur, quanta dolendi materia?*

Omnes CHRISTI Filij sui dilectissimi, eiusdémque & Filij Dei cruciatus tametsi sæuissimi, & mors adeò ignominiosa & acerba non tantam dolendi materiam B. Virgini suppeditarunt; imò & omnes aliæ rationes antè positæ, & quæ insuper excogitari possunt, si sine peccato spectentur; quantam viua apprehensio & attenta consideratio vnius peccati. Sicut & CHRISTO Domino omnes dolores, si etiam millies multiplicati & aucti fuissent, minoris fuerunt, quàm si vel vnicum peccatū in mundo commissum sit, vel committatur.

Imò,

Imò, quod est amplius, sola cogitatio commissi aut committendi ab hominibus peccati diriùs CHRISTVM excruciauit, quàm quidquid vel in cruce, vel totâ vitâ asperum acerbúmque tulit. Qui causas morales inquirunt, ex quibus orta est tristitia illa CHRISTI in horto vsque ad mortem, ille angor, pauor, tædium, illa agonia, qualem moribundi subire solent, quæ morte ipsâ grauior est, & mors non nisi propter illam est grauis, ille sudor sanguineus ex toto corpore vbertim prorũpens, & in terram vsque copiosè & cum impetu decurrens (quo valde sonante verbo vtitur S. Lucas) huius, inquam, tam horribilis afflictionis causam esse aiunt, peccati apprehensionem, pro quo mortem subiturus erat, quæ illum magis quàm mors, & omnis cruciamentorum diritas affecit. Hominibus quibusdam res aliquæ ita repugnant, ita complexioni naturali sunt aduersæ, vt ad earum conspectum, quin & solam præsentiam, toti angore & sudore immadescant, & animi deliquia patiantur. Vidimus, & sæpe etiamnum videmus, quibus feles nè quidem visi, sed non longè duntaxat positi, nefrendes asſi, & alia quædam illum naturæ horrorem incusserunt, & tantam alterationem induxerunt. Sic res habuit cum CHRISTO, cuius constitutioni & inclinationi magis contrarium est peccatum, quàm vlla res vlli rei alteri. Dolores, & quæcunque dira, atrocia, horrida, quæ vel c. 22.

illata sunt illi, vel inferri possunt, pati potest CHRISTVS; contemptus & ignominias extremas tolerare potest; calcari pedib⁹, suspēdi in patibulo, inter latrones reputari potest; spoliari rebus omnibus, ipsa etiam cute, sanguine, carne, potest; immanissimè trucidari, acerbissimè mori potest: at vel vnicum etiam minimum peccatum in se admittere non potest, idque non tantùm quà Deus est, siue secundùm diuinitatem, sed etiam secundùm humanitatem, si ea maneat hypostaticè vnita verbo. Repugnat enim per omnem potentiam, vt ille qui Deus est, peccet; nō repugnat autem, vt extrema quæque patiatur. Manifestum ergo est, magis aduersū esse CHRISTO vnicum quodlibet peccatum, quā quæcunq; alia dira, q̄ sustinuit, aut quæ potest sustinere.

Neq; verò solùm in seipso peccatū horret; sed & in nobis, ita vt eadem omnia, quæ paulò antè commemoraui, siue dolores, siue cōtemptus & ignominias, siue sui despoliationem, siue mortem sufferre mallet, quā vt ego, vel quisque alius vel semel peccet. Ex quo cōsequitur, quemuis, qui vel vnū peccatum cōmittit, ægriùs facere CHRISTO, quàm si eum per omnia cruciatuum & tormentorū genera, sed sine peccato, interimeret. Atque ita, si optio daretur CHRISTO, vt eligat, quid malit, an subire & pati quæ passus est, & his multò atrociora; an vt ego semel peccem? pronissimâ & promptissimâ voluntate pati ipse eligeret;

geret; imò pati præ peccato meo, & in comparatione horroris & repugnantiæ, quã aduersùs hoc habet, pro summa voluptate & delicijs haberet. Hinc verò vlteriùs cõcluditur; nullum vnquam fuisse hominem, qui cum vilissimo cane, aut vlla alia bestia tã immaniter egerit, aut agere potuerit, aut possit, quã agat cum CHRISTO, qui vnũ peccatum facit. Nã quid ampliùs potuit, aut potest quis facere cani, quã si eum totum conuulneret? si excruciet? si perimat? At hæc optabiliora sunt Christo, imò præ peccato deliciæ sunt. Multò igitur immaniùs procedit, quantùm est ex se, cũ CHRISTO, qui peccat, quàm alius cum cane quomodocunque eum immaniter tractet. Paruiné hæc consideratio doloris B. Virgini materia fuit? Sed plura, & his vel similia, vel fortasse etiam maiora videamus.

Cùm duceretur ad suppliciũ CHRISTVS, prægraui cruce, maximo cum cruciatu pressus, dilaniatus, discerptus, & totus *Vir dolorũ*, *Is. 53.* ad maiores dolores gradum faceret, sequebantur mulieres, quæ flebant, & *lamentabantur eum. At IESVS conuersus ad illas dixit: Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* *Luc. 23.* Sunt quidem hæc verba etiam eximij amoris plena, eumque testificãtia, quo sua mala, quæ ab eis deflebantur, illarum malis posthabuit, vt dixi c. præcedẽti: sed & aliã interpretationem admittere possunt, nempe hãc; quod quasi noluerit CHRISTVS

super se fleri, sed satius esse duxerit vt sua, & filiorum suorum peccata illæ mulieres deflerent; quia, si alterutrum, omisso altero, deflēdum est, peccatum priùs flendum est, quàm mors Dei; cùm peccatum tantum malum sit, tam Deo inuisum & aduersum, vt in eo deflēdo omnes lachrymæ consumendæ sint, vt nè in mortem quidem Dei flendam quidquam earum reseruetur, quandoquidem peccatum sui enormitate mali omnes postulat, cuius comparatione nè mors quidem eius, qui Deus esset, miseranda videatur. Quòd si immutabilis & beatus Deus, vt est in seipso, tristari, & tangi dolore posset, non nisi de peccato tristaretur, & doleret. Tam enim peccatum ex se atrox malum est, vt Deum tristitiâ & dolore, si eius capax esset, afficeret. Et verò S. Paulus affirmat, quòd peccata *Spiritum Sanctum contristent*, & in Genesi cùm vidisset Deus peccata hominum, *tactus est dolore cordis intrinsecùs*; & quia lachrymas in se, quas funderet, non habebat, cùm corporis, & corporearum affectionum sit expers, cælum sui loco substituit, quod continenter defluentibus pluuijs, velut perenni lachrymarum imbre, & dolorem suum quodammodo testaretur, & orbem terrarum simul cum peccatis obrueret, inque suis lachrymis sepeliret.

Ephes. 4.

Gen. 6.

Sed impropriæ, inquies, sunt hæ locutiones. Dabo proprias. Deus cùm in diuina natura dolere propriè patique non posset, humanam

nam assumpsit, secundùm quam proprijssimè fleret, doleret, pateretur, peccatúmque non lachrymis tantùm, sed & sanguine lugeret. atque vt ostenderet, quantoperè id detestaretur, mori voluit, & è viuis tolli, vt illud tolleret. satis magnum mortis suæ pretium ratus, si, se sublato, vna secum peccatum tolleretur. Itaque maluit non viuere, quam peccatum, quantùm ex se erat, superesse. Ad hæc cùm peccatum infinitam Deo intulisset iniuriam, cui satisfieri à nullo extra Deum posset, neque id pœnâ condignâ plecti, nisi is, qui eam subiret, Deus esset (Nam omnes possibiles homines aut creaturas pro vno peccato ad æternas inferorum flammas præcipitari, nihil erat; quin & omnes pœnas ab eis sustineri, nihilo plus erat) vt & pro iniuria sua sibi satisfaceret Deus, & debitâ pœnâ peccatum puniret, formam & imaginem peccatoris induit, *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, séque & suo, & Patris æterni, & totius sanctissimæ Triados *definito consilio* (vt loquitur S. Petrus Act. 2.) ac decretoriâ sententiâ, in cruciatus omnes, & mortem dedit. Magis enim erat consentaneũ & conueniens, Deum hominem factum mori, & extrema pati, quam peccatum [illegible] relinqui. Itaque peccatum [illegible] impulit, vt *proprio Filio suo non parce*[illegible] eum iram suam effunderet. Dic[illegible] depictam imaginem [illegible]

Philip. 2.

stricto mucrone eam discinderet, dispungeret, dilaceraret; nónne satis odium suum in inimicum declararet? Ita Deus, *Filium suum mittens*, vt loquitur S. Paulus Rom. 8. *in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne*; per illum nempe, qui simisimilitudinem carnis peccati assumpserat, tanquam per hostiam expiatricem peccati (vt interpretatur S. August. & Origenes) damnauit peccatum, iram suam in illam carnem, quæ similitudinem & imaginem quandam carnis peccati gerebat, exerens, eã discerpẽs, dilacerans, cõfodiens, cõscindens, percutiẽs. Sic enim de se ipse testatur Is. 53. *Propter scelus populi mei*, cuius habitum suscepit in similitudinem hominũ factus, *percussi eum*. quod cõfirmat ibidem Propheta dicens. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Sed & Filius Dei sponte se ad hanc immitem corporis sui dilacerationem obtulit, contentus omnem iram Patris, qui *Filio suo non pepercit*, & *omnes fluctus eius*

Ps. 87. quos *induxit super eum*, excipere, dummodo *destruatur* (phrasis est S. Pauli Rom. 6.) *corpus*

Is. 53. *peccati. Oblatus est quia ipse voluit*. Et, nè deesset vlla persona diuina, quæ ad vindicandum peccatũ in Filio Dei, non concurreret, etiã S. Spiritus ad id cooperatus est. Per eum enim velut actorẽ ad fundendum sanguinẽ CHRISTVS, *per Spiritum Sanctum*, inquam, vt ait Apost. Heb. 9. *obtulit semetipsum*, in se quidem

imma-

immaculatum Deo, sed similitudinem carnis peccati gerentem.

Deum immortalem! quanta est peccati enormitas & nequitia, quæ Filiũ Dei, Deum de Deo, Dei furori obiecit, ad suscipiendã formã serui, imò vilissimi mancipij compulit, vt pro peccato vapularet, & condignâ castigatione puniretur. *Seruire* (inquit apud Isaiam c. 43. Dominus) *me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Quæ verba Leo Castrius cum Lactantio lib. 4. c. 19. sic explicat. Tuis peccatis ô homo, seruire, id est serui carnem induere, serui pœnas, scil. crucem suscipere me CHRISTVM fecisti; imò ea mihi facta sunt, itaque sum tractatus, quasi non mancipium tantùm, sed pecus & bellua essem. quæ omnia *manus Dei & consilium Dei decreuerunt fieri.* Act. 4. Vnde S. Hieron. Cyrill. Theor. & Euseb. textum illum ex Septuaginta sic legunt. *In peccatis tuis defendi te, & quasi hyperaspistes scutũ me pro te iræ Dei opposui.* Ponderat rem hanc S. Bonau. de perfect. vitæ c. 16. *Filius* (ait) *erat & factus erat seruus, & non solùm formam serui, vt subesset accepit, sed etiam mali serui, vt vapularet; & erat non solũ seruus seruorum Dei, sed seruus seruorũ Diaboli, factus seruiẽs, infima peccatorũ peccata expurgãdo.* Neque verò satis fuit, Deũ hominem factum per peccatum eo deuenire, vt seruus esset, vt quasi seruus vapularet, sed vt dirè moreretur & occideretur. Itaq; peccato Christi-

cidium & Deicidium imputandum est; imò peccatum est ipsum Deicidium, non ideo tantùm, quòd peccator, dum peccat, relicto Deo & Creatore suo, adhærens creaturæ, eam creatori præfert, ideóque tacitè & interpretatiuè summum suum bonum in ea ponit, ac consequenter priuat Deum suâ quasi bonitate summâ, & diuinitate; adeóque, si quod telum aut gladius esse posset, quo Deus Opt. Max. posset è medio tolli, id peccatum esset, quo inexhaustum illud vitæ atque essentiæ pelagus tolleretur. Non in eo, inquam, tantũ peccatum Deicidium est; sed quia reuera eũ, qui Deus est, occidit. Verba illa Isai. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum*, Septuaginta teste S. Hieronymo sic vertunt. *Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem*, quasi CHRISTVS, ab iniquitatibus quasi à quibusdam satellitibus & carnificibus captus, ductusque ad necem sit, & in crucem actus.

§. 2.

Dolor Virginis ex hactenus dictis propè infinitus.

Hæc igitur, quæ nos, velut infantes balbutimus, aliaque multa, cùm prudentissima sapientissimaque Virgo probè intelligeret, videretque oculis suis in filij sui & Dei sui carne, & tali passione ac morte, peccati virulentiam, horribilitatem, enormitatem, qualiter & quantùm

quantùm animo commota fit, nemo est qui cogitatione complecti possit. Refert Corn. à Lapide in c. 2. Ierem. circa initium, Virginem quandam sanctam morientem dixisse: *Discedo ex hoc mundo, cum hac sola incapacitate, quòd nequeam comprehendere, quomodo creatura possit deliberatè committere peccatum mortale contra suum Creatorem.* Et meritò quidem illa dixit comprehendi à se, capique non posse, peccato mortali, cuius sine dubio grauitatem atrocitatemque nō parum intelligebat, quod adeò inimicum & aduersum esset Creatori, eum à creatura offendi; plus etiam dictura sensuraque, si eam plùs intellexisset. At B. Virgo, quæ intelligentiâ alios omnes magis quàm Sol luce suâ minora sidera excedebat, quid dicere? quid non dicere? quid non sentire potuit aut debuit! quem non animo horrorem, mentis concussionem, & defectionem, & discruciationē, quæ mortis instar, & supra mortem esset; imò cui mille mortes comparatæ nihil essent? S. Catharina Genuensis, cùm ei aliquando diuinitus repræsentata clarè fuisset peccati cuiuscunque, etiam venialis, malitia, infinitam & increatam Dei Maiestatem ac bonitatem offendentis & violantis, adeò cohorruit, & ad vnicum aspectum illum mente defecit, vt putauerit nisi diuinâ vi fuisset sustentata, se non modò subitò morituram; sed planè abituram in nihilum fuisse. Adeò illam vnicus peccati intuitus affecit & perculit.

Quantò igitur magis Virgo Deipara, nisi eadem diuinâ vi fuisset seruata, idem subijsset periculum, quæ non vno tantùm mentis coniectu, sed fixâ ac diuturnâ contemplatione & consideratione, eaque perspicuâ & clarâ, imò in præsenti Filij morte, & cruciatibus, oculis subiectâ infinitam peccati malitiam & enormitatem euidentissimè intuebatur.

Verùm, vt hoc meliùs cognoscas, finge, & imaginatione concipe, totum hoc vniuersum horribilibus planè modis susque deque verti, permisceri, turbari, ima summis, extrema medijs confundi, & tandem magno cum fragore & sonitu, specie terrificâ, cum fulminibus & tonitruis, & si quid his ad terrorē horroremq; maius esse potest, collisione mutuâ, succussione & quassatione interire, omnia iumēta & homines vniuersos, alios alio mortis & supplicij genere, quàm maxime ferali & inaudito hactenus inuisoq; modo interfici. Aut, si mauis, pone te velut in specula aut orchestra, vnde tanquā in theatro & scena omnium & singulorū ad inferos damnatorū omnia & singula tormenta & cruciamenta perspicacissimè videas, talia ac tāta, quāta ac qualia Deus per omnē suam omnipotentiā inferre potest. Quē hîc tibi sensum, quem animi habitū futurū putas? Addo. Cogita, te animo comprehendere omnes possibiles puras creaturas, quas diuina virtus tota cōdere potest, easq; te cernere, infinita & immensa spatia suo sanguine imple-

implere, pati omnia, quæcunque scit Deus creaturá pati posse; putásne in hominé quemquá posse cadere, aut eum hominem esse, qui non his vehemétissimè cómoueretur, qui hæc spectaret, & viueret? At nihil hæc prorsus sunt, nec ei, qui ré intelligit, millesimá; imò planè minimá partem videntur habere, si cóparentur cũ CHRISTI passione, per quem, quanto sit illi odio, quamq́; execrabile peccatum, declarauit Deus. Vnicus ictus, qué ob peccatum sustinuit CHRISTVS, plus est quá omnia illa, quæ paulò antè cogitanda & imagináda suggessi, etiamsi infinitis additamentis & modis ea augeas, multiplices, exaggeres, & suprà quàm infinities maiora & ampliora facias. Iá ergo apud te statue, & hác rationé ini. Si rebus suprà memoratis, homo quicunq; ad eam conditionem deueniret, vt præ vehemétia affectús, horroris & doloris vitá retinere non posset; quid de dolore Deiparæ iudicare debemus, cui & infinities maiora erant, quæ illá ad horrorem doloremq́; ex peccati, pro quo patiebatur CHRISTVS, apprehensione, cómouerent, & magis ab ea clariusq́; cognita, quæq; illa viciniùs in illo Deicidio, & quidem cæde Dei Filij sui spectabat?

Cæterùm quanquá hæc, quæ nunc dixi, cogitatione nostrâ grandiora sunt; rei tamen magnitudinem sola non æquant. Quantum enim illud est, quòd Christus, cui simillimos Virgo Mater affectus eliciebat, quemque

longè,

longè, quàm se, diligebat magis, peccata hominum supra suos cruciatus & præsentes, & possibiles alios duceret, qui nimium quàm
Ps. 68. exuberantem *dolorem super dolorem vulnerũ suorum adderent*; imò quòd grauius illi esset vnicum peccatorem aspicere, quàm mortem, & quæcunque tulit, ferre, ex cuius aspectu tristitiâ vsque ad mortem afficeretur, sanguinem sudaret, in agonia esset, quòd peius cum eò à quouis peccatore agatur, quàm horret animus dicere; & tamen ita est) peius, inquam, cum illo agatur,) quam cum cane, cum bruto, cum vilissimo verme; hæc, inquam, tantum ei dolorem creabant, vt si Virgo omnes omniũ vitas haberet, simul vniuersas tollere sufficeret. Præsertim si mentem aduerteret ad tot hominum peccata, quæ & ante CHRISTI passionem facta erant, & in ea fierent, & futura pòst illam essent; quæ postrema eo grauiora enormioraque futura erant, quòd contra Deũ pro peccatis crucifixum, quiq; tantum amorem in homines tot indicijs & testificationibus
Heb. 6. manifestasset, patranda erant, *crucifigendo iterum & ostentui habendo Filium Dei*; pro quibus illa singulis impediendis, mille, imò, innumerabiles mortes, & quidquid vel cogitatu horridum est, parata & prompta erat
Thren. 1. subire. Atque ex his *Attende & vide, si possit esse dolor similis, sicut dolor eius*. Si in tota hominum vniuersitate homo vnicus peccati aliquid contra Numen Opt. Max. consciscceret,
id so-

id solum ad doloribus omnibus opplendam, & separandam à corpore animam Virginis satis superque esset; quid, cùm passim & vbique *bibitur iniquitas sicut aqua*, cùm *scelera mundãt super terrã*, cũ peccare iocus est? *Peccatum*, vt ait Dion. Carth. in c. 13. Dan. *est infinita fugibilitatis; quia Deus est infinita honorabilitatis*. Vult dicere, hominem peccatum fugere debere infinito studio ac conatu, infinito odio ac fuga; quia Deus, qui peccato offenditur, honorandus infinitè est. addo ego, quia Deus in passione CHRISTI infinitũ odiũ aduersus peccatum prodidit; pœna omnis & quidquid est, excepto peccato, malorum subeundum est, infinita fuga capessenda, nè nos peccatum comprehendat. At enim peccatum non fugitur, sed quæritur; non odio habetur, sed amatur; non illo pœna quæuis potior ducitur, sed pro re minima, imò nulla patratur. O dolor! ô *ignis in* Deiparæ *ossibus* ac medullis. ô *in anima gladius & rhomphæa bis acuta*. Iob. 15. Osea 4. Thren. 1. Eccli. 21.

Porrò vt hæc, quæ de dolore Virginis ex peccatis hominum, pro quibus patiebatur Filius hausto, ex multis pauca attulimus, altius adhuc animo infigas, magisque penetres, recole, quæ diximus cap. 4. de amore eius erga Deum & c. 9. de amore hominum. Nam & pro illius magnitudine crescebat peccati odium, ac horror, dolorq; immensus, quòd is offenderetur, & sic offenderetur, qui in tantis ei esset amoribus; & hominum amor, qui ex Dei amore

amore oriebatur, parem propemodum dolēdi materiam afferebat, quam exaggerabant mala hominibus tantopere amatis ex peccato prouenientia, quod origo est calamitatū omniū, quæ vnquam mundo euenerunt, eueniunt & euentura sunt, quodq; vel vnicum, & minimū maius homini malum est, quam omnia mala pœnæ in vnum collata; imò hæc illi comparata non sunt mala, sed bona, quippe quę ex bono & virtute iustitiæ vindicatiuæ promanant, quæ per pœnam, peccatum in ordinem reducit ac corrigit. Itaque nec creaturæ simul omnes, neque Deus per vniuersam suam potētiam, tantum homini nocere potest, quantum is, qui peccat vnico peccato sibi nocet. An nō sunt hæ ingentes & inexhaustæ pharetræ è quib⁹ depromptæ doloris sagittæ in cor Virginis infigebantur? an nō multiplices & validi ignes, qui viribus coniunctis & veluti cōcentrati cor illud vrebant? Et alebant se mutuò augebantq; amoris (præsertim in Deum) & doloris ignes, alterque super alterum gradatim, & quasi per vices eminebat, & excrescebat. quod sic explico. Nam, cùm B. Virgo in Deum immenso amoris igne arderet, videns peccatis hominum tantopere illum offendi, & *Spiritum Sanctum*, totamque Sanctissimam Trinitatem quasi *contristari*, violari, &, vt sic dicam, disgustari, Filium Dei in assumpta ex se carne sic pati, in maiora amoris diuini incendia se excitabat; idque ideo, vt per

Ephes. 4.

per amoris actus; quos sciebat Deo vehementer placere, esseque ad magnum eius gustum & oblectationem, cor Dei, peccatis offensum exhilararet, & quodammodo molestiam illam ac tristitiam abstergeret: Verùm, cùm sic amans animaduerteret & cogitaret (quod non poterat non cogitare) Deum ab se tantopere amatum sic offendi, quò maior erat amor, in quem se antea excitauerat, eò maior accendebatur dolor, ob illum ab hominibus sic offensum. Ex hoc autem dolore offensi Numinis, iterum erigebatur in maiorem amorem, si quo modo posset & amando, & Deo per amorem gustum præbendo, compensare peccati acerbitatem & iniuriam. Porrò autem ex hoc etiam amore resorbebatur in dolorem, ob causam paulò antè memoratam. atque ita amor & dolor quasi alternis stimulis seipsos ad altiores semper gradus & maiora incrementa, atque incendia perurgebant.

CAPVT XIII.

Mariani doloris diuturnitas.

ADijcio hoc caput appendicis instar ad reliqua. Etsi enim constitutum mihi est, eum dumtaxat dolorē, quem Deipara tempore passionis Filij sui sensit pertractare; quia tamen

tamen is dolor, & multò antè initium sumpsit & in longum tempus porrectus est, visum est, auctarij loco, aliquid breuiter de eius diuturnitate differere.

§. I.

B. Virgo CHRISTI *Filij passionem & mortem multò antè præsciuit.*

Principio igitur certum esse debet, B. Virginem CHRISTI futuram pasionem diu antè, cum plerisque suis circumstantijs cognouisse; idque multis modis & vijs. Primùm ex lectione sacrarum litterarum, & præcipuè ex Prophetarum oraculis, quorum fuit scientissima & intelligentisima. Quàm graphicè CHRISTI pasionem enarrat, imò sub oculos ponit Isaias c. 53. vt Euangelistam magis, quàm Prophetam agere videatur? Vnde capiti illi hunc titulum non immeritò præfigendum aliqui putant: *Passio Domini nostri IESV CHRISTI secundùm Isaiam.* quàm clarè & patenter Mesiæ dolorum acerbitatem describit Psalmista ps. 21! quàm appositis similitudinibus exprimit tum alibi, tum præsertim ps. 68. ex mari & fluctibus petitis! Eiusdem pasionis ex Ieremia, Daniele, Zacharia, alijsque Prophetis luculentam Virgo habuit notitiam. Deinde, idem Spiritus Sanctus, qui Patriarcharum & Prophetarum mentes eius prænotione lõgè antè imbuit, Reginæ Prophetarum incognitam

gnitam esse procul dubio noluit. Ad hæc Sāctus ille senecio Simeon, in Purificatione hūc illi gladium prædixit, qui eius animam erat pertransiturus. Sed & cum CHRISTO ipso sæpe de hoc argumento sermonem instituisse, multaque ab eo intellexisse, nemo sanus dubitare potest. Quoties illi dixerit Dominus: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Nam, si Apostolis tam apertè affirmauit, vt est apud S. Matthæum c. 20. *quod filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendū.* cui addit S. Marcus c. 10. *Et conspuent eum.* idemque habet S. Lucas c. 18. minúsne candidè & fidenter egerit cum Matre sua, quam omnium aliorum secretorum & mysteriorum suorum non modò consciam, sed & administrā aut eis præsentem fecit? Cùm Dominus in transfiguratione sua esset cum Moyse & Elia, loquebantur cum illo; qua de re? *Dicebant*, inquit S. Luc. 9. *excessum eius, quem completurus esset in Ierusalem.* Hæc erat locutionis materia; etiam tum, cùm apparuit in gloria, cùm Petrus dixit: *Bonum est nos hic esse*; de *excessu* illo nempe amoris & doloris, *quem completurus erat in Ierusalem* tempore passionis. Nimirum *ex abundantia cordis os loquitur.* Cùm cor esset plenum & abundans cogitatione & desiderio patiendi pro nobis, non poterat de

Luc. 12.

eo etiam

eo etiam in gaudio suo non loqui cum amicis suis. Quis autem amicus magis, quàm Mater? cui *omnia quæ audiuit à Patre nota fecit* magis quam Apostolis, quàm vlli hominum aut Angelorum. Denique quoties ibat Hierosolymam in templum (quod *per omnes annos*, vt scribit S. Lucas c. 2. *faciebat*, idque in anno sæpius,) ibiq; sacrificijs intererat, in illis velut in vmbra & figura, Christi Filij passionem & mortẽ, oculis ipsis quodāmodo cernebat. Audiamus Eucheriũ, qui ho. in Luc. 2. sic ait: *Religiosi parentes per singulos annos ibant in Hierusalem, vt legẽ audirent, sacrificijs participarent, solemnitatibus interessent, & eius adhuc vmbrā seruiebant, cuius iam tenebant veritatẽ. Tota enim illa solẽnitas Christi passionẽ, & resurrectionẽ, & cætera, quæ de eo scripta sunt, significabat. Erat igitur IESVS in solennitate, qui totus erat causa solẽnitatis, ipse iugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus sacrificijs offerebatur. Mater quoque eius multa ibi in lege & Prophetis cantari audiebat, quæ de ipso dici intelligebat.* Imò verò & ipsum iugulari in agnis, immolari in vitulis, & in omnib' sacrificijs offerri sciebat, atq; adeò aspiciebat.

Io. 15.

§. 2.

De præcognita Filij passione, multò antè, & magno cum sensu, doluit.

Hæc igitur cùm indubitata sint, cũ, inquam, & ex

& ex Sacræ Scripturæ lectione atq; intelligẽtia, & ex Dei reuelatione, & ex Simeonis prædictione, & ex verbis ac colloquio CHRISTI, & ex sacrificijs passionem cum suis adiunctis didicisset MARIA, *conseruabat omnia verba hæc conferens ea in corde suo*, & iam tunc longè antè infixum cordi vulnus gerens. *Luc. 2.* Neque enim maternus affectum, & in Filium amor sentire non potuit, & quidem vehementer, talem futuram Filij mortem, tam immanes cruciatus, tantam iniuriam illi & vt homini & vt Deo inferendam, tam multa tamque magna, quæ morti illi & passioni adiungenda erant doloris maximi incentiua. Et, quamuis diuinæ voluntati & decreto, quo statutum erat, vt sic occideretur CHRISTVS, se penitùs submiserit ac conformauerit, neque CHRISTVM Filiũ suum à subeunda passione fuerit deturbata. *Non enim sapuit ea quæ sunt hominum, sed quæ Dei*, neque simili affectione ducebatur, qua aliquando Petrus, cui dictum est à CHRISTO; *Vade post me Satana, scandalum es mihi* Matth. 16. & Marc. 8. tamen id, in quo se Dei nutui submittebat & conformabat, erat illi difficillimum, & cum ingenti eius dolore. Hæc enim duo stare simul possunt, summam sentire repugnantiam & dolorem, & tamen contrariam illi Dei voluntatem libenter & cupidè amplecti; sæpeque talis repugnantia naturalis nõ minuit, sed potiùs auget meritũ, si gene-

si generosè vincatur. Sic CHRISTVS summã sensit tristitiam, summum horrorem à calice passionis, quem illi propinauerat Pater, vt diceret: *Pater, si possibile est transeat à me calix iste*; cum hoc tamen addito: *veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.* per quod magis declarauit amorem suum & erga Patrem æternum, & erga nos, ex quo rem sibi adeò aduersam, sed à Deo volitam ac decretam, volens ac lubens pro salute nostra subijt. Sic etiam se res habuit cum B. Virgine. Vnde in Reuelat. S. Brigittæ in sermone qu[illegible] Sanctæ illi per Angelum dictato c. 19. sic dicitur: *Viduis* (post Christi ascensionem) *ad ipsarum consolationẽ Virgo gloriosa referebat, quòd quamuis ex materna charitate sibi non placuisset, quod suus amantissimus Filius voluntatem moriendi habuisset; veruntamen sua voluntas materna diuinæ se voluntati totaliter conformauerat, eligẽdo potiùs ad Dei voluntatis perfectionem omnes tribulationes humiliter sustinere, quàm ad aliquod suum placitum, à diuina voluntate in aliquo dissentire. Tali enim collocutione viduarum animos patientes in tribulationibus & constantes in corporis tentationibus faciebat.* Atque hic fuit multorum annorum dolor & afflictio B. Virginis, de Filij passione & morte ante eam concepta, quoties illa menti occursabat. Quantus autem is fuerit dolor, & quã constans ipsamet S. Brigittæ reuelauit. Nam lib. 6. reuelat. c. 9. *Ego*, inquit, *nullam horã sine tribu-*

Matt. 26.

ass tribulatione cordis transfixi in terris. & alibi lib. 2 c. 24. *Ego plena fui tribulatione à natiuitate filij mei, vsque mortem eius. Tribulationem & dolorem cordis vltra omnem creaturam patiebar.* Alibi autem l. 6. c. 57. descendendo ad particularia sic loquitur. *Licèt ex diuina inspiratione scirem, Filium meum passurum; tamen ex verbis Simeonis, quibus dixit, gladium pertransiturum animam meam, & Filium meum positum in signum, cui contradicetur, grauiùs perferabat cor meum dolor ipse, qui vsque dum assumpta fui corpore & anima in cælum, nunquam defecit à corde meo; licèt ex consolatione Spiritûs Dei temperabatur.* Enumerat deinde ab ipso Purificationis die multiplices dolores suos. *Fuit,* inquit, *primo dolor in cognitio mea. Nam quoties aspiciebam Filium meum, quoties inuoluebam eum panis, quoties videbam eius manus & pedes, toties animus meus nouo dolore absorptus est; quia cogitabam, quomodo crucifigeretur. Secundò fuit dolor in auditu meo. Nam quoties audiui opprobria Filij mei, & mendacia, & insidias ei positas, toties animus meus motus est dolore, ita quòd vix se tenere poterat. Sed virtute Dei dolor meus modum &, honestatem habuit, nè impatientia & leuitas in me notaretur.* Addit deinde alios dolores, qui ad tempus passionis pertinent.

§. 3.

Post CHRISTI Paßionem, aßiduam eius memoriam reliquo toto vitæ suæ tempore B. Virgo geßit.

At verò post transactam passionē, & mortem à CHRISTO obitam, toto illo tempore, quo deinceps in terris Deipara vixit, quod fuit circiter 23. annorum, nā vt suprà dixi iuxta probabiliorē sententiam hodie à Theologis & Chronologis cōmuniter receptam, viuendo peruenit vsque ad septuagesimum secundum annū; toto, inquā, hoc tempore, assidua fuit in recolenda CHRISTI passione, vt de seipsa testata est S. Brigittæ lib. 2. c. 21. *In sepulchro Filij mei semper cogitatio, & cor meū versabatur.* ad quod eandem etiam hortatur, c. 26. *Considera semper paßionem Filij mei.* Et lib. 1. reuel. c. 7. illi dicit: *Monile est consideratio paßionis CHRISTI: hoc sit iugiter fixum in pectore tuo; quomodo derisus & flagellatus, quomodo sanguinolentus, & omnibus neruis confoßis viuus stabat in cruce; quomodo in morte, ex paßione doloris acerbißimi, totum corpus contremuit; quomodo in manus Patris commendabat spiritum.* Ad hæc igitur continenter cogitanda cùm alios hortata sit sanctissima Virgo, eò quòd per hoc exercitium res Deo gratissima præstetur, & multorum meritorum ferax; non est dubium, quin id magis

ipsa

ipsa per se exercuerit, CHRISTI Dei sui, & Filij sui tantâ charitate incitata. Refert Xenophon, quòd Cyrus Persarũ Rex, ex Tigrane Armeniæ Rege, ab se cũ Cõiuge sua capto, aliquando quæsierit, quid pro suæ Coniugis redemptione dare vellet si eam in pristinã felicitatem restituere posset? Cui confestim Tigranes: *Integrum, ait, regnum, ô Rex, quod abstulisti, insuper vitã & sanguinem.* Delectatus hoc responso Cyrus, ambos suis sedib⁹, & regno Armeniæ postliminio reddidit. Ibi cùm iã libertate & regno potitus, multa de Cyri rebus & prudentia Tigranes dissereret: *Tu verò,* inquit ad Coniugem, *an non hæc & his similia multa obseruasti?* Cui illa: *Ignara sum eorum, quæ à me postulas. Nam quo tempore tecum in captiuitate fui, nunquam oculos, aut mentem in alium defixi, quàm in eum, qui me sanguinis & vitæ dispendio redimere decreuerat.* Tantum potuit Tigranis sola pro coniuge moriendi voluntas, vt eius illa non modò non obliuisci, non modò cogitationem non deponere, sed nè alio quidem quoquam aut oculos aut mentem conuertere posset. Quid igitur non potuit, non sola mortis obeundæ voluntas in lytrũ & redemptionem suscepta; sed mors ipsa obita multò cum sanguine; imò cum omni & toto sanguine profuso, & maximis cruciatibus, à Sponso, Filio, Patre, in Sponsa, Matre, Filia? Potuitné hæc nõ semper huius mortis, sanguinis, vulnerum,

cruciatuum meminisse? præsertim cùm sciret memoriam hanc illi esse longè gratissimam? *Pone me*, inquit Sponsus ille, *vt signaculum super cor tuum*, vt totus scilicet in eo, ita vt sum vulneratus ac crucifixus, velut sigillum seu signaculum in cera imprimar. Thomas Bozius to.2.lib.15.de sig.Eccles.c.3. affirmat se vidisse corpus S.Claræ Virginis de Montefalco, & cor eius, in quo insculptus est CHRISTVS cruci affixus, flagella, quibus est cæsus, columna cui alligatus, & alia passionis instrumenta. Multò hæc sublimiori modo, & excellentiùs cordi Deiparæ impressa erant, de qua S.Laurentius Iustinian. vt c. 11. retuli: *Cor*, inquit, *eius clarissimum passionis CHRISTI speculum, & perfecta mortis imago effectum erat.* Neque hoc contenta fuit, sed vt ipsa S.Brigittæ reuelauit l.6.Reuel. c.62. quamdiu Hierosolymis mansit, solita est montem Caluariæ, & loca CHRISTI Filij sui rigata sanguine, passione nobilitata, frequens inuisere, vt non in corde tantùm & animo; sed in oculis etiam dolores eius ferre velle videretur. Quodsi, vt memorat Thomas Brabant. in lib. 2. Apum c. 25. p. 5. vir quidam pius, visitatis antè locis illis, in quibus Seruator noster vestigia sua posuit, cùm demum ad Caluariæ montem, vbi crucifixus & mortuus est, peruenisset, præ condolentiæ & amoris vehementi affectu, disrupto corde, repentè, beatâ sorte extinctus est; id si B.Virgini non contigit, non minori amoris

amoris affectui, qui longè erat maximus, sed Dei virtuti & potentiæ, quâ vitam illi in longa tempora prorogatam volebat, est tribuendum. quanquam tandem non aliâ vi, quàm ardentissimi amoris, & intensissimæ contemplationis esse mortuam docet Suarez to. 2. in 3. p. d. 21. s. 1.

§. 4.

Quis affectus, præsertim doloris, ex hac iugi passionis memoria in Virgine extiterit?

Iam verò ex hac iugi passionis memoria ingentem hausisse, Virginem animo dolorem, perspicuum est. Iisdem enim ex capitibus, è quibus tempore passionis oriebatur, postea etiam alebatur, nutriebaturque. Nam & maternus naturalis affectus idem erat. Et quæ, rogo, Mater esset, quæ non acerbitatis plurimum sentiret, quoties meminisset, Filium innocentem, indignissimè, per summum scelus & iniuriam tractatum atque interfectum? Et eadem recordatio mortis dolorumque Filij, sympathiam excitabat, quæ recordatio cùm esset viuacissima & fortissimè imaginationi infixa atque impressa, eandem propemodum vim habebat ad ciendos affectus, vt, si mors filij oculis ipsis cerneretur. Quodsi S. Paulus Galatis scribens, de eis dixit: *Ante quorum oculos IESVS CHRISTVS præscriptus est in vobis crucifixus*, id est, præ oculis scriptus, & vt Gal. 3.

vertit Syrus, *pingendo depictus*; quia scilicet Galatarum ætate, adeoque quasi inter illos, & ante oculos illorum crucifixus fuerat CHRISTVS, quantò magis de B. Virgine dici potest: in eius mente, in imaginatione, & corde, & quasi in oculis scriptum suo sanguine & pingendo depictum intimè & viuacissimè fuisse CHRISTVM crucifixum, quæ eius passioni præsens adfuerat, &
Ierem. 17. eam cordi velut *stylo ferreo in vngue adamantino* inciderat atque insculpserat? Iam amor supernaturalis Filij, non modò, qui sub cruce fuit, permansit, sed quotidianis in immensum progressionibus magis magisque semper est auctus. Idem de reuerentia, idem de zelo, de gratitudine pro tot & tantis beneficijs, quæ in dies cumulatiora fiebant, dicendum est, vti & de amore erga homines, qui pari ferè passu cum diuino amore procedebat. Nec minor erat CHRISTI erga illam amor, quo suos ei dolores, dum adhuc in hac mortalitate, eisque obnoxia esset, communicabat, maiori quàm cæteris Sanctis affectu, eamque in se crucifixum transformabat; neque illa suum amorem per præteritam, quàm per præsentem passionem declarabat minùs. *Ducebat* ergo illam, vt dilectissimam Sponsam, frequentissimè, imò continuè *ad montem myr-*
Cant. 4. *rhæ, & ad collem thuris*, hoc est, ad excellentissimam orationem & contemplationem per

per thus significatam, & ad maximam amaritudinem ex eius doloribus hauriendam, quæ indicatur per montem myrrheum *Inducebat* illam *in cellam vinariam*, ibique eam inebriabat charitatis vino, expresso ex eius dilecto, qui erat ei sicut *botrus Cypri, in vineis Engaddi*, qui *torcular* crucis *calcauit solus*. Cant. 2. Cant. 1. Is. 63.

Ex his igitur omnibus efficitur, dolorem atque amaritudinem B. Virginis ex CHRISTI passione & amore deriuatam, & diuturnam, & vehementem extitisse. Et sane per Zachariam Prophetam cap. 12. prædixerat Dominus: *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremon in campo Mageddon. Et planget terra, familiæ, & familiæ seorsum: familia domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum &c.* Magnum his verbis luctum & planctum de CHRISTO crucifixo futurum prænunciat Propheta, eumque duabus grauibus & patheticis similitudinibus explicat. Primâ, quòd futurus sit sicut super defunctum Filium vnigenitum, aut primogenitum, qui

erat columen totius familiæ; quo luctu maior inter homines non concipitur. Secundâ, quòd similis futurus sit planctui Adadremon. Erat hæc vrbs iuxta Iezrahel, in campo Magaddon, vbi mortuus est Iosias Rex optimus à Pharaone cæsus, quem summè planxerunt Iudæi, præsertim Ieremias, vt habetur 2. Paral. 35. & alibi dixi. Addit Zacharias, luctum hunc & planctum de CHRISTO crucifixo fore in domo Dauid, & inter habitatores Ierusalem, hoc est, in Ecclesia Dei, inter fideles, vniuersalem, ita vt familiæ, & familiæ plancturæ sint seorsum, & mulieres eorum seorsum, quas familias ad longum enumerat. Et reuera ita factum est. Nam & Apostoli repleti
1. Cor. 2. Spiritu Sancto *nihil arbitrabantur si scire nisi*
2. Cor. 5. *IESVM, & hunc crucifixum, & charitas* CHRI*STI vrgebat illos, vt non sibi viuerent, sed ei qui pro ipsis mortuus est*, imò vt ei commorerētur, vt nihil animo voluerent, nisi crucem, tanquā discipuli Magistri crucifixi; quod de S. Andrea proditum est; vt dolenti Domino condolerent. Et de cæteris fidelibus præsertim in primitiua Ecclesia, cùm sanguis CHRISTI recèns fusus calebat, mira referuntur, vt de Essenis, qui sub S. Marci disciplina Alexandriæ vixêre, toti CHRISTO crucifixo & eius doloribus immersi, toti condolentes, toti amore ebrij & quasi extra se positi, vt eos cibi, potûs, ac somni caperet obliuio. Hæc si in alijs CHRISTI discipulis & assеclis, ita, vt à Zacharia

charia prædicta fuerunt, vera sunt, quid in Virgine, in quam se spiritus gratiæ & precum plenitudo plùs quàm in reliquos omnes effudit? Si alij super CHRISTVM plangunt, vt super vnigenitum & primogenitum, quid Mater, cuius ille reipsa primogenitus, & vnigenitus fuit? Planxerit ergo longè magis, quā super vnigenitum, si debet crescere, vt reuera debet, comparatio. Si Iosiæ mors adeò lugubris fuit, idque per longa temporum spatia, etiam hominibus plebeijs, quos ille nullâ aliâ, quàm quòd Rex eorum fuisset, Remque publicam bene administrasset, necessitudine contingebat; quàm lugubris fuerit per multa etiam temporum spatia, per multorum annorum seriem, mors IESV, Matri coniunctissimæ, in qua, & circa quam, quidquid doleri potest, dolendum lugendumque habebat? ex quo, cùm ei morienti & patienti præsens adesset, tantam animi amaritudinem hauserat, vt facta esset *velut mare contritio eius*, quæ in totam vitam, etiamsi aliquot sæculorū foret, sufficeret. S. Petrus, cùm eum semel duntaxat respexisset CHRISTVS, & vnam quodammodo doloris sui in eum guttam, per oculos emisisset, *egressus foras fleuit amarè*, fuitque tam magna & diuturna amaritudo, vt eam totâ vitâ retineret. Vnde quamdiu vixit, ad quodlibet gallicinium amarissimè lachrymabatur; imò & aliàs tam assiduè, vt oculi eius præ continuo fletu, sanguineo rubore suffusi essent,

Thren. 2.

Matt. 26

essent, & quasi sulci in facie per genas deorsum à rorantibus perpetim oculis exarati. Nimirum quemadmodum basiliscus, in hominem, quem conspexerit, venenum per oculos eiaculatur, quod vim suam per totum corpus eousque diffundit, donec ei vitam tandem adimat: ita (absit inuidia verbo; neque enim Seruatorem nostrum basilisco, quoad malignitatem comparamus, sed similitudine aliqua, licèt in re dissimili, rem explicare intendimus) CHRISTVS, cùm plenus esset amaritudine, vnico quasi aspectu sic amaricauit & occupauit Petrum, vt donec viueret, amarorem illum, eumque non exiguum sentiret. At non vnam guttam amaroris sui in Matrem tempore passionis per oculos emisit Filius, sed mare communicauit, vt posset dicere: *Ne vocetis me MARIAM sed Maram* (id est mare, vel *amaram*) nempe totam in amaritudinem versam. Quid igitur mirum, si reliquo vitæ tempore, multò amplius quàm in Petro hæc in ea amaritudo permansit?

Ruth. 1.

§. 5.

Certa tempora, quibus Passionis CHRISTI in B. Virgine memoria magis renouabatur, & ex ea dolor, aliiq; affectus.


Cæterum, quamuis hæc passionis CHRI-

STI

STI memoria, & ex ea amaritudo, sic, vt dixi, iugiter eam occuparit; fuerunt tamen certa quædam tempora, quibus magis se proderet & exundaret. Quale (vt alia taceam) fuit illud, cùm quotidie, celebrante S. Ioanne Apostolo, sanctissimæ Missæ Sacrificio interesset, & Venerabilem Eucharistiam sumeret. Cùm enim SS. Missæ Sacrificium sit viua repræsentatio Sacrificij illius, quod in cruce à CHRISTO peractum est, idque CHRISTO ipso actore, & primario Ministro, qui seipsum sub speciebus panis & vini præsens, modo quidem incruento, sed ad similitudinem illius cruenti Sacrificij, Patri æterno iterum offert; quantos hæc repræsentatio & quàm admirabiles motus ac sensus in Virgineo pectore excitabat? præcipuè cùm fidei oculis cerneret Filium præsentem tam admirabili modo, tantâ charitatis abundantiâ & infinitate? Quid verò, cùm eundem Filium suum in Eucharistia, iterum in materna sua viscera recepit? cùm ei sic intimè, vti prius, quando eum in Virgineo vtero concepit, coniuncta est? cùm corporis eius & sanguinis, quem ei, vt Mater, communicauit vicissim particeps fuit? cùm id Sacramentum vsurpauit, quod in Dominicæ passionis commemorationem institutum est, quod cùm sumimus, *mortem Domini annunciare* debemus, cùm *fasciculus* 1. Cor. 11.

Cant. 1. *myrrha dilectus eius inter eius vbera commoraretur?* imò cordi ipſi eſſet viciniſsimus? O
Ioan. 3. rem ſtupendam! Filium poſt mortem *in matris vterum iteratò introire*, eadem viſcera poſtliminiò repetere atque incolere, vt charitatem, quam, pro illa moriens, illi præſtitit, hoc pacto conſignaret, & teſtatam faceret, vt ab ea in materna viſcera receptus, in ſui viciſsim cordis, vulnerumque ſuorum pro ea ſuſceptorum ſinum atque hiatum reconderet. Ne, quæſo, tentemus, quis in his Deiparæ ſenſus fuerit, quis in rememorãda CHRISTI paſsione affectus, verbis eloqui, quod cæleſtes ipſi ſpiritus mente concipere nequeunt. Sicut nec illud (quod hîc commemoro; quia nos materia de qua agimus, eò vel ducit, vel abducit) quantum benedicta Virgo in ſacra Communione ex meritis paſsionis CHRISTI gratiæ augmentum acceperit. Mihi veriſimile eſt, in vnica qualibet (præſertim circa finem vitæ, de quo minus eſt dubium) ſumptione Euchariſtiæ, maius acquiſiuiſſe, quàm omnes homines à principio Eccleſiæ vſque ad finem in omnibus ſimul ſumptis. Cùm enim pro ratione diſpoſitionis, in hoc Sacramento detur ex opere operato maior vel minor gratia, vt docent Theologi; ſanè diſpoſitio B. Virginis, omnes omnium hominum diſpoſitiones ſui præſtantiâ ſuperauit, vt ex ſuppoſitis ijs, quæ c. 4. §. 3. & 4. dixi, eſt manifeſtũ. Atque hic nouus fons eſt, illis, quæ c. illo 4. retuli,

retuli, superadditus, ex quo immensitas gratię SS. Virginis super omnes Sanctos simul sumptos promanat. Auxit hunc fontem plurimũ etiam communio spiritualis, quæ fit per desiderium, CHRISTVM reipsâ suscipiendi in Eucharistia. Nam hæc etiam pro ratione dispositionis, maioris aut minoris augmenti gratiæ est ferax. Imò Theologi quidam affirmant, fieri interdum, vt quis spiritualiter dũtaxat communicans, plus gratiæ adipiscatur, quàm alter qui communicat sacramentaliter, si ille hunc excellentiâ dispositionis multùm excedat. At ex vna parte constat Beatissimam Virginem summè supra cęteros homines fuisse semper dispositam; ex altera parte potuit intra vnam horam millies communicare spiritualiter, & id sæpissime fecisse credibile est. Quanta igitur & hinc illi gratiæ & sanctitatis accessio facta est? Quæ, sicut & reliqua hoc libro, ad ipsius honorem & gloriam, Filijque eius, dicta sunto.





LIBER SECVNDVS.

Mater dolorosa Christianæ perfectionis & virtutum absolutissima idea.



QVæ hactenus libro primo præmisimus, basis ac fundamenti loco sunt, super quod cætera, siue ad ædificationem nostram, & spirituale commodum, siue ad ampliorem Virginis Matris dolorosæ laudem, superstruamus. Certè non parum eius laudi subtraheremus, si solam doloris Mariani magnitudinem intelligere contenti, indagare præterea, & cognoscere omitteremus, quis in hoc dolorum acerrimè vrentium incendio, virtutum splendor in ea eluxerit, quæ absolutissimæ perfectionis forma, & norma se visendam præbuerit. Nobis quoque rationibusque nostris non satis consuleremus, si tam solido ac firmo, tā nobili fundamento praiacto, quod ad con-
Cor. 5. struendam *domum non manufactam in cælis*, eámque ad altissimum, ac summum prorsus perfectionis Christianæ fastigiū educendā abundè sufficit, nihil adderemus, quo ædificium supra fundamentū consurgat; præsertim cùm etiā ad huius tam præclari operis molitionem Dolorosa Mater clarissimum, excellentissi-

mumque

rumque nobis sit exemplar. Enimuero S. Ambrosius lib. 1. de Virginib. Deiparam appellat *totius probitatis figuram, & disciplinam.* Author ille, qui se nominauit Idiotam, vocat *vitæ moralis ideam.* S. Bernardus, in Salue, sic ait: *Virtutum auctrix, & scientiarum scientia Sanctarum* MARIA, *quæ sicut Sol vniuersa cæli lumina præcellit prærogatiua claritatis eximiæ; sic totam rationalem creaturam per Filium excellit splendore virtutis, ac scientiæ.* En quàm clarum virtutum exemplar, vt Soli, inter omnia lumina clarissimo, conferatur. Hausit nempe hanc claritatem, hoc virtutum omnium iubar à Filio, quod in eo crucifixo resplenduit, *qui est candor lucis æternæ, & figura substantiæ Dei,* quem Pater AEternus constituit, *vt quos prædestinaret, conformes fierent imagini eius.* hanc inquam, *imaginem,* hanc *figuram,* hanc *lucem* Virgo Deipara, prædestinatorum prima, maximè, & ad viuum in se sub cruce expressit. Atque vtinam, quemadmodum S. Hedvvigis (vt scribit Surius in eius vita 15. Octob.) huius Beatissimæ Virginis imaginem in vita circumferre solita, etiam moriēs sic tenuit, vt neq; mortua auelli e manu potuerit; vtinā nos quoq; sic Diuæ Virginis dolorosæ imaginē, & virtutū ideam, manu, hoc est, opere, atque imitatione arctissimè amplectamur, vt eam neq; in vita, neq; in morte deseramus, aut vi vlla, vllóve inordinatarū affectionū nostrarū, passionumq;

Sap. 7.

Rom. 8.

nilia

nisu auelli à nobis patiamur: totam profectò Christianæ perfectionis summam comprehẽderemus. Impetret id nobis per suos, Filijque sui dolores Mater dolorosa, pariterque & scribentis calamum regat, & legentis mentem instituat, suique pulcherrima imagine imbuat, atque exornet. Porro quia hæc imago, atque idea vno coniectu oculorum tota simul distinctè cognosci nequit, eam secundùm varias partes contemplandam proponemus eo ordine, quo Christiana perfectio consectanda est. Multum enim in hoc ordine positum est, & eius neglectus non parum perfectionis assecutionem impedit, dum vel vnico passu, aut saltu ad summitatem *Scalæ Iacob* euadere nitimur, gradibus intermedijs omissis, vel, quæ priora esse debent, alijs postponimus. Ordiemur ergo à primis virtutibus, quibus sua serie cæteræ succedant, quarum nuda ferè documenta proponemus, sine magna ex SS. Patribus dictorum, atque exemplorum, rationum item, aut sententiarum copia, vel ornatu; siue quia, quæ adferemus, magnâ confirmatione non egent, & pleraque ab alijs authoribus sententijs, & exemplis sunt illustrata, ad quos te, pie lector, remittimus, vt breuiores simus; siue quia non tam persuadere, quàm persuasis iam virtutem, & perfectionem sequi, eius modum, & gradus commonstrare intendimus; siue denique quia Matris dolorosæ exemplum, omnium instar nobis est,

Gen. 28.

est, quo allato, satis superque nos attulisse eius amatoribus existimamus. Id autem exemplum supra ex libro 1. supponimus, quod sufficiens sola loci citatione indicare, nè frustra duplicem laborem & nos suscipiamus, & tibi creemus.

CAPVT I.

Fides in DEVM, & rerum Fidei seria apprehensio.

PRIMA virtus, per quam ad DEVM acce- I.
ditur, est Fides *Accedentem enim ad DEVM* Heb. 11.
oportet credere, est sine fide impossibile est placere DEO. Eximia prorsus hæc fuit in Matre dolorosa, quam in illa prædicat S. Anselmus super illa Euangelij verba: *Stabat iuxta crucẽ IESV &c. Stabat*, inquit, *MARIA in fide IESV constantissima, & patientissima: nam discipulis fugientibus, cunctis viris recedentibus, in gloriã totius fœminei sexûs, inter tot pressuras Filij sui constanter ipsa sola stabat in fide IESV firma.* Solam in fide IESV firmam stetisse, dicit. Neque enim illa de eius Diuinitate, aut de hominum redemptione, adeoque de hoc, qui crucifixus erat, vero Messia, tempore passionis & mortis eius, quidquam hæsitauit, sicut
duo *Discipuli* illi, *qui Iesum Nazarenum* post Luc. 24.
eius mortem *virum* dũtaxat *Prophetam* fuisse asserebant, *potentem in opere, & sermone:* adde-

ita ad suscipienda, & in rem deducenda meliora consilia, viua, & efficax apprehensio; vt constat ex cap. 3. libri 1. vbi ostendi, quantum contulerit ad ingentem, & pœne incredibilẽ Deiparæ doloris affectum talis apprehensio: quemadmodum è contrario si illa absit, hebet, & friget affectus. S. Theresia censebat, omnia mundi damna inde manare, quòd homines veritates Sacræ Scripturæ non penetrẽt; sed obiter tantùm, & quasi aliud agendo, cognoscant. Et ita reuera est. Nam prout res magis, minúsve apprehenduntur, & penetrantur; ita plus, aut minùs æstimantur: æstimationem sequitur par in eis vel cura, & studium, vel neglectus: ex neglectu autem rerum diuinarum manant omnia mundi damna. Et vnde, quæso, tanta inter Christianos viuendi licentia, ac solutio? tam pronus, & creber in peccata lapsus, nisi quia peccati grauitas, & mala, quæ illud comitantur, vt pœnarum æternitas, &c. non penetrantur? Vnde tam exiguus in DEVM amor? tam parua in rebus sacris reuerentia? quia scilicet deest debita apprehensio; neque *inuenit* Dominus ampliùs *tantam fidem*, tam viuam *in Israël*, quantam, & qualem vellet. Refert Maffeus lib. 1. Hist. Indicæ, in AEthiopia Congi Regis patruum, ad Christianam fidem recèns conuersum, cũ rei diuinæ magno ipse cum silentio, imò & tremore interesset, & interea honorarios ephebos, eósque Principum filios ad templi ianuam

ianuam strepitum cientes inaudisset; imperasse illico eos interfici; indignum facinus ratus, augustissimum illud sacrificium, in quo pro salute hominum Deus ipse immolatur, ab hominibus negligi. Et luissent dubio procul adolescentes illi eius noxæ, quæ (quod pudeat) leuis, & quotidiana apud nos est, pœnas morte sua, ni ætatem, & genus miserati Lusitani vehementius obstitissent. Nimirum magna, & debita de sacrificio Missæ, & mysteriorum, quæ de eo credimus, apprehensio, atque ex ea æstimatio virum hunc Principem permouit, vt quantamlibet irreuerentiam in quouis homine morte puniendam duceret. Nos, quia rem non, vt est, apprehendimus, ac penetramus, vndecunque demum id fiat; ideo tam liberè, aptiùs dicerem, nefariè irreuerentes sumus. Idemque est de alijs sanctæ fidei nostræ sacrosanctis scitis, ac mysterijs, siue, vt loquitur S. Theresia, Sacræ Scripturæ veritatibus, quæ, quia non penetrantur, hinc illud in DEI cultu in nobis frigus, ac gelu. Quòd tantus fuerit in principio Ecclesiæ pietatis ardor, & Christi amor, causa fuit, quia pœne *ante oculos* illorum Fidelium fuit *præscriptus* *Gal.* 3.
IESVS CHRISTVS crucifixus, & eius charitas, non, vt iam, quasi de longinquo post tot sæcula, sed de proximo spectabatur, & quasi oculis ipsis conspiciebatur, viuaciterque, ac tenaciter apprehendebatur.

III.
Duo illi discipuli Emaunta profecti, quibus

Luc. 24. bus se comitem Christus adiunxit; *Nonne*, inquiunt, *cor nostrum ardens erat in nobis, cùm aperiret nobis Scripturas?* En quãtopere ad ardorem iuuet, habere Scripturas, quasi reducto velo apertas, vt penitiùs, & apertiùs, ac clari' inspiciantur? Nam priusquã sic apertæ fuissent Scripturæ, increpiti sunt discipuli, vt *stulti, & tardi ad credendum*; per quam stultitiam, & credendi tarditatem, atque hebetudinem factum fuerat, vt reliquum Apostolorum, & discipulorum Christi cætum desererẽt, & Christo pœne renuntiarent. Solebat M. Auila dicere, altero duorum carcerũ plerosq; homines includendos, aut Inquisitionis si non crederent; aut stultorum, si crederent, & nõ iuxta ea, quæ crederent, viuerent. Rectè ille quidẽ. Sed qui fit, vt, qui credere se dicunt, non secũdùm fidem viuant, nisi quia, & hi non ita, vt, par est, credunt, res fidei fixis oculis non aspiciunt, ac lustrant, non eas penetrant, non eis inhærent, & intendunt; sed in ijs, quæ credunt, hebetes, tardi, vecordes sunt? Hi sic ad credendum segnes, & *tardi*, possunt Domini voce *stulti* appellari; imò pœne increduli, aut saltem *modicæ fidei*, qui meritò cum Apostolis petant; *Domine, adauge nobis fidem.* Hac

Luc. 17. enim auctâ, non modò *omnia possibilia sunt credenti*, quæ ad salutem, & perfectionem spectant; sed & prona, ac facilia. Vel cum illo Dæmoniaci parente, Marci 9. *Domine, adiuua incredulitatem meam.* Incredulitatem nomi-

nat;

nat; cùm tamen *magna voce, & cum lachrymis dixisset: Credo, Domine*; quia parua fides pœne incredulitas est, non satis efficax ad dæmonem pellendum. Vel cum cæco illo, cui cùm *dixisset* IESVS: *Quid vis, vt faciam tibi?* respondit: *Domine, vt videam*. Nempe hoc petendum est nobis, vt non quomodocunque credamus; sed vt, sublatâ caligine, & socordiâ, atque hebetudine nostrâ, ea, quæ credimus, quasi videamus, seriò, & viuaciter apprehendamus, vt, si oculis cerneremus. Sic fiet, vt saluti, & perfectioni nostræ sedulò inuigilemus. Sunt enim res sanctæ fidei nostræ tales, vt, si non modò credantur, sed & bene penetrentur, vix fieri vllo modo posit, vt quis peccet, vt DEVM non amet. Imò magnum quendam virum memini dicere: Si homines Christiani seriò, quæ credunt, apprehenderent, & profundè rimarentur, v. g. æternitatem, & similia, adeò suæ saluti essent intenti, vt actiones reliquas humanas omnes omitterent. Quòd igitur neque has omittant, & insuper tam paruam salutis suæ curam gerant, signum est vel modicæ fidei, vel modicæ apprehensionis rerum fidei. Etenim voluntas nostra, cùm lumine intellectûs ad operandum indigeat, ita ferè operatur, prout hic illi facem præfert, prout res apprehendit.

IV. Et hoc est, quod S. P. N. Ignatium monuit, vt in Societate nostra rerum diuinarum medi-

meditationem institueret, cuius ritè faciendæ talia præcepta, ac documenta in præclarissimo illo suo Exercitiorum spiritualium libello tradit, vt ad inclinandam in bonum voluntatem, ex seriò perpensis rebus illis, quàm maximè faciant. Præludia enim præscribit, quæ res fidei quasi sensibus nostris subijciãt, ad viuaciorem earum apprehensionem: discursus mentis ordinat, vt ea, quæ seriò, & viuaciter apprehendimus, scrutemur, rimemur, & penetremus profundiùs, quantum ad permouendam voluntatem satis est; vt existimẽ, quidquid in Societate virtutis, & pietatis est, huic potissimùm exercitationi, secundùm DEVM, esse tribuendum. Porrò, vt hæc exercitatio magis prosit, non diebus, aut horis tãtùm, per regulam præscriptis; sed alijs etiam opportunis temporibus, tametsi non tã prolixè, vsurpanda est. Exempli gratiâ: Sacram Synaxin sumpturus, aut Missam dicturus, auditurúsve, cupis pijs sensis, & affectibus affluere; ante omnia hoc age, hæc prima tua cura, prima præparatio sit, vt quàm viuacissimè, & vehementissimè Christi DEI, & Domini tui, pro tui amore crucifixi, & nunc in cælo regnantis præsentiam in Eucharistia apprehendas, ac deinde ea, quæ de hoc mysterio credimus, profundiùs rimeris. Id enim si agas, DEI beneficio & reuerentiam, & attentionem, & amorem & reliquos pios affectus senties vberiores, atq; ardentiores. Et sic in alijs casib⁹.

Sed

Sed & rectè, ac piè in hoc genere faciunt V.
ij, qui è *Sanctis* patronum aliquem sibi deligunt, quem quotidie inuocent, & per eum à Deo petant, vt non modò in fidei synceritate, *tum in vita, tum in morte* persistant; sed etiam res fidei ita apprehendant, ac penetrent, vt ad conformiter ei viuendum, agendumque cum diuina gratia moueantur. Tales patroni præcipuè esse possunt S. Thomas Apostolus, qui, dubitatione, & incredulitate, in qua primitus fuit, à Christo post resurrectionem detersâ, firmissimus deinde in fide; imò & eximius Fidei Magister effectus est. Talis S. Barnabas, *plenus fide, & Spiritu Sancto*: Talis S. *Act.* 11.
Thecla, quæ miris SS. Patrum laudibus celebratur; & de ea canit, atque orat Ecclesia, *vt eius tantæ fidei proficiamus exemplo*. Talis S. Gregorius Thaumaturgus: Talis S. Petrus Martyr Ordinis Prædicatorum, in cuius itidem festo die precatur Ecclesia, *vt eius fidem congruâ deuotione sectemur*. Tales & alij multi Sancti; sed præcipuè Sanctorum omnium Regina Virgo, cui Sancti omnes, vti aliarum virtutum, ita Fidei principatum deferunt; cuius specimen cùm potissimùm in passione, & morte Filij, & suo illo agone, dolorumque omnium in anima conflictu dederit; dignetur nobis adesse, & nunc, & in mortis nostræ, morborumque lucta, in qua fidem nostram potissimùm oppugnare solet Dæmon, *vt & in fide inueniamur stabiles, & in opere*

efficaces, & in charitate, ac gratia perseuerantes. Amen.

CAPVT II.

Odium & fuga cuiuscunque peccati.

I. SVpposita vera fide, circa DEVM, & res diuinas, vt ex illa primum ad perfectionem gradum facias, necessarium omnino est, vt, quàm potes maximũ cuiuscunq; peccati odiũ, detestationemque concipias, illud pro malo, omnium malorũ grauissimo, habeas, adeoque quoduis potiùs aliud malum, imò & omnia alia mala pati velis, quã vel vnicum peccatum deliberatè committere. Dixi, primum hũc esse post fidem ad perfectionem gradum, contrà quàm quidam sentiunt, & agunt; qui, cũ proposita sanctitatis habent, exordiuntur illam à multis precibus, quas sibi quotidie certò persoluendas indicunt; & interim in vitijs hęrent, & in via perfectionis parum promouẽt. Videre hoc est in deuotulis quibusdam mulieribus, quæ magnam diei partem precando domi, & in templis consumunt, alia atque alia Officia, Rosaria, precatiunculas percurrendo; & tamen manent, vt antè, rixosæ, impatientes, superbæ, garrulæ, vanæ, sui amantes, & videntur sibi piæ. Alij rem se confecturos existimant, si etiam statas aliquas, easque satis graues corporis afflictiones subeant, vt: disciplinas, cilicia, ieiunia, &c. totamque ferè in his,

in his, ex vulgi opinione, vim sanctitatis collocant, cùm sint nihilominus sæpe contumaces, inobedientes, iracundi, in alijs censurandis, & iudicandis temerarij, honoris, & existimationis propriæ cupidi, ac tenaces, alijsque vitijs impliciti. Quantò rectiùs hi facerent, si ante omnia, odio, fugæ & extirpationi peccatorum seriam operam darent, medijs opportunis adhibitis: & tum enimuero etiam preces, ac corporis mortificationes pro mensura discretionis; præsertim ex directione Patris Spiritualis, quæ sine dubio bonæ ac laudabiles, medijsque alijs accensendæ sunt, vsurpent. *Diuerte à malo*, inquit S. Dauid, *& fac bonum, inquire pacem, & persequere eam*. Primùm ponit, *diuertere à malo*, id est, peccato; hoc enim solum propriè est malum; & tum alia subnectit. Et Isaias c. 1. *Quiescite agere peruersè, & discite benefacere.* Ps. 33.

II. Hoc peccati odium in nullo post Christum homine, aut Angelo tam ingens fuit, quàm in Matre dolorosa. Quò enim quis est sanctior, & DEVM magis diligit, eò magis detestatur, & odit id, quod Deo, & Sanctitati è diametro repugnat, & summè contrariū est, id est, peccatum. Virgo autem benedicta summè fuit sancta, & summè Deum dilexit; cōsequens igitur est, vt summo etiam super omnes alios odio, & abominatione peccati flagrarit. Vide, quæ diximus lib. 1. cap. 12. & 8. Neque verò ita duntaxat peccatum detestata

est, nè in id ipsa incurreret: Maluisset enim omnes, à quocunque intellectu imaginabiles miserias & afflictiones subire; quàm vel leuissimè veniali noxâ delinquere, à qua omni, siue actuali, siue originali fuit semper prorsus libera: sed in alienum etiam quoduis peccatũ tantâ abominatione, & execratione ferebatur, vt ad illud tollendum, vel impediendum, quantum ex ipsa erat, nihil, quod durum, atque horridum creatura vlla pati potest, recursaret pati. Cùm enim Christi voluntati esset conformissima, & eiusdem cum illo mentis ac spiritûs: sicut huic peccatum quodlibet omnibus cruciatibus, quos in cruce, & toto passionis tempore pertulit; imò & alijs, quos præterea ferre potuit, magis aduersum fuit, maioremque tristitiam, & animi afflictionem causauit; ita causauit & Virgini. Certè ex Christi Dei sui amore (quem plùs seipsâ dilexit: imò vnicum, & solum totis animæ viribus dilexit, nihil aut sibi, aut alteri rei extra illum, aut ea, quæ ille diligi vellet, cordis, amorisvé tribuens) ex amore, inquam, Christi libentissimè, auidissimeque pro illo, aut vice illius, crucem, & reliqua eius cruciamenta sustinuisset, & ab illo in se transtulisset. Adeò sc. acerbũ sensum dolor ille, quem Filius sensit, illi inussit, vt magis eum dolorem sentiret in ipso, quàm sensisset in se, quem magis diligebat, quàm se. Cùm igitur Christo, vt dixi, peccatũ quoduis cuiuscunq; hominis ægriùs fece-

fecerit, & maiori amaritudini, acerbitatique fuerit, quàm omnia supplicia, & cruciatus, idque Virgo Sanctissima probè sciret; quantam putas hæc Christi displicentia, amaritudo, & acerbitas, in illa causauit displicentiam, amaritudinem, acerbitatem? quæ magis sibi aliquid displicere, sibi amarum, acerbumque esse, quàm illi cupiebat? Imò verò, si, vt vel paruam in illo displicentiam, amaritudinemque impediret, aut tolleret; nullam, ob immensum amorem, quantumuis maximam, afflictionem recusaret, quam, quæso, recusaret, vt tolleret, impediretve in illo amaritudinem, displicentiamque maximam, quæ cruciatus illius omnes excedebat? præsertim cùm præter disgustum, & amarorem, quem Christo, quà homini, imò & quà Deo (tropicè loquendo) & Spiritui Sancto, totique SS. Trinitati peccatũ obtrudit, atq; oggerit, in ipsum ESSE Dei, eiusque attributa mucronem quodammodo stringat, &, quantum est ex se, tollere è medio DEVM tẽtet, vt cap. 12. libri 1. dictum est. Quid non abominationis, odij, detestationis, horroris, amaritudinis, hoc Virgini creauit? quæ possunt fingi, quæ esse mortes, quæ mala alia, quæ non expeteret, ad auertendum, & exterminandum è mundo quoduis, & cuiusuis peccatum Deo summè dilecto sic simul abominabile, atque aduersum; simul hostile, ac inimicum?

III. Ad hoc igitur quàm maximum peccati

odium concipiendum tibi statue, quisquis es perfectionis, imò & salutis cupidus, pro exemplari Matrem dolorosam, vt eam in hoc vehementissimo odio, quàm simillimè, & conformissimè potes, imitere, vt præ peccato quocunque quamlibet mortem, & quidquid morte diriùs, atque horribiliùs esse potest, eligendum ducas, atque etiam, si res ferat, eligas; vt infeliciorem te fuisse arbitreris, quòd peccatum commiseris, quàm si omnia alia mala incurrisses, aut incurreres; infelicioremque fore, siquod peccatum deinceps commissurus sis. Quodsi ita eris constitutus, *vt nulla vel propriæ mortis*, vel etiam (vt loquitur S. P. Ignatius in libello Exercitiorum) *humanæ quantæcunque felicitatis* (quæ omnis quoque pro vitando peccato spernenda est) *conditione proposita adducaris, vt quamcunque culpam decernas admittere*; multò certè id minùs decernes, si tibi vel modica molestia, vel voluptas exiguæ peccandi ansam præbeant.

IV. Quæres, quibùs modis, & vijs in hoc peccati odio, detestatione, & fuga te possis exercere? Respondeo Cùm voluntas in rebus vel appetendis, vel fugiendis multùm ab intellectu dependeat & ordinariè, prout hic illi res proponit, ita in eas feratur; primò curandum tibi est omni ope, vt intellectus peccati horribilitatem, grauitatemque trutina Christi & Matris dolorosæ expendat; non autem

autem communi hominum sensu, *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, Gen. 8. neque peccatum rectè ponderant. Proderit igitur axiomata quædam verissima, ex Christi schola desumpta, firmiter menti imprimere, & identidem reuoluere; qualia possunt esse hæc:

Qui peccat, ægriùs facit Christo, Deo suo, quàm si eum sine peccato cruciaret, atque occideret.

Qui peccat, peiùs procedit cum Christo, quàm quisquam vnquam cum cane, aut alia bestia.

Magis displicet Beatæ Virgini in me vnum peccatum, quàm displiceret in se, quidquid cruciatuum esse potest.

Christus ex solo aspectu peccati tristatur vsque ad mortem: præ horrore, auersione & naturę aduersus illud repugnantia, sanguinem sudat. Adeò illi contrarium est!

Qui peccat, DEVM, Deique naturam tentat è medio tollere; imò Deicida est.

Peccatum, *Spiritum Sanctum* summè *contristaret*, si humanorũ affectuum esset capax. Ephs. 4.

Tantum malum est peccatum, vt omnia alia possibilia mala, respectu illius mala non sint.

Nec creaturæ omnes, nec Deus per totam omnipotentiã suam tantũ mihi nocere potest, quantum ego mihimet noceo vno peccato.

Adeò crudum eſt peccatum, vt illud æternæ inferorum flammæ excoquere nequeāt.

Maiore triſtitiâ omnium noſtrûm, & dolore dignum eſt vnicum quoduis peccatū, quàm omnes mundi calamitates, quas patimur, ſi ſint ſine peccato.

Efficere, vt hæ, quæ nunc ſunt, &, ſi creentur omnes, quæ eſſe poſſunt, creaturæ, omnibus poſsibilibus modis dirìſsimè vnà mecum pereant, minus eſt, quâm vel leuiſsimum peccatum committere, ſi illud ſine peccato fieret.

Peccati tanta eſt enormitas, vt, qui illam, Deo illuminante, vt eſt, cognoſceret, præ horrore, & abominatione ſubitò interiret.

Peccatum æternitate, & átrocitate pœnarum infernalium, punitur infra condignum.

Has, & multas alias, quæ adferri poſſent, ſententias, ſi quis bene conſideret, ac penetret, ſi menti infixas habeat, & nihilominus peccare deliberatè velit; non eum hominem dicam. Imò verò, ſi ratione præditus ſit, ea que rite vti velit, his, quæ dicta ſunt, perpenſis, tāto peccati horrore concutietur, vt nihil magis, aut potiùs nihil, quàm peccatum, timeat, vt de S. Chryſoſtomo narrant hiſtoriæ, de quo cùm Eudoxia Imperatrix quæreret, quidnam timeat? reſponſum eſt illi: *Chryſoſtomus nihil, niſi peccatum, timet.* Expedit autem, ſimiles ſententias, aut earum aliquas cum ſenſu recolere, tum aliàs, tum etiam, cùm confiteri volumus; tunc enim maximè, & opportuniſsimè ſerui-

seruire possunt, ad concipiendum dolorem, & detestationem peccati, Sacramento pœnitentiæ congruentem, vt sit detestatio super omnia alia mala, saltem in confuso; & propositum efficax, quod tunc requiritur, & verendum est, nè sæpe desit ijs, qui peccati atrocitatem non expendunt, adeoque non eo, quo par est, odio, detestationeque prosequuntur; præsertim si ordinariè in eadem peccata relabantur, eaque tantùm quasi ex consuetudine confiteantur. Sanè Rodriquez existimat, ex defectu doloris & debitæ detestationis peccati, ac propositi illud vitandi, plurimas confessiones esse irritas. At, si axiomata illa per intellectum voluntati conuenienter proponas, vix fieri potest, quin seriò moueatur; maximè si eis motiua ad Dei amorem admisceas, vt non attritio tantùm, sed perfecta, & iustificans contritio enascatur. p. 1. tr. 5. c. 10.

Prodest deinde ad peccati iustum odium concipiendum, vt non in magna tantùm, aut mortalia peccata vitanda animum, & studium intendas, sed etiam, idque non minore curâ, ad fugienda, quantumuis minima, venialia. Quo in genere cauenda est carne peius, & angue quorundam pessima persuasio, qui ex eo, quòd intelligant, peccata venialia omnia, iuxta cursum ordinarium vitari non posse, non magnopere curant in ea, etiam aduertenter, labi, neque hoc sanctitati officere autumant. Sed vehementer errant. Itaq; pro certo habe,

vix, aut nè vix quidem te in spiritu profecturum, multóque minùs ad perfectionem peruenturum, nisi serium, & efficax animi decretum habeas potiùs moriendi, quàm vt peccatum quoduis veniale deliberatè committas: circa ea verò, quę per subreptionē, & sine plena deliberatione contingunt (quibus omnib9 carere fragilitas nostra nos non sinit) ita te geras, vt continenti, & accurato studio ea, quantum fieri cum diuina gratia potest, imminuas, nè & multa sint, & in multis peccatorum generibus. Ad quod iuuabit etiā axiomata, suprà posita, expendere, quæ omnia, duobus fortasse, aut tribus exceptis, etiam de peccato veniali rectè, & verè enunciātur, eorúmque proinde opinionem, qui ea parui faciunt, confutant. An verò parum tibi videtur esse, peccato veniali ægriùs te facere Christo, quàm si eum sine peccato occideres? An non æquiùs est, te mori potiùs, quàm facere, præsertim cum plena aduertentia, quod tantopere Christo, & Diuæ Virgini displicet; prout in axiomatibus illis est dictum; quodque cætera incommoda continet, quæ in eis explicantur? quæque eorum immanem horribilitatem sub oculos ponunt.

Quodsi dicas, peccata venialia ab authoribus appellari parua, minuta, leuia; Respōdeo, id non sic accipiendum esse, quasi in se talia sint. Vnicum enim ex ijs est grauius, & maius malum, quàm omnia alia pœnarum mala simul

simul sumpta. Vnde nec pro ijs omnibus effugiendis, nec pro bono quocunque acquirendo (etiamsi has, & omnes alias posibiles creaturas, & ipsos etiam Dæmones, ac dãnatos in supremo sanctitatis fastigio posses collocare) committendum est. Vocantur ergo leuia solùm in comparatione mortalium, quæ diuinam amicitiam dissoluunt, & æterno igne puniuntur. Ex quo conclude id, quod suprà insinuaui; quodsi nec pro effugiendis quidem omnibus posibilibus pœnarum malis, aut obtinendis omnibus bonis, peccatum veniale admittendum est; quàm nefarium, & execrabile sit, ob minimam molestiolam euitandam, aut captandam voluptatulam, vel quid simile, sponte illud admittere, cùm scias, tantam Christo abominationem, auersionémque præbere.

VI. Tertium medium, ad detestandum, & vitãdum quodlibet, etiam veniale peccatum, esse potest, si ad hoc diligenter inuigiles, vt primis motibus in materia cuiuscunque peccati, sine vlla mora, actutum, & è vestigio resistas, eosque in ipso ortu elidas; idque si ex Dei amore facias, vt ei rem gratam præstes, non modò hac ratione peccatũ faciliùs euitabis, sed etiam nouo Deum obsequio demereberis, atque exhilarabis, gratiam maiorem ad magis magisque vitanda peccata obtinebis, fortior in spiritu euades, & perfectioni propior. Beata Virgo

non quidem in peccati venialis periculo cõstituta, aut vanitatis aliquid sibi metuens, à quo erat alienissima; sed tamen, cùm ab *Elisabeth cognata sua, beata* prædicaretur, *Mater Domini* appellaretur, eius humilitas commẽdaretur, verborũ vis, *voxq́; salutationis* extolleretur, quâ factum sit, vt *in vtero in gaudio exultaret infans* Ioannes; confestim ab his mentem laudibus auertit, & ad magnificandum Deum transtulit: *Magnificat*, inquiens, *anima mea Dominum*: neque in Elisabethæ dictis; sed in Deo gaudium suum posuit: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Eadem ab Angelo magnificè salutata, *turbata est in sermone eius*; & cùm audisset, statim *cogitauit, qualis esset ista salutatio*. Quantò magis nobis, qui in perpetuis versamur peccandi periculis, ob lucis diuinæ inopiam, & in lapsum pronitatem, aduigilandum continenter est, vt, cũ aliquis suboritur in animo motus, cui reuera coniuncta esset culpa, si in eo hæreremus; subitò, coniectâ in Deum mente, excludatur. Quodsi etiam culpâ vacare videatur, non statim admittatur, nisi id nobis constet; præsertim si de eo dubitatio aliqua probabilis (quod addo, ad excludendos scrupulos, & præposteram anxietatem, cuius sine dubio nõ est habenda ratio) animum pulsauerit. Hac ratione S.P.N. Ignatius per accuratam reflexionem, ac obseruationem cogitationũ suarum ad magnam simul earum notitiam, vt sciret,

ter, bonæ, an malæ essent, simul animæ puritatem peruenit excludendo statim noxios motus, quos penitissimè discernebat, & sanctos admittendo. Quamuis autem in omni vitiorum genere, vt, impatientiæ, & iræ, auersionis animi à proximo, inuidiæ, superbiæ, sui confidentiæ, gulæ, &c. hoc studium adhibendum sit; peculiarem tamen, & præcipuè in eo vitio, quod castitati aduersatur; vt, cùm minima turpitudinis species menti obijcitur, euestigiò eliminetur, & aditu prohibeatur, nè vel minimum tetri illius fumi ex Babylonica fornace animam afflet, aut inficiat. Nam hîc potissimùm valet illud: *Principijs obsta: serò medicina paratur, Cùm mala per longas inualuere moras.*

Quartò, præclarè feceris, si ad hoc te etiã sensim assuefacias, vt non solùm primis motibus malis, mox, vt exoriuntur, neges consensum; sed etiam contrarium ijs actum elicias. Sic enim longiùs multò à peccato aberis, & in spiritu, ac perfectione magis proficies. Exempli gratiâ: Superba tibi occurrit cogitatio, vt te meliorem alijs æstimes; protinus aliam suscipe, quâ iudices te mortalium omnium pessimum, & pro tali haberi, ac tractari velle. & sic in alijs. Cùm S.P.N. Ignatius in Manresano recessu in Xenodochio inter vilem turbam, & mendicabula versans, à Dæmone hac cogitatione impeteretur: *Quid ageret eius & generis, & authoritatis vir in ea* VII.

hominum face, & loci illius sordibus? non satis habuit, prauum hunc instinctum quomodocunque repellere; sed eum actu contrario cõfecit. Nam promptiùs se in abiectissimorum quorumque, miserrimorumque mendiculorum cœtum immiscuit, & longè etiam, quàm antea, familiariùs, suauiusque cum illis egit. Ita Dæmonis artem arte contrariâ elisit, ac superauit. Sanctus quoque Xauerius, cùm Venetijs in valetudinario insanabilium, cuidam fœdis vlceribus obsito inseruiret, sentiretque, ob naturæ horrorem, ex horribili illo aspectu non modò nauseam sibi creari, sed & charitatem aliquantùm intepescere; non hoc solùm egit, vt animi à misero homine alienationi locum nè daret, aut nauseæ, horrorique cederet; sed clarum opposito clauo pellendum ratus, egregiè se vicit, vt saniem è fœdissimo vlcere fluentem non semel ebiberet. Qua sui victoria id consecutus est, vt deinceps cum leprosis, elephantiacis, vlcerosis, non modò sine auersione, & fastidio; sed etiam cum voluptate, & eximia charitate versaretur. Ita sancti hi viri in ijs etiam rebus, quæ nullam obligationem, aut peccatum inducerent; sed maiorem duntaxat perfectionẽ impedirent, Dæmonis tela aduerso telo retuderunt; suoq; nos exẽplo docuerũt, vt in profligandis vitijs longè, vt par est, æquiùs, & magis pari ratione procedamus. Neque desunt nobis alia huiusmodi exẽpla, quæ propiùs ad
nostrum

nostrum propositũ accedunt. Beatus Aloysius publicè in Cardinaliũ, aliorumq; auditorum nobilissimo cõsessu disputaturus, nè quid vanæ gloriæ, quã sibi præcipuè infestã, maximè metuebat, obreperet; cõstituit, datâ operâ ineptè argumentantib⁹ respõdere, vt pro laude, à qua longissimè abesse cupiebat, dedecus, ac pudorẽ reportaret; fecissetq;, quod constituit, nisi Patrũ quidam, qui multũ apud illũ authoritate valebat, intercessisset. Ad hæc, si quãdo virũ aliquem honoratũ intra Collegij fores ingressum animaduertebat, prodibat cũ lõgis scopis, telasq; aranearũ (hoc enim ei erat officiũ) per ambitus abstergebat, vt homo nauci haberetur. sicque sui æstimationi contrario actu occurrebat. Sed & in Beatiss. Virgine inueniamus aliquid, quod in re non multũ dissimili possimus imitari. Nã, cùm primùm DEO grauida effecta esset, nihilq; aliud, quàm gratulantium voces, è cælo, ac terra accurrentium, omniumque ministeria expectare debere videretur; Virgo, ab omni fastu remotissima, vt ab eo etiam remotior foret, contrarium prorsus fecit. Intellexerat ex Angelo, cognatam Elizabeth concepisse. Surgit ergo ocyùs, montana conscendit, pedes, vt testatur S. Bonauentura, & per quadraginta passuum millia iter arripit, vt cognatæ circa instans puerperium ministraret, deque cælesti beneficio gratularetur. Nec minùs in filij passione, quam ex Dei quidem voluntate decre-

decretam, verùm sibi aduersissimam, & doloris gladio animam ipsam penetrantem sentiebat, non quomodocunque se huic Dei decreto, ac voluntati, quantumuis materno affectu repugnante, lubens, volensque, & cum gaudio studebat conformare, nè ab eo vel tantillùm discederet; sed vt magis contra naturalem illum affectum niteretur, ad crucem ipsam filij perrupit, vt ei foret vicinissima. Nos igitur etiam, si quis in nobis affectus, Dei præcepto, voluntatique contrarius, exurgat; si quod vitium (cuius illa, ob gratiæ plenitudinem, capax non erat) animum inuadat, ac tentet, non modò illi consensum negemus; sed etiam oppositæ virtutis actu occurramus. Hoc enim est, non tantùm ictum ab hoste, & vulnus vitare; sed illum inflicto vulnere debilitare, ac sternere, robustioremq; seipso semper in virtute fieri, virtutum habitibus sensim per earum exercitium acquisitis, per quos opposita vitia extinguuntur.

VIII. Quintò, super hæc expedit, certis per diem temporibus, vt, cùm auditur hora, cùm quid moræ inter negotia intercedit, quas moras aliqui particulas temporis vocant; & denique quàm sæpissime fieri potest, licèt nullo in vitium motu impellamur, actus quosdam odij, & detestationis peccati elicere (præsertim initio, cùm spiritualem vitam aggredimur, & ad perfectionem tendere incipimus) idque aliquando in continuum; vt, si sæpe dicas ex

animo:

animo: *Domine, mori malo, & quiduis subire, quàm te summè amabilem vel leuissimè offendere. Domine, detestor peccatum, & habeo pro summo omnium malo. Domine, mallem mihi quoduis aliud infortunium, & incommodum euenisse, quàm vt te, quem super omnia amo, offendissem.* Mirè animum purgant, & ad altiora disponunt hi actus frequenter eliciti; & in principio conuersionis, vt dixi, per duos, trésve menses essent vsurpandi. Aliquando autem etiam contra particularia vitia detestatio, & odium exerendum, exercendumque est; præsertim ea, quæ nos magis impetunt: vt, si impuris cogitationibus infestaris, quàm sæpissime per diem hoc, aut huic simile quid syncerè dicas: *Domine, nullum est supplicium in mundo, quod cum tua gratia non malim, quã coram te vel minima contra castitatem fœditate, etiam per solam cogitationem, inquinari.* Experientiâ constat, admodum vtile hoc exercitium esse.

Multò autem vtilius erit, si sic in particulari quoque, præterquam quòd vitium respuas, & virtutis oppositæ actum elicias, etiam sæpe animo præconcipias (excepto vitio castitati opposito; hoc enim fuga vincitur, non autem imaginando eius occasiones.) Quid ageres, si tibi offerretur occasio superbiæ, impatientiæ, gulæ, &c? vt statim inclines voluntatem, non tantùm vt peccare nolit, ob Dei amorẽ; quod expensis axiomatibus suprà positis non difficulter

culter cum Dei ope efficies; ſed etiam, vt velit per exercitium contrariæ virtutis DEO obſequium præſtare, & illi guſtum præbere. Suggerit, & laudat hoc medium Alphonſus Madrilienſis in libello de vera DEO aptè inſeruiendi methodo p. 1. documento 7. & ſine dubio ad animi puritatẽ, & in ſpiritu profectũ eſt eximiè opportunũ. Hoc tantũ moneo, vt in principio, cũ virtus nondũ ſatis eſt corroborata, nè tibi ſumma, & nimis ardua proponas, aut imagineris cũ periculo ſuccumbendi; ſed à facilioribus ad difficiliora pedetentim procedas. Quodſi contingat occurrere tibi, aliquid ſpontè (nã, vt dixi, deditâ operâ tam periculoſæ cogitationes non facilè accerſendæ ſunt) in quo ſuperando, ſi talis v. g. caſus aut hæ vel illæ circumſtantiæ ponerentur, vehementer labores, & penè de gradu deijciaris, non eſt neceſsè, vt anxiè tecum luctèris; ſed mente ſuſpenſa, & nec aſſenſu, nec diſſenſu elicito, à particulari ad vniuerſalem propoſitionem te reuoca, idque ſolum (quod nemo Chriſtianus diffitetur) cogita: *Dignus eſt DEVS vt quantumuis arduum pro illo fiat, & ego, ſi mihi, vt ſpero, det gratiam ac robur, nihil recuſo ſubire; ad vitandam eius offenſam, qui neminem permittit tentari vltra id, quod poteſt; aut ad gloriam eius promouendam, guſtúmve ei præbendum, qui adiuuat ſperantes in ſe.*

Attendendum etiam eſt ad præſentem

animæ

animæ statum ac dispositionem : maiora enim concipimus, tempore consolationis, & faciliùs in ea ferimur, quàm tempore desolationis. Vnde sæpe consultum non est in feruore consolationis, voto se aut aliter ad aliquid obligare, maximè si id cessante consolatione admodum difficile sit perficere; consultum tamen est Spiritu Sancto nos impellente, tunc, sed sine obligatione, in ardua & magna ferri.

Ad extremum hoc addo, vt odio, detestatione, & medijs nunc præscriptis potissimùm vtaris aduersus illud vitium, quod tibi est infestissimum, & magis ac frequentiùs in lapsum præcipitat, magisque à cursu perfectionis retardat. Est enim cuique vnum ferè, aut pauca præcipua vitia, quibus superatis, prona & facilis redditur ad perfectionem via. ad quod inter cætera maximè inseruiet examen particulare.

CAPVT III.

Sui, & passionum victoria.

VT longiùs à peccandi periculo absimus, & propiùs ad perfectionē accedamus, præter peccatorum fugam, etiam passionum mortificatio necessaria est. Ab his enim vincētibus, I.

tibus,& vigentibus peccata facilè veluti à radice repullulant,& succrescunt, suntque illæ horum quoddam seminarium ; & præterea pacem animi perturbant,redduntque ad coniunctionem cum Deo minùs idoneam. At, si generosè vincantur & opprimantur, aditum ad præstantia Dei dona, insignemque sanctitatem patefaciunt. Hinc legimus,quosdam à sui & passionis alicuius, vehementer obsistẽtis,victoria perfectionem inchoasse, eamque deinceps ad celsissimum culmen perduxisse, Deo victoriam illam copioso, & perpetuo gratiæ influxu remunerante. Illustre, & multiplex huius victoriæ exemplum nobis præbet Mater dolorosa. Fuit enim inprimis tristitiâ plenissima,cuius immẽsam materiam cruciatus,& mors Filij, cum tot & talibus adiũctis,nimium,quantum illi suppeditabat. Huic accedebat subtractio consolationis,vt libri 1. c.7.dixi,à Deo facta, ad maius eius meritum. Itaque tota erat in amaritudine, & afflictione posita. Aliarum quoque passionum exercendarum ansa illi offerebatur summa, vt; iræ,& odij aduersùs eos,qui Filium innocentem tam immaniter, & iniuriosè in eius oculis tractabant;timoris,inter tot hostes,&pericula,&c. In his tamen omnibus occasionibus absolutissimum suarum passionum retinuit regimen ac dominium, vt eis habenas vel laxaret,vel adduceret; prout ad maius Dei obsequium,& gloriam fore iudicabat. Imò,cùm ligatum

ligatum haberet peccati fomitem, nullius passionis actus in illa vsum rationis anteuertit, ac nè quidem se commouit, nisi illâ, plena cum deliberatione, & aduertentiâ imperante ac volente. Et in hac quidem felicitate eam æquare non possumus, qui à passionibus nostris sæpe, quantumuis & ratione, & voluntate repugnante, infestamur; possumus tamen in eo imitari, vt nos passiones nostræ exurgentes, ad peccatum non pertrahant, vt continenti studio domitæ, ac subactæ minùs rebellent, nósve inquietent, vt eas denique quasi fræno quodam in gyrum rationis ducamus, & ad solam Dei voluntatem implendam, atque ad eius gloriam, & obsequium flectamus.

Præcipua autem cura nostra circa tristitiã, de qua sola nunc agam, versari debet. Hæc enim, nisi attendamus & occurramus, in maxima pericula nos conijcere solet; vanis apprehensionibus, ac iudicijs mentem implet, ex quibus frequenter pessimæ, & ineptissimæ fiunt conclusiones, animique resolutiones, & decreta, quæ nos à Deo, rebusque diuinis abducunt: hæc virtutis viam difficilem, imò, præualente melancholiâ, & inanes illas phantasias suggerente, intolerabilem reddit; deuotionem, & orandi, diuinaque contemplandi studium extinguit; tentationibus, & impressionibus dæmonis aditum parat; spiritum Dei per contrarium spiritum debilitat ac suffocat, II.

focat. Nam vt ait Sapiens : *Spiritus tristis exsiccat ossa*, Prouerb. 17. hoc est, vires, ac robur, quod per ossa significatur, eneruat ac frangit.

III. Quo igitur modo hãc passionẽ, quæ adeò noxia esse potest, moderabimur ? Primò, vt apprehensionibus, & iudicijs, quæ nobis tempore tristitiæ suboriuntur, & sæpe quasi agminatim in nos irruunt, nullo modo credamus, neque nobis persuaderi patiamur, vt pristina bona proposita, aut consilia deseramus. Cùm
Luc. 22. Christus in horto Gethsemani esset *tristis vsque ad mortem*, *factus* est *in agonia*; grauem videlicet luctam sustinuit. Pars enim inferior alias ei cogitationes, alia consilia suggerebat, quàm quæ priùs habuit. Antea enim summo patiendi desiderio arsit : *Ba-*
Luc. 12. *ptismo*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur ?* Et cùm Hierosolymam ad patiendum pergeret, ita festinauit, atque Apostolos antecessit, vt mirarentur. & post vltimam cœnam: *Vt cognoscat*, in-
Io. 17. quit, *mundus, quia diligo Patrem* : *Surgite, eamus*. quò? nempe ad patiendum, & moriendũ. At vbi eum tristitia occupauit, *cæpit pauere, & tædere*. Ad quæ priùs generosissimè sese offerebat, quæque expetebat & ambiebat, ea nũc in tristitia, vt difficillima & intolerabilia expauescit : in quibus cogitandis antea gaudium sentiebat, nunc tædium sensit. Denique Patrẽ rogat, *vt transeat ab eo hora, vt trãsferatur calix*

lix passionis. His tamen nõ obstantib⁹, & nullâ habitâ rationis cogitationum, quas tristitia oggerebat, manet fixus in DEI beneplacito perficiendo: *Veruntamen non mea volũtas, sed tua fiat. Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Sic & Sanctissima Virgo, vt lib. 1. c. 13. retuli S. Brigittæ dixit, *quòd quamuis ex materna charitate sibi non placuisset, quòd suus amantissimus Filius voluntatem moriendi habuisset*, quæ displicentia, aut repugnantia sine dubio ex naturali tristitiæ affectu oriebatur; mansit tamẽ diuinæ voluntati conformis, neque tristitiæ, in contrarium nitenti, assensit. Valde inculcatum sibi habere debent hoc documentũ melancholici, præsertim cùm ex casu aliquo, cõtra spem, aut expectationem, & cum magna eorum repugnantia occurrente, perturbationibus agitantur, nè scilicet rebus ijs, quæ tũc illis in mentem veniunt, animique decretis, & iudicijs assensum præbeant, etiamsi talia videantur, vt palpare manibus, & oculis rẽ cernere se putent. Falluntur enim, quod vel suâ experientiâ discere possunt, cùm antea similibus perturbationibus agitati, & tranquillitatem mentis deinde consecuti deprehenderunt, inania fuisse; imò & noxia, quæ sibi in statu illo tanquam perspicua, & certò facienda persuaserant.

Secundò, quando tristitiæ spiritu infestamur, magis tunc ad DEVM recurramus, Matris dolorosæ, quæ totum passionis Filij IV.

Filij tempus orando, & cum Deo agendo, tranſegit, vt cap. 11. videbimus; imò & Christi ipſius exemplo, qui *in horto, procidens in terram*, horas aliquot in oratione, quantumuis ſummo tædio aſſiceretur, poſuit. Solet enim in melancholia tædium obrepere, quod hominem ab oratione auocat, & res ſpirituales inſipidas facit; cui ſi cedas, & ſine recurſu ad DEVM in hac Dæmonis, & melancholiæ impugnatione tibi te ſolùm ſinas, quid mirum, ſi ſuccumbas, cùm ex vna parte magna ſit tua ſpiritûs puſillanimitas, ex altera ingens cogitationum tumultus, ac tempeſtas. Vnde orabat Dauid *liberari à puſillanimitate ſpiritûs, & tempeſtate.* Quapropter excuſationem nō habent ij, qui in melancholia & perturbatione eò aliquando deueniunt, vt de mutando vitæ ſtatu, quem antea ſibi congruentem, & ad ſalutem conſequendam, perfectionemque idoneum cognôrant, deliberant, & pœne, aut planè concludunt, ſi hunc ad DEVM recurſum omittant; quod multis ſolenne eſt; quibus cùm dicitur, vt ſe in preces dent, reſpondent, nihil ſe in eo, quo ſunt, ſtatu, precari poſſe; quia ſcilicet tædium, repugnantiam, & difficultatem vincere nolunt. Sibi igitur imputent, ſi & DEVM deſerant, & à DEO deſerantur, adeoque infelicem finem deniq; ſortiantur. Tu verò, ſi in ſimilem melancholiam incidas, in preces cum Christo proſtratus, alterutrum à Deo pete, vt vel ab iſta te triſtitia liberet,

Pſ. 54.

liberet, &, si sit illi sic placitum, *calicem hunc à te transferat*; præsertim si virtute nondum sis satis confirmatâ & robustâ; simul, quantũ potes, adnitere, vt eam melancholiam excutias, & pristinâ serenitate mentis, ac lætitiâ quàmprimùm potiaris: nam, vt ait Ecclesiasticus c. 30. *Tristitiam non des animæ tuæ, iucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis.* Hoc est, vt explicant Interpretes: Iucunditas est sanctitatis indeficiens thesaurus; quia lætitia sanctitatem fouet, & auget, facitque, vt alacriter opera pietatis obeamus: contra verò, vt addit deinceps idem Sapiens, *multos occidit tristitia, & non est vtilitas in illa.* Vel, si ea est Dei voluntas, vt tristitia, ac perturbationes, quantouis à te adhibito nisu, expelli non possint, tum Deum roga, nè te in peccatum aliquod pertrahant, néve à melioribus consilijs abducant. Quin etiam tunc animo generosò ad quiduis pro Deo agendum, patiendúmve, licèt summam repugnantiam sentias, te offer, in eoque fixus, ac firmus persiste. Est hic excellentissimus actus, alijs actibus, quos in lætitia exercemus, præferendus, quo maximum erga Deum amorem declaramus. Talis fuit Christi ille, quo, non obstante tristitia vsque ad mortem, hostibus sponte obuiam processit, & illorum potestati se, ad implendam Patris voluntatẽ, & salutem nostram procurandam, tradidit. Talis Beatæ Virginis sub cruce, quæ in mare

tristitiæ, amaritudinis & afflictionis demersa, non modò nihil à DEI beneplacito declinauit; sed, vt capite præcedenti dictum est, spôte ad maiora se obtulit, & ad Christum crucifixum per obstantem turbam penetrauit, eique proxima stetit, vt plus de illius cruce participaret, magisque per hoc, suum erga Deum amorem declararet. Itaque & tu tunc magis ad CHRISTI crucem affectu, & desiderio appropinqua; tantùm abest, vt ab ea discedere, & Christum deserere velis. Neque verò si ita sis constitutus, statum tuum, in quo tristitiâ & perturbationibus; imò & prauis affectibus contra voluntatem agitaris, miserabilem æstima; sed potiùs *felicem*, quippe qui & ampliorem meritorum est ferax, & maioris tui in DEVM amoris est argumentum, atque origo, & Christo patienti, ac Beatæ Virgini te similiorem facit. Vnde solet Deus maximè in spiritu & virtute prouectos potissimùm *sic* exercere; vt bene declarat Achilles Gaglierdi in breui illo suo compendio perfectionis, quem consule. Atque hæc de passione tristitiæ.

V. De ira & odio, vt Beatissima Virgo contra ea egerit, vtque in hoc imitanda sit patebit infrà ex cap. 8. vbi agemus de mansuetudine. Quanquam quid attinet, cùm de Beata Virgine sermo est, victoriæ passionum mentionem facere, cùm, vt initio capitis insinuaui à nullis

nullis sit oppugnata, neque vti nos, ab earum perturbationibus fuerit vnquam præuenta, vt bene docet Toletus in 1. c. Luc. annot. 74. vbi ait, *Beatæ Virgini* ex diuino priuilegio concessum fuisse, vt nullos tales affectus, aut motus pateretur, qui, non dico, mentem ac rationem expugnarent, sed vel etiam oppugnarent. Imò addit, in hoc soli CHRISTO similem fuisse, quòd eius omnes affectus fuerint voluntarij, & liberi; non enim timebat, nec irascebatur, nec tristabatur, nec ex reliquis alijs aliquem affectum habebat, nisi quando volebat, & quomodo volebat; ideoque affectus eius non passiones; sed, vt loquuntur Theologi, propassiones appellandi sunt. Et, quamuis de hoc non habeamus expressam Patrum doctrinam; probabile tamen est, talem fuisse Matrem, qualis fuit Filius, licèt neque æquali perfectione, neque ex eadem causa. Nam *Filius* id habuit ratione personæ, quia DEVS erat: Mater, ex priuilegio. Et verò, quòd in nobis affectus, & motus rationem præueniunt, & sint inuoluntarij, id prouenit ex peccato originali, in quod prolapsi sumus. Cùm autem Beatissima Virgo ab eo immunis fuerit, verisimile consequenter est, caruisse eâ imperfectione. Quin etiam, vt hoc obiter addam, non desunt, qui dicant, Beatam Virginem non modò nullam ex passionibus, aut aliunde difficultatem

habuisse ad bonum; sed etiam habuisse sacrum quendam fomitem virtutum, qui fuerit salutifera aliqua qualitas, appetitui sensitiuo inhærens instar principij, aut facultatis, aut habitûs, aut rei alterius permanentis, inclinans ad praua quæque & iniusta fugienda; amplectenda verò ea, quæ secundùm virtutē sunt. Hæc in Beata Virgine mirari, & laudare possumus, totoque pectore ei gratulari; imitari nō possumus; eò tamen tendere debemus, vt, pro ratione status & conditionis nostræ, passiones nostras magis, ac magis semper donando, ac debellando, similes ei, quoad possumus, euadamus.

Caput IV.

Affectus rei cuiuscunque extra Deum, abdicatio.

I. PRæmissâ peccati cuiuscunque fugâ, & passionum mortificatione, sequitur, vt animus perfectioni assequendę intentus, ab omni se rei terrenæ, vel cuiuscunquē alterius affectu extricet, quæ vel Deus non est, vel non ex Dei voluntate amari debet. Præclara nobis in hoc documenta dedit Virgo Sanctissima per omnem vitam, vt patet tum in Christi Natiuitate, in qua nihil ferè magis, quàm Paupertas, & rerum terrenarum abdicatio elucet; tum in Purificatione, vbi non Agnus, diuitum more, sed *par turturum, aut columbarum*, secundùm
"c. 1. consue-

consuetudinem pauperum, offertur; atque hinc argumentum, & coniectura sumitur, erogatorum mox in pauperes, aut res pias à Deipara thesaurorum, auri, myrrhæ, & thuris, quos Magi Christo nato Regiâ munificentiâ attulerant: tum quòd Christus non ex peculio materno, dum prædicaret, vitam sustẽtauerit, sed ex eleemosynis & ministerio, siue subministratione aliarum piarum Matronarũ, & ex ijs, *quæ mittebantur*; quia scilicet Mater, *Io. 12.*
quæ se omnibus abdicauerat, quod Filio suppeditaret, non habebat. Sed præcipuè in Christi Passione & Morte sese hæc rerum terrenarum, & affectionis nuditas, ac vacuitas prodidit; vbi in extrema necessitate ter optimi, & dilectissimi Filij nihil habuit Mater, quo illi subueniret, nè linteum quidem, quod offerret, vt faciem sputis conspurcatam, & totam lutulentam, atque sanguinolentam vel semel abstergeret; sed id obsequium Veronicæ permittendum fuit: aut quo nuditatem eius, in sua, & illius summa atque extrema verecundia tegeret. Probabilius enim est, Christum omnino nudum & flagellatum esse, & cruci affixum. Mortuo verò Domino, neque tantillũ terræ possidebat, in quo Filium conderet; neque vnguenti, aut aromatum aliquid, quo illum pro more gentis condiret, sed alterum à Nicodemi, alterum à Iosephi ab Arimathia pia liberalitate & eleemosyna fuit expectandum. Adeò Mater & Filius in rerum omnium huius

mundi, affectúsque ad eas abdicatione in vita, & in morte conspirabant. Verùm longè his maius fuit, quòd non erga alia modò extra DEVM; sed erga Deum ipsum, eumque verè Deum suum, quia suum Filium, affectum propter Deum exuit, vt DEO, propter DEI amorem, carere vellet, eumque sibi morte eripi ac tolli sineret. Habebat illa in CHRISTO Filio omnes suas opes, ac thesauros repositos, & faciliùs omnibus alijs rebus creatis, aut creandis, quas in sua tota omnipotentia continet Deus caruisset; & verò etiam vt careret, nulliquę earum vel minimâ affectione adhæresceret, suâ sponte ferebatur: at DEO carere, & DEO Filio, DEO se spoliari, hoc tale ac tantum erat, vt maius, ac mirabilius nec esse, nec fingi posit; & velle carere, difficillimum maximeque arduum erat. Hoc tamen vt vellet, vt carere DEO sustineret, vt erga Deum affectum exueret (quod paradoxum videri potest) DEI amor effecit. Ob DEI ergo amorem superexcellentissimum, & supereminentissimum, alio DEI amore, quanquam & ipso excellentissimo, eminentissimoque se (si ita fas est dicere) abdicauit.

III. Hinc tu disce affectum tuum in Dei gratiâ ab omni eo abstrahere, quod vel cum Dei amore pugnat, eumque aut omnino arcet, aut impedit, quò minùs tam sit vehemens, ac perfectus, qualis esse posset. Delicatus est Dei

synce-

syncerus amor, qui nullam alienam affectionem secum fert; sed nudum omnino animum ac vacuum, omnisque alterius amoris expertem requirit, nec quemquam, præter se, secum habitare patitur; multò verò minùs quidquam terrenæ fæcis admittit. Itaque minima cordis ad rem terrenã adhæsio illi obicem ponit. Auiculæ etiam tenui filo vinctæ, aut aliquo onere grauatæ, aut modico visco implicitæ, sursum euolare nequeunt; ita mens terreni affectûs, quãtumuis exigui, nexu illigata, & quasi visco detenta, aut pondere depressa, ad cælestem, & sublimem Dei amorem eniti non valet. Nam si, vt ait Sapiens c. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*; id est, animi incorruptibilis nexus cum corpore corruptibili, cui veluti visco inhæret, magnum per se ad cælestia impedimentum, & quasi onus affert, & vel sola *terrena inhabitatio deprimit sensum*, hoc est, mentem, ac intellectum (in Græco enim est νοῦν) quantò magis, si grauedini corporis ac ponderi, terrenarum affectionum moles, aliudque pondus superaddatur? Excutiendum igitur hoc onus est, & à rebus istis vanis, quæ humanæ menti fucatâ specie illudunt, cùm aliud habeant nihil, quàm vt eam degrauent, sintque instar retinaculi, quò minùs in Deum assurgat, atque aspiret, nobilior hominis pars expedienda, nè transuersum & in præceps agatur. Vnde rectè monet Psalmista

Psal. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde?* obtuso, crasso, bruto, quod ad ima, & vilia fertur; non spirituali, subtili, & leui, quod tendat ad cælestia; *vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* res scilicet vanas, & mendaces, quæ solida, & vera bona non sunt; sed, vt psal. 30. dicit idem vates, *insania falsa?* Verè insaniæ; quid enim magis insanum, quàm, cùm possis amare Deum, eique adhærere, & *vnus cum illo spiritus effici,* adeoque omni felicitate, alia omni, quæ ex rebus creatis capi potest, maiore potiri; res friuolas, inanes, viles, hominis nobilitate indignas, consectari, quæ te ab illo bono impediant? Si quis occasionẽ nactus, & copiam facillimo negotio, labore & curâ pœne nulla acquirendi ingentem omnino thesaurum ex omnium pretiosarum rerum infinita copia collectum, eo neglecto, in minima particula paleæ, aut, quod vilius est, stercoris, adamanda, consectandaque se occuparet, nónne totus mundus eum insanũ duceret, atque proclamaret? At res terrenæ omnes futiles ac leues sunt, paleæ instar, *quam*
[P]s. 1. *proijcit ventus à facie terra,* hoc est, quæ præter sui vilitatem ita sunt instabiles, vt instar paleæ ludibrium venti esse videantur; & eas S. Paulus *arbitratur vt stercora.* Quænam igi-
[P]hilip. 3. tur erit insania, ad has *insanias falsas, vanitates & mendacia*, ad has vilitates, ipsa pœne vilitate viliores, animum applicare, in ijs, studio, atque amore versari, neglectis interea immen-

immensis opibus, ac thesauris, qui in Dei amore continentur? Si quis ex Regijs Consiliarijs, dum it ad Regem de rebus maximis & grauissimis, in quibus totius Reipublicæ cardo, & salus vertitur, consultaturus, ad pueros, in arena ludentes, Regio imperio, & negotij vrgétis magnitudine spretâ, diuertat, eodemq; cum pueris ludo in arena ludere pergat, quo illum in numero repones? Consiliariorúmne & Sapientum? an stultorum atque insanorum? Non diu, scio, cogitabis, quid statuas. Idem ergo & statue de ijs, qui cælo, & Deo omisso, circa quæ grauissimum, idque solum nobis debet esse negotium, in terra & arena affectibus suis ludunt.

IIII. Verùm quid opus est, in re nota diutius immorari? Scire tu potiùs fortasse cuperes, quibus gradibus ad perfectum affectûs erga res terrenas abdicationem peruenire valeas, aut quomodo practicè in ea te exercere. Aio primò, vt firmiter apud animũ tuum statuas, nullam ob rem terrenam non modò vllum vt peccatum admittas; sed etiam, vt nè minimum quidem gratiæ diuinæ punctulùm, quãtum huius vitæ conditio sinit, negligas, aut lucrari omittas. Minimus enim gradus gratiæ, emptus Dei morte & sanguine, pretiosior est, quàm infiniti & omnes possibiles mundi. Isne igitur quodammodo vendatur, aut commutetur pro vnius huius mundi non dico tota vniuersitate, sed eius particula exigua, imò

Prou. 8. nihilò respectu totius? *Melior est*, inquit Beatissima Virgo, *fructus meus* (nempe fructus ille, qui ex Matre gratiæ prodijt) *auro*, &c. Gratiæ & diuini amoris augmentis studuit Beata Virgo totâ vitâ suâ, quæ eò maiora fiunt, quò minùs terrena curamus: his augmentis *filias, quæ congregauerunt diuitias,*

Prou. 31. *supergressa est vniuersas*, hanc negotiationem elegit, & *gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius*. Hanc ab eo discamus, vt filij à Matre, si sapimus. Nam nisi discimus, non sapimus; quod tum primùm stulti mortales intel-

Ps. 145. ligent, cùm *in illa die* (mortis scilicet) *peribũt cogitationes eorum*, quas nunc habent, & aliter summo suo cum dolore de rebus iudicabunt. Sanè docet Suarez, ex acerbissimis pœnis, quas in Purgatorio animæ sustinent, esse immensam tristitiam, ex eo conceptam, quòd, cùm tam facilè ingentes diuinæ gratiæ thesauros colligere in statu viæ potuissent, ob amorem rerum tam vilium omiserint: sicut mercatores, ob interuersa, aut perdita grandia lucra nimium quantum tristari solent.

IV. Secundò, si videas alios homines opibus, & rerum abundantiâ circumfluere, nè sequere vulgi opinionem, qui *Beatum dixerunt po-*

Ps. 143. *pulum, cui hæc sunt*; sed dic: *Domine, pro amore tuo hæc sperno, & calco. Domine, si hæc, imò & alia omnia aut haberem, aut habere potuissem, aut possem; propter te, si id tibi placeret, relinquerem omnia, & sequerer te, vel certè*

in so-

tu solum tuum obsequium, & gustum imperderem. Placent enim Deo hi contemptus rerum terrenarum, propter illum facti: Præterea sicut S. Dauid de homine iusto dicit: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus; timentes autem Dominum glorificat*; ita tu in homine opulento nihil id æstima, quòd opulentus sit; sed id solùm, si quid virtutis habeat, & *timeat Dominum*, ita, vt quemcunque mendicum pluris facias, quã quemcunq; in sæculo potentem, maioremque, saltem in animo, affectum venerationis illi re ipsâ, & actualiter exhibeas, si ille hoc sit virtute ditior. Hoc est spiritum Beatæ Virginis, & Christi sequi, mũdo contrarium. Et sanè quis non pluris nunc faciat, & magis laudet S. Alexium, patriâ, ob Dei amorem, extorrem, inopem, mendicum, Deiparæ ipsius præconio Edessæ deprædicatum, & deinde in paterna domo pauperrimã agentem vitam, quàm eundẽ priùs Romanorum vti nobilissimum, ita ditissimum? Pater Bernardinus Realinus, cùm adhuc in sæculo degeret, monitus à Deipara est, vt supremi omnium Regis obsequijs se dicaret. Ille nondum satis intelligens, quænam essent B. Virginis iudicia, ad Philippum II. Hispaniæ Regem (ad eum enim se destinari putabat) scripsit, sua ei obsequia offerens, addiditque candidè, hoc ipsum monitu Deiparæ se facere. Placuit Regi Catholico hic candor. Itaque suis eum obsequijs addici curauit; atque ita per Guber-

Ps. 14.

Gubernatorem statûs Mediolanensis publicis iudicijs in Alexandrina ciuitate cum authoritate præfectus est, & deinde à Neapolitani regni Prorege Generalis suorum statuum Auditor factus; quibus in officijs aliquot annos transegit, donec à Beatissima Virgine, ei apparente, iterum iterumque, vt Societatem IESV ingrederetur, est monitus: & tum demũ intellexit, supremum omnium Regem non ex huius mundi opibus & potentia debere æstimari, neque se hæc aliquo loco ducere; sed Christi Regum Regis paupertatem (quam deinceps tota vita eximiè coluit) rerumque humanarum contemptum in pretio habere atque adamare.

V. Tertiò, si te DEVS ad deserenda re ipsa, spernendaque terrena omnia, & Paupertatis statum amplectendum vocauerit, aut vocet, in maximis omnino beneficijs, quæ ille in hac vita hominibus conferre solet, repone, simul ingentes quoque Beatissimæ Virgini gratias age; quippe cuius ope, & precibus id sis consecutus. Veri enim Religiosi omnes, suàm illi vocationem cum gratitudine acceptam ferre solent. Certè & Religiosorum ordinum Fundatores, vt S. Dominicum, S. Franciscum, S. Ignatium, &c. vt ex historijs constat, ipsa vel instituit, vel iuuit; & multos alios visibili etiam apparitione, voce, alijsque signis & varios Religiosorum cætus inuitauit, atque impulit; vtque alios ordines taceam, in quorum annali-

annalibus multis id exemplis ostenditur, ad Societatem nostram Beatum Stanislaū Kostkam, Patrem Bernardinum Realinū, Alphonsum Rodriquez, Ioannem Nunnium, virum sanctissimum, qui deinde fuit AEthiopiæ Patriarcha, P. Thomam Sanchez, P. Iacobum Ledesmam, aliosque plurimos apertè vocauit. Qua de re vide libellum, cui titulus: Societas IESV MARIAE Deiparæ Virgini sacra, per P. Ioannem Bourghesium conscriptum, & annuas nostras literas passim. Magna est hæc Religiosorum felicitas, & dignitas, quòd ad Christi, & Deiparæ viuendi normam atque institutum, & veluti familiam vocentur, & ab ijs ipsis cooptentur, quorum vita in paupertate, & rerum humanarum despicientia tota erat. Quodsi hic status crucis aliquid, & ærumnarum habet (quod tamen & multis cælestibus solatijs, animi quiete, curarumque vacuitate conditur, & centuplâ, etiam in hac vita, mercede compensatur, & illo longè minus est, quod plerique omnes sæculares ferunt) etiam per hoc Matri Dolorosæ, eiusque Filio crucifixo similes fiunt, & insuper maius & gratius illis obsequium præstant, semel omnia terrena deserendo, affectúmque omnē ad ea exuendo, quàm si plurima alia, &, vt quidem nobis videtur, maxima præstarent. Narrat Matthæus Raderus in suo Viridario historiam lectu dignam, quam fusè describit, nempe è duobus fratribus, eremum incolen-

tibus, cùm vnus ingentem auri aceruum inuenisset, eum, ob Dei amorem, contempsisse, vnicóque saltu transilijsse; alterum, eo sublato, Monasterium pro 40. Religiosis, & Nosocomium pro multis pauperibus ædificasse, & annuis reditibus in perpetuum stabiliuisse, pecuniam omnem in egenos, & res pias erogasse, sibi vt nè teruncium quidem reseruaret, aut in suos vsus conuerteret; & tamen ab Angelo, visibiliter apparente, vnicum illum alterius fratris saltum, & auri contemptum, huius omnibus pijs operibus longè esse antelatum.

VI. Quartò. Neque tamen ob hoc tibi nimium blandire, aut plaude, quasi rem grandem feceris, quòd magnos auri, argentíque aceruos, magnas opes, quas aut habuisti, aut habere potuisses, pro Christo spreueris, aut etiam deserueris; sed vide, nè fortè ad exiguas animo & affectu adhærescas, per quem tibi viã, atque aditum ad DEI amorem & perfectionem præcludas, vti, prô dolor! multi Religiosi faciunt, quos meritò ridet Cassianus collat. 4. de Abbate Daniele c. 21. *Iam illud*, inquit, *ridiculum, qualiter exprimetur, quòd nonnullos post illum primæ renuntiationis ardorem, quo vel res familiares, vel opes plurimas, ac militiam sæculi relinquentes, semetipsos ad Monasteria contulerunt; tanto cernimus studio in his, quæ penitùs abscindi non possunt, & quæ nequeunt in hoc ordine non haberi (quamuis*

parua

parua viliaq; sint) esse deuinctos, vt horum cura pristinarum omnium facultatum superet passionem? Quibus profectò non magni proderit, maiores opes ac substantias contempsisse; quia affectus earum, ob quos illa contemnenda sunt, in res paruas atque exiguas transtulerunt. Et post multa hæc subiungit. *Quid enim differt, vtrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species? nisi quòd in eo reprehensibilior iudicandus est, quòd, qui maxima spreuerit, minimis obligetur? Ideoque perfectionem cordis, abrenuntiatio ista non obtinet, quia, cùm censum habeat pauperis, non abijcit diuitis voluntatem.* In eundem sensum Marcus Eremita in Consult. cum sua anima sic discurrit: *Nonnulli verò etiam carentes opibus, affectum auaritiæ fouemus in rebus leuissimis; fugientes enim auaritiam, non fugimus voluptatem* (illum nempe affectionis sensum, quem ex amore alicuius reculæ capimus) *non recondentes aurum, res viles coaceruamus: reliquimus possessiones; harum tamen fruitionem non auersamur.* Nempe fraus est hæc Dæmonis, qui affectu & amore ad res paruas per se & exiles, velut iniecto puluere quodam, oculos Religiosorum occæcat, vt eos in terra detineat. Refert Plinius lib. 10. cap. 4. aquilam, vt ceruum supplantet, prædamque sibi faciat, non magno vti molimine, aut viribus; sed

hoc

hoc solo astu: In puluere se volutat, eumque alis collectum, cornibus cerui insidens, in oculos eius excutit, & pennis ora verberat, donec quasi excæcatum, in præcipitium spóte ruentem agat, & deuoluat. O! quot sunt, qui principio conuersionis, conceptis sanctioris vitæ propositis ac studijs, *quemadmodum ceruus desiderat ad fontes aquarum; ita desiderant, & sitiunt ad* DEVM *viuum*, eóque anhelant, vt *appareant ante faciem Dei*, nempe, vt quod dictum fuit Abrahamo, *ambulent, coram Deo, & sint perfecti.* Sed ecce, puluerē in eorum oculos prædator ille animarū Diabolus inijcit terreni alicuius affectûs, quo excæcati, neque fontes iam aquarum viuentiū sitiunt, neq; ad faciem DEI adspirant; sed potiùs Dæmoni tentanti obsecuti, *mittunt se deorsum* in præceps, atque in terram se abijciūt, non magnâ mole & pondere; sed puluere, hoc est, affectu rerum vilissimarum superati. Caue hanc Dæmonis fraudem, &, si magna reliquisti, vide, nè parua ita possideas, vt eorum puluere, & luto inficiaris, atque à Dei amplexu arcearis, aut illa te potiùs sui amore captum possideant; sed hoc potiùs age, vt possis verè dicere cum S. Petro: *Ecce nos reliquimus omnia*, tam magna scilicet, quàm parua. Matrem dolorosam tibi propone, quę pręter abdicationem terrenorum omnium, etiā Filium DEVM sibi tolli passa est, affectumque erga illum vicit, & deposuit, aut potiùs in per-

Ps. 41.

Gen. 7.

Matt. 4.

Matt. 19.

in perfectionem commutauit, vt initio huius capitis dictum est. Túne ad imaginem aliquã, aut quid simile, affectu adhærebis, cumque deponere, vt perfectionem secere, grauaberis, cùm illa se Christo, *Patris æterni imagine, & figura substantiæ eius* priuari sustinuerit? Rectiùs enimuerò facies, si sæpe tecum disquiras, sitné aliquid apud te, cui non rectè afficiaris; idque si deprehendas, continuò affectum illum, quin & rem ipsam, quoad fieri potest, & ratio suadet, abijcias. Solenne erat Patri Petro Fabro, viro è Societate nostra vitæ sanctimoniâ, & rebus pro Dei gloria gestis celebri, & Deiparæ inprimis studioso, quotannis omnibus se rebus, sibi ad vsum datis spoliare, nè quid fortasse affectionis earum alicui adhæreret. B. Aloysius, magnus itidem Beatæ Virginis cliens, sua etiam scripta, suasque lucubrationes, suópte ingenio elaboratas, ab se remouebat, & Superiori tradebat, quòd, cùm satis securus esset, nulli alteri extra DEVM rei se affici, hoc vnum vereretur, nè fortè huic (quod procliue esse solet) suo ingenij partui animus affigeretur.

Quintò, vt magis in hac virtute progrediaris, non tantùm non ama, aut quære aliquid habere amore inordinato; sed ama, & quære aliquid non habere, aut, quantum fas est, nihil habere, hoc est, ama defectum, & penuriam rerum, etiam sæpe necessariarum, incommoditatem item in victu, vestitu habitatione, VII.

tione, rebusque cæteris, idque Beatæ Virginis exemplo, quæ egestatem, inopiam & incommoda, quæ Christo Filio in eius Natiuitate, vita, passione & morte videbat in delicijs esse, ipsa quoque tenerè adamauit, & cum gaudio complexa est. Hoc idem egerunt, eius & Filij eius sectatores, quorum magnum in Societate nostra recensere possem catalogũ; vti & plurimi ex alijs Ordinibꝰ. B. Maria Magdalena de Pazzis dolebat, & intimè affligebatut, si ei omnia necessaria ad vsum in Religione suppeterent; si verò deessent, gaudebat, vt risum aliquando præ hilaritate tenere non posset.

VIII. Sextò. Neque solùm affectum tum depura, ac denuda à rebus terrenis, prout hactenus dictum est; sed ad imitationem Matris dolorosæ, quæ, vt suprà memoratum est, DEVM Filium suum, propter DEVM, sibi eripi passa est, etiam ijs te spoliari sine, quæ cælestes ac diuinæ sunt, si id maius DEI beneplacitum exigat, vt nè virtutes quidem, aliaque dona diuina habere velis, nisi secundùm maius DEI beneplacitum. Itaque si adhibito omni tuo conatu, ac studio (hoc enim necesse est fieri) virtutem, quam maximè velles, non consequaris, nè animo nimiùm angere, quod signum esset inordinati affectûs; sed in Dei voluntate acquiesce, quæ, si huius virtutis perfectionem tibi dare nolit, gratior tibi esse debet virtute, & dono omni creato; est enim

enim DEI voluntas, totius recti & perfectionis norma; certoque tibi persuade, magis te DEO placiturum cum hac resignatione, quãtumuis virtute desideratâ careas, quàm si eam acquireres, sed sine illa resignatione. Item, si, dum rebus pijs vacas, quibus in Dei amorem te inflammari sentis, charitas, aut obedientia cogat eas abrumpere, nè illis affectu ita insistas, vt ob id animo inordinatè commouearis, aut perturberis; sed libenter Deum, propter Deum, ad maiorem eius gustum desere: & redire quidem ad pia illa exercitia magno studio, vt te Deo magis coniungas, desideras sed non ita, vt te nimius illorum affectus ab eo peragendo, quod magis Deo gratum est, impediat. Multò autem minùs diuinorum solatiorum amore, atque affectu sic te teneri patiaris, vt, si illa subtrahantur, minùs in perfectionis via progrediare. Qua de re vide Achillem Gagliardi in Comp. perfectionis, breuiter quidem, sed accuratè ac neruosè hæc explicantem; & alios Authores.

CAPVT V.

Sensualitatis, & Amoris proprij abnegatio.

NOn tantùm peccata omnia, etiam minima, fuga & odio persequi, non tantùm rerum terrenarum, & aliarũ quarũlibet extra Deũ affectum, propter Deũ, abijcere; sed & nos I.

nob.s-

nobisipsis exuere debemus, vt recta & expedita ad perfectionem gradiamur viâ, vt est concors SS. Patrum, & Magistrorum spiritûs sententia. Duabus autem in rebus potissimū consistit hæc nostri abnegatio. Primò, vt sensualitati. Secundò, vt amori proprio renunciemus. Et quidem quoad abdicationem sensualitatis, nullum nobis potest esse clarius exemplar, quàm purissima Virgo Virginum; quæ omnis sensualis affectionis adeò fuit expers, vt nè Filium quidem suum Mater eo modo amauerit, quo suos aliæ Matres, id est, sensualiter, vt lib. 1. c. 1. §. 2. dictum est. Vnde dolor Maternus, quem sub Cruce sensit, longè alius fuit ab aliarum Matrum dolore, in filiorum funeribus, aut cædibus; quippe non ex simili, etiam naturalis Materni amoris radice ortus. Quin etiam verisimile mihi est, Sanctissimam illam Virginem nè à parentibus quidem suis sanctis Ioachimo & Anna, vel amari voluisse, vel amatam esse eo amore, qui sensualitatem redoleret: cuius rei aliquod indicium esse potest, quòd eam etiamnum trimulam ab se ablegarint, & tanquam rem sacram ac sanctam, nec nisi sacro, ac sancto amore prosequendam, templo, & DEO dicarint ac consecrarint. *Templo consecrata est*, inquit Nicephorus lib. 1. c. 7. *vbi, vt res diuina, intacta & sacrosancta in templi sanctiore loco, & in adytis ipsis viuebat.* Sed neque Filius eo illam amore, quo alij filij suas Matres, dilexit,
qui-

qui sensualitatis fæcibus solet esse permixtus: neque illa sic se diligi voluit. Quæ fortasse causa est, cur illam neque in nuptijs Canæ Galilææ, neque de Cruce nomine Matris, sed mulieris præsentem compellarit: & Matth. 12. cùm *Mater eius, & fratres starent foris, quærentes loqui ei,* idque à quodam illi esset nunciatum; *respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea; & qui sunt fratres mei?* volens significare, se erga suam Matrem, & cognatos non carnali, aut sensuali vllo affectu duci. Quanquàm, cùm se ordinariè *filium hominis* nominaret, parentem se illam agnoscere, & vt parentem obseruare, atque amare indicauit. De abnegatione sensualitatis in cibo & somno, non est, quòd multa dicamus. Sanctum potiùs Ambrosium audiamus, qui lib. 2. de Virginib. sic de Beata Virgine loquitur: *Quid exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiã: alterum vltra naturam superfuisse; alterum pæne ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora: hîc congeminati ieiunio dies. Et, si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumq; obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non priùs cupiditas, quàm necessitas fuit. Et tamen cùm quiesceret corpus, vigilaret animus,* &c. Iam verò sub cruce in Matre dolorosa inter tot dolores, & afflictiones, quis pòtuit esse sensualitati locus? quis item reliquo vitæ tempore, præsertim quo cum filio vixit, & deinceps, quam cũ illo

multis

multis exercitam ærumnis duxit? Quid enim Christi Natiuitas aliud, & stabulum illud, ac præsepe & frigus & egestas? quid Filij circumcisio? quid fuga in AEgyptum? quid Nazarethana commoratio? quid prædicatio Christi, in fame, & siti, in laboribus & fatigatione, in paupertate & rerum omnium defectu, alijsque incommodis? quid denique passio, ac mors? quarum illa rerum omnium consors, ac socia fuit, quàm proscriptionem sensualitatis omnis exiliumque docent?

II. In hoc itaque exemplar oculos fige, eoque te excita; atque anima ad perpetuum bellum sensualitati indicendum, vt nulla *in re* ab ea te vinci sinas, nunquam ei obsequaris, aut succumbas. Quare neque parentes, aut cognatos (quos Christus etiam odisse nos vult, si eius discipuli esse cupimus) inordinato amore, atque affectu; sed eo tantùm, quem Deus requirit, ama; multò verò magis affectum erga fœminas, quantumuis non impurum; præsertim si familiaritatis alicuius sit causa, aut nutrimentum, cane peius, & angue caue. Item erga pueros & iuuenes gratiosos & teneros; denique etiam erga corpus tuum, nè illud blandè & delicatè tractes, nè cibo, somno, alijsque commoditatibus, aut recreationibus, vltrà, quâm pura puta necessitas exigat, ex solo Dei, eoque maiore obsequio, ac beneplacito æstimata tractes, aut sagines. Sic enim corpus pascere esset, spretâ

Luc. 14.

Dei

Dei Patris cælestis, Deiparæque mensa, & diuinis dapibus, porcos pascere, & siliquis ventrem implere velle, vt mihi Corpus per anagramma aptè dici videatur Porcus. Præterea nè sensibus fræna laxes, eaque videre, audire, loqui velis, quæ cum sensualitate sunt coniuncta, aut ex illa oriuntur: nè odoribus non necessarijs pasci, nè corpus fricare, denudare, contra verecundiam (quæ sensualitatis hostis est) sine necessitate tangere; né domicilia, vestes, libros, aliáque, quæ vel ad supellectilem, vel ad vsum pertinent, nimis nitida, curiosa, vana, habere affectes; sed his potiùs contraria studiosè consecteris. Hoc est esse Christi crucifixi discipulam; hoc Matris dolorosæ Filium. De vitio Castitati opposito, [illegible] dicere, cùm illud nè nominari [illegible] Christianis velit Apostolus: & no-[illegible] dolorosæ, & purissimæ Virginis Filius.

Præter sensualitatem autem amor etiam proprius, qui & in cæteris rebus, & curâ corporis se prodit, oppugnandus, &, quantũ fieri potest, extinguendus nobis est; quippe diuini amoris hostis, & vitiorum omnium scaturigo; vnde à S. Dionysio *origo omnium iniquitatum*: à S. Anselmo in illud S. Pauli 2. ad Timoth. 3. *erunt homines seipsos amantes; Fons, ex quo manant vitiorum riui*: à S. Thoma Aquinate, in eundem S. Pauli locum, *Radix totius iniquitatis*, A Diuo Augustino li. 14. III.

de

de Ciuit. Dei c. 28. *architectus ciuitatis terrestris, quam ædificat, vsque ad contemptum Dei, oppositam ciuitati cælesti.* Eundem S. Dionysius vocat, *venenum charitatis*; additque, *minorationem istius detestandi amoris esse charitatis profectum & incrementum; meram verò praui improbiq; illius* (vt porro loquitur) *amoris eradicationem, esse charitatis perfectionem.* Vbi obséerua, sanctum hunc Patrem in sola, ac mera eradicatione amoris proprij profectum in amore Dei ponere, tam necessaria & æquabili consecutione, vt quantum ille diminuitur, tantum hic crescat; imò diminutio *ipsa*, atque extinctio illius sit re ipsa huius *incrementum*, atque perfectio. Vnde falluntur magnopere illi, qui alia ratione ad perfectum Dei amorem eniti contendunt, tametsi multa moliuntur, atque agunt. De quo sic loquitur Suso ser. 4. *Nimis prô dolor! hodie excæcati sunt homines, & multa facere volunt, varia quoque instituunt, ac moliuntur, perinde, quasi Deum ipsum nutrire velint, & hæc omnia non nisi ex seipsis, ex propria voluntate, cum vana sui complacentia, ex proprio sensu ac iudicio, & suâpte naturâ; sed hæc perfectiora non sunt, nec tam nostris conatibus, quàm nostri resignatione, mortificatione, perditione, abnegatione ad perfectionem peruenimus.*

IV. Hanc amoris proprij abnegationem Mater dolorosa vel isto ipso nomine innuit. Nā dolorosam esse, hoc est, Filij dilectissimi crucia-

cruciatibus, & morti interesse, est, si quis potuisset esse in illa sui amor, nece ac peremptione Filij peremisse. Nullus alioquin in illa amori proprio poterat esse locus, quæ tota continenter immenso Dei amore arsit, singulis momentis, amplioribus augmentis crescente, vt c.4.lib.1.est ostensum. Cæterùm, si etiam fingamus, eius capacem esse potuisse, certè filij mors, ac passio eum extinxisset. Quid enim illi poterat esse tam aduersum ac repugnans, quàm videre, Filium mori, & talia ac tanta pati, quæ creaturæ omnes excogitare poterant eius inclinationi magis dissentaneum, atque contrarium, quódque amori eius ægrius facere posset, quàm sic Filium interimi: quod tamen ipsa, Dei amore, promptè sufferebat. Imò verò tunc plus, quàm contra proprium amorem egit. Cùm enim Filium magis, quàm se amaret, imò filiũ amaret, se non amaret; hoc ipso, quòd Filij amorem excellentiori & altioris conditionis, summéq; Deifico Dei amori posthabebat, plus quàm sui amorem, Dei amori posthabuit; adeóque plus, quàm contra sui amorem pugnauit atque egit.

V. Quodsi Virgo Sanctissima, quæ peccati fomite carebat, & ob superuenientem, & se se perfectim superfundentem Spiritûs Sancti, diuinæque gratiæ plenitudinem atque abundantiam, nullum amori proprio vestigium relinquebat; neque indigebat, vt tam difficili modo, qualis fuit filij tam acerba mors, illi aduer-

aduersaretur, sic tamen est aduersata: quid tibi faciendum censes, quem singulis pæne momentis amor proprius oppugnat, & quoties oppugnat, toties ferè vincit? Qui & toties, tamque grauiter peccatis Deum offendisti, &, vt offendas, in procinctu semper es, cũ vel semel peccasse satis sit, non modò, vt nunquã te ames, sed etiam vt tui odio flagres, perpetuumque tibi bellum indicas. Ad quod odium nos Christus hortatur, si volumus eius esse discipuli, suóque exemplo nos vocat, ac manuducit; cùm enim infinito etiam internallo minùs, quàm Sanctissima Virgo, peccati esset capax; ita tamen in hoc mundo elegit inclementer atque aspere tractari, vt nemo alius, qui se quàm maximè odio habet, aut se ipse tractauit, aut tractari ab alijs voluit. Quod Christi, Beatissimæque Virginis exemplum imitari si renuas, cũ Christus ideo id tibi præbuerit, vt imiteris; næ tu nimis quàm peruersè, ac præpostere agis, qui sinis, vt ille odiosè tractetur, qui non id, sed longè aliud meretur; tu verò temetipsum odio non habeas, sed ames, qui & omni odio dignus es, & eo summopere indiges, tum vt peccatum euadas, quod, te odiendo, maximè efficies; tum vt ad perfectum Dei amorem peruenias, ad quem, nisi te tui amore exuas, peruenies nunquam.

VI. Quæres, quo pacto hoc tui odium, amorisque proprij abolitionem exercere debeas? Respondeo, vt nihil, quod tibi natura que

tuæ

turæ ac propensioni acceptum est iucundumque, admittas, nisi id velit Deus, solâ hoc eius voluntate inductus; nihil non admittas, quod eidem sit molestum, atque contrarium, nisi id nolit Deus. Sicut enim, cũ quis alium quempiã odit, negat illi & subtrahit, quod, volupe ei, vel optabile esse posset, neque vel tantillã oblectationẽ, commodúmve, quoad fieri potest, indulget, aut fauet: si quid verò molestiæ, vel incommodi inferre potest, aut aliunde illatũ videt, ex animo vult, & de eo gaudet; imò modos excogitat, quibus ei nocere, & molestus esse, maleque & velle, & facere posſit: pari ratione in nostri odio nobis procedendum est, subtrahẽdo nobis delectabilia, siue ad corporis & sensuũ voluptates; siue ad honorem, & plausũ, æstimationemque hominũ, siue ad cõmoditatem aliquã, vel propensionẽ naturalẽ spectent; molesta verò, & his cõtraria suggerendo, quantũ recta ratio iuxta Dei voluntatẽ permittit, aut suadet. Imò & subtiles, occultique modi excogitãdi sunt, vt in his nos persequamur. Nã quemadmodũ proprius amor admodũ vafer est, se suaque subtiliter, & occultè multis & miris modis quærendo, vt animaduertere possemus, si in nostros internos externosq; mot⁹, & affect⁹ diligẽter inquireremus, ita q perfectionis cupidi, studiosiq; sũt, subtiles è cõtrario & occultas, quas videlicet alij minimè notẽt, vias inueniũt, ad hos mot⁹ elidendos, & oppositis actib⁹ obtrũcandos. Optimũ

proinde documentum dat Madriliensis, idque valde commendat, tanquam vtilissimum ad sui dominium, & perfectionem acquirendam, vt in id continenter inuigiles (eo modo, quo c.2.n.6.& 7.dictum est) vt quotiescunque in te affectus aliquis, motúsve exoritur, confestim dispicias, sitné inclinationi tuæ, & amori proprio congruens? & hunc subitò repelle, contraque illum age, an: contrà tibi aliquid accidat, quod proprio amori displicet? (quod frequentissimè quolibet die contingere solet) siue id fiat ex causis naturalibus, siue ex hominum vel peruersitate, vel diuersitate morum, siue alio ex capite; & d mox *accepta*, atque ama. Habere autem in promptu debes rationes, & motiua, quibus voluntatem, quæ sine dubio difficultatem, præsertim principiò, in his experietur, impellas, ac pœne cogas: inter quæ præcipuum hoc erit, quòd, hoc pacto te odiendo, amorem proprium obteras ac tollas; hoc autem sublato, amori Dei locum atque aditum pares; imò verò si in gratiam *Dei* sic agas, DEVM oblectas, gustúmque ei præbes, qui eò maior erit, quò magis gustũ tuum abnegas; quia is est purus, & defæcatus Dei amor, cui nihil admiscetur amoris sui. Porrò quæ de abnegatione amoris proprij dicta sunt, intelligenda sunt etiam de abnegatione propriæ voluntatis, ac iudicij, vt, quantum fine incommodo, aut spirituali detrimento, & Dei offensa fieri potest, alterius te voluntati,

propter

propter Deum, accommodes, eius iudicio (præsertim si is sit superior) acquiescas. Hoc enim etiam ex inclinatione naturæ nostræ oritur, vt libēter iudicium nostrum sequamur, & vt res pro voluntate nostra eant: adeóque in hoc etiam nos abnegare debemus, cùm id quoque Deo sit gratissimum. Denique id conari debes, vt in omnibus te expropries, & nihil tibi de te relinquas, sicque totus, ac planè in Deum transeas, vt *tu iam non tu viuas, viuat verò in te Christus.* Gal. 2.

Caput VI.

Humilitas, & contemptûs sui desiderium.

I. Ex abnegatione amoris proprij, & sui odio emergunt virtutes omnes, præsertim humilitas, suique contemptus; & patientia; vel potiùs in illo continentur, aut pars quædam eius sunt. Nam, qui se odio habet, is profectò neque se æstimat, neque æstimari ab alijs cupit; sed potiùs & se contemnit, & contemni ab alijs gaudet? Et in hac æstimationis suæ fuga, suique contemptu consistit Humilitas, quam virtutem vt nos doceret suo exemplo Christus potissimùm, in hunc mundum venit, & crucem subijt, vt canit Ecclesia: *Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum Saluatorem nostrum carnem sumere, & crucē subire*

 fecisti,

fecisti, &c. Tanti erat, vt essemus humiles. Proximè hoc exemplum expressit, hancque do-
2. Reg. 29 ctrinam, quam ex Crucis *cathedra tenerrimus ille ligni vermiculus* (qui de seipso Psal. 21. dicit: *Ego autem vermis, & non homo, opprobriũ hominum, & abiectio plebis*) docuit, Mater dolorosa excepit, sicut proxima cruci illius, siue cathedræ illi stetis. Et multos quidem, tũ internos, tum externos humilitatis Beatæ Virginis actus, quos totâ vitâ exercuit, collegit Franciscus Arias *in libro de imitatione Beatæ Virginis*; vt: quòd parui, aut potiùs nihili se fe-
Luc. 1 cerit. Vnde ait: *Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ*; hoc est, vt interpretantur Toletus, & Maldonatus, cum Theoph. &c. vilitatem, & nihilum: quòd laudes suas, & æstimationem fugerit, indignam se illis reputans. Vnde *turbata est* in salutatione Angelica, *& cogitare cœpit, qualis esset ista salutatio*: quòd bona sua vni Deo adscripserit, & in eius solius laudem, ac gloriam retulerit, vt patet ex Cantico *Magnificat*; ob quæ bona, tanquam non sua, sed Dei, nulli se vnquam creaturæ prætulit, vt ait S. Mechtildis: quòd eadem Dei in se dona occultauerit. Vnde se Virginem concepisse, Deique Matrem esse, & Iosephum primò Sponsum suum eousque celauit, vt is eam cogitaret dimittere; & alios deinceps semper clàm habuit, ob quod Christus passim ab omnibus *putabatur filius Ioseph*, teste S. Luca c. 3. Et hæc quoque videtur esse causa, cur in

Euan-

Euangelijs, & Nouo testamento tam parũ de illa habeamus, cùm plurima & maxima scribi potuissent: quòd sibi alios prætulerit; inuento in tēplo filio, quem amiserat; *Ecce*, inquit, *pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* non Luc. 2. modò Iosephum appellat patrem, cùm illa sola Christo & Patris & Matris vice esset; sed etiam eum sibi præponit, & primo loco nominat: quin etiam quòd vltimo loco inter alios omnes se collocauerit, omnium vltima & [illegible]issima esse voluerit, potiores partes alijs deferendo: Sic Act. 1. inter *centum, & viginti, qui conuenerant*, vt expectarent Spiritum Sanctum, vltimò ponitur, quia eo loco ipsa se posuit, atque, vt loquitur S. Bernardus, *infra viduas, & pœnitentes, infra eam, de qua eiecta fuerant septem dæmonia, ineffabili se mansuetudine inclinauit*: quòd vilibus officijs se impenderit; quippe fabri coniunx labore manuum vnà cum illo se, filiumque suum sustentans, & pro paupere illo statu vilia ministeria obiens: quòd erga alios vilibus seruitijs se addixerit; vt cùm apud Elizabetham, cognatam suam, mansit mensibus ferè tribus: quòd cum pauperibus, & infimæ sortis hominibus libenter egerit; sic nuptijs Canæ Galilææ adfuit, apud homines inopes, quos in nuptiali conuiuio, quãtumuis moderatissimè biberetur, vinũ defecit; cũ Apostolis præterea, abiectæ in mundo conditionis hominibus; imò & cũ Maria Magdalena, pessimę olim,

olim, probrosissimæque famæ muliere, fuerit conuersata, quam Simon Pharisæus nè ad suos quidem pedes prostratam admisisset; imò quòd peccatricibus, & immundis fœminis cõnumerari voluerit, vt; in Purificatione, quam subijt, templo quadraginta diebus, quasi immunda esset, abstinens, Sacrificium, quod immundæ fœminæ ad sui purgationem offerre solebant, offerens, licèt à lege eximeretur; quòd denique se ab alijs pro vili, & contemptibili haberi æquo, libenti & hilari animo sustinuerit, vt Matth. 13. cùm incolæ oppidi Nazareth dicerent de Christo: *Nonne hic est fabri Filius? Nonné Mater eius dicitur* MARIA? vel, vt habet S. Marcus c. 6. *Nonné hic est faber, Filius MARIAE?* A Matre scilicet, quæ in eorum opinione pauper, vilis, & nullius existimationis erat, contemptum Christo Filio arcessebant. Item, cùm Filium Dei paritura à Bethleemitis hospitio excluderetur, *& non erat ei locus in diuersorio*, cogereturque ad stabulum diuertere, & in eo per quadraginta dies cum brutis commorari; quod illa cum gaudio fecit. Ad hæc exul, & inops in AEgypto per biennium inter barbaros impios, flagitiosos, quid, nisi contemptum, retulit? Verumenimuero licèt hæc magna sint eximiæ humilitatis exempla; maius tamen his, imò omnium maximum fuit, quòd in passione Filij, & sub cruce potissimùm, præbuit. Sicut
Philip. 3. enim Christus tunc maximè *humiliauit semetipsum,*

ipsum, quando *factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*; ita & Mater, quæ confusionem, contemptum, improperia, conuitia, maledicta, communia cum Filio habuit, cupideque pro illo & cum illo sustinuit. Lege quæ diximus lib.1.c.11.§.5. & alibi; nec enim est animus eadem iterum repetere. Porrò excellentissimus humilitatis actus est, contumelias libenter pati; præsertim si id fiat non ideo solùm, quia vilitati nostræ congruunt; sed si eas ferre velimus ex puro Dei amore, ita, vt si etiam vilitas nostra abesset, *eas* tamen cum gaudio propter Deum ad ipsius gustum, & beneplacitum sustineremus, nósque alijs modis omnibus humiliaremus: Quo modo Matrem dolorosam fuisse constitutam dubium non est.

Postulat sanè æquitas ipsa, & ratio, vt tam insigne humilitatis Dei Filij, & Dei Matris exemplum omni, quo possumus, studio ac contentione imitemur. Nam, si ij, quibus nihil in mundo pretiosius est ac præstantius, eligunt non æstimari, pro vilissimis haberi, imò omni contemptu, & ignominiâ affici; cuius tandem frontis erit, nos homunciones vilissimos, quibus nihil in mundo despicabilius est, æstimationem velle, & quærere, contemptum, & vilipensionem fugere? Illi dei donis, ac virtutibus pleni: nos *virtutis egentes, & cælestium inanes*, & Deo pœne vacui; &, si quid in nobis est, id per ipsos est, & nostrum nō est: II.

illi in supremo excelsitatis apice constituti, quippe Deus, & Dei Mater: nos infimam abiectionis abyssum demersi terræ vermiculi, aut qualem se ferebat, & profitebatur ipse Dauid, *pulices, & canes mortui*: illi purissimi, & peccati omnis exsortes; nos vasa iniquitatum, repleta spurcitiâ, & abominatione; adeoque vel ex hoc solo ad nihil aliud apta, quàm ad nauseam, contemptum, execrationem mouendum. Enimuero vel vni peccato omnis contemptus non sufficit: Et nos loco omnis contemptûs, nobis debiti, aliquid æstimationis nobis arrogemus, cùm illi sui contemptionem, & despicientiam studiosissimè consectentur? Quid fingi potest absurdius? Nolo de hac materia pluribus agere, quam passim Ascetici authores copiosè, & accuratè pertractant; vt: Iacobus Paz, Rodriquez & alij, qui plura motiua humilitatis, eiusdémque gradus & actus assignant, & fusè explicant; quos consule. Mihi satis fuerit, Matrem dolorosam, eiusque Filium crucifixum pro humilitatis idea tibi proposuisse, quorum in familiam adscribi si optes, vt sine dubio optas, si aliquo perfectionis desiderio teneris, *debes animo, & nō ex parte* (vt loquitur S. P. N. Ignatius Regulâ Summarij 11.) *abhorrere ab omnibus, quæ mundus* (Christo è diametro contrarius, adeoque fallaci ac falsâ opinione imbutus) *amat & amplectitur; & admittere & concupiscere totis*

totis viribus, quæ Christus Dominus noster; adde; & Mater dolorosa Domina nostra *amauit & amplexa est. Quemadmodum enim,* (pergit porrò S. Ignatius) *mundi homines ea, quæ mundi sunt, sequuntur diligunt, & quærunt magna cum diligentia, honores scilicet, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet; sic qui procedunt in spiritu, & seriò Christum Dominum nostrum,* Dominamque nostram eius Matrem *sequuntur; amant & ardenter exoptant, quæ ijs sunt omnino contraria, indui nimirum eadem veste, ac insignibus Domini sui, pro ipsius amore, ac reuerentia.* Et quænam tandem est hæc vestis? quæ insignia? Declarat S. Ignatius, cùm dicit: *Adeò, vt si sine offensione vlla diuinæ Maiestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, ac stulti haberi, & existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eò quod exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem, ac Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, eiúsque vestibus, & insignibus indui; quandoquidem illa ipse propter maiorem profectum nostrum spiritualem induit, nobísque exemplum dedit, vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, diuinâ gratiâ aspirante, eum imitari & sequi, cùm vera sit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.* Hactenus verba Regulæ, quibus & Christi, Matrisque dolorosæ spiritus, & celsissimæ perfectionis

forma, & vita planè Apostolica proponitur.
1. Cor. 4. De se enim Apostoli aiunt: *Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema, vsque adhuc.* Et: *Nos stulti propter Christum.* Et: *Maledicimur, & benedicimus, blasphemamur,* &c. Et: *Deus nos Apostolos nouissimos ostendit,* &c. Quanquam mirum, & planè huic oppositum videtur esse, quod de illis in spiritu vidit Regius vates: *Nimis*, inquit, *honorati*
Ps. 138. *sunt amici tui Deus.* Quomodo *nimis honorati*, si contemptissimini, *si mundi purgamenta*, si *omnium peripsema*, si *stulti*, si *maledicti*, si *blasphemati*, si *nouissimi*? Nimirum hic ipsissimus honor, imò nimius honor est, cum Sanctissima Matre, & Christo sui contemptum quærere, & obtinere, eius familiæ adscriptum eâdem cum illo veste, ac insignibus indui, illi in hoc similem esse, eius imbui spiritu, pro illo, & cum illo, *dignum haberi contumeliam pati.* De quo quia lib. 1. cap. 11. §. 4. & alibi prolixiùs egi, nihil hîc addo. Tu vide, vt idem cum Apostolis, cum Deipara, cum Christo sentias, eoque connitaris cum Dei gratia, vt non in ijs duntaxat actibus, quorum tibi Virgo per reliquam vitam exempla dedit (prout initio capitis est dictum) te sedulò exerceas, quòd facere omnino debes; sed etiam vt ad hoc humilitatis fastigium, cuius specimen sub Cruce Filij potissimùm præbuit, scandas; nẽpe, vt contemni (quod vtique tibi conuenit, qui aptissimum es diuersorium, in quo contemptus omnes, & vilipensiones hospitẽtur)

vt, inquam, contemni, & contumelias, ac iniurias ferre gaudeas. Ad quam perfectionem vt pertingas, pedetentim progredere.

Et primò quidem desiderium huius perfectæ humilitatis in te quàm ardentissimum excita, &, si nondum, ob tuam imbecillitatem, amas & ardenter exoptas, ac desideras contemni, stultus haberi, contumelias pati; saltē hoc desiderium, quàm potes ardentissimè, desidera, vt monet atque innuit suprà memoratus S. P. Ignatius in Exam. c. 4 §. 45. vbi ait: *Quodsi quis propter humanam nostram debilitatem, ac miseriam in se huiusmodi tam inflammata in Domino desideria non sentiret, interrogetur, an certè desiderium in se sentiat huiusmodi desideria sentiendi.* III.

Secundò. In minoribus te exerce, vt ad maiora peruenias. Itaque in hoc diligenter incūbe, vt cùm primùm aliqua tibi suboritur titillatio, & motus vanæ tui æstimationis & cōplacentiæ, aut gloriolæ, honorisvé cupiditas; statim actum displicentiæ elicias, tanquam rei, quæ Christi, & Beatæ Virginis spiritui aduersa est, & simul te contemnas, ab alijsque contemni appetas. Sin' verò (quod in communi vita frequentissimum est) aliquid fiat, quod tuæ existimationi aduersari videatur, per quod pudoris aliquid & verecundiæ cōtrahas, aut aliâ ratione; vilis, ignarus, rerum non intelligens, exiguæ virtutis, defectu aliquo notatus, ineptus ad aliquid obeundum, IV.

alijs posthabitus, in re aliqua reprehensus, aut culpatus, asperiore verbo perstrictus, & denique talis appareas, vt coram alijs pudeas, aut parui æstimeris, tum occasionem te nactum arbitrêre, Christum & Beatissimam Virginem imitandi, eaque, quæ nunc dicta sunt, & alia similia, libenter accepta; imò & quantùm potes, cum gaudio. Plus in hoc documento ad perfectionem situm est, quàm primâ fronte videatur, miréque animam disponit ad vberiora Dei dona, vt experiêre, si practices.

V. Tertiò. Si quid sic iam in rebus paruis exercitato continget, quo supra communē modum grauiore aliquâ contumeliâ, iniuriâ, despectu, afficiaris; tum magis etiam vires intende, cogitaque, te per hoc propiùs in Christi, & Deiparæ familiam cooptari, adeóque ab ijs, qui tibi sunt iniurij (quos ob id quàm potes tenerrimè ama) ingens tibi beneficium fieri, vt Christi vestibus, & insignibus induaris. Cæterùm, si ob naturæ repugnantiam nondum iniurias acceptare potes gaudens, saltem accepta volens, Christúmque, ac Deiparam inuoca, vt tibi pro illis, & cum illis certanti auxilio sint, cùm id & ad Christi gloriam spectet, & sine illo perfici nequeat. Refert Cassianus, senem quendam, cùm apud Alexandriam turbis infidelium circumfusus, maledictis & iniurijs vrgeretur, eique à subsannantibus diceretur, quid

mira-

miraculi Christus, quem colebat, fecisset? respondisse: *Vt his, & aliis maioribus, si intuleritis, non mouear iniurijs.* Sunt autem hæ sui victoriæ, in rebus, existimationi nostræ multùm contrarijs, vel etiam vnicâ, si heroica sit, insignis ad eximiam sanctitatem dispositio. cuius rei multa, & illustria habemus exẽpla, tum in alijs ordinibus, tum in Societate nostra. P. Balthasar Aluarez, cùm in Congregatione Prouinciali palàm, coram præcipuis totius Prouinciæ Patribus, falsò accusatus, traductusque esset, & obiecta facillimè diluere posset; dubius primùm, quid ageret, quòd ex vna parte, nisi se tueretur, videretur sibi obicem ponere diuinæ gloriæ, si, ob malam de se opinionem, ab officijs, in quibus eam procurare, promouereque posset, arceretur; tandem, ex cuiusdã Patris consilio, se vicit, & tacendum sibi, hancque ignominiam subeundam conclusit: cui Patri deinceps per totam vitam, ob tam vtile consilium gratus extitit, ex quo tam multa, & præclara in se Dei dona dimanassent; his enim postea ita abundauit, ad eamque perfectionem peruenit, vt, teste S. Theresia, in Ecclesia militante, tunc temporis, eo nemo esset sanctior. Neque verò mala de illo, tunc cõcepta, opinio eum ab officijs impediuit; omnia enim summa, quæ à quopiam in Prouincia geri possunt, gessit, Deo ostendere volente, vanos esse timores, quos in hoc genere aliqui

conci-

concipiunt, eosque suæ immortificationi prætexunt. Imò verò, plerumque Deus eos, qui in eius gratiam, & amorem tales sui contemptus, atque iniurias oblatas libenter tolerant, ad illa ipsa promouet atque euehit, à quibus videbantur impediri. Sic Patriarcham Iosephum per odia, & insectationes fratrum, & venditionem in AEgyptum ad Principatum AEgypti promouit, quem adeptus non fuisset, nisi fratrum odia & venditio, quâ Principatum impedire volebant, præcessisset; neque illam, quâ deinde egregiè vsus est, occasionem propagandæ diuinæ gloriæ habuisset, *vt erudiret Principes* AEgypti, *sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret*, psal. 104. Et verò, vt quis gloriam Dei promouere possit, id à Deo est, qui hanc gratiam dabit se in eius gustum libenter abijcientibus, & contemptum sui quærentibus. Neque enim humano modo ista æstimanda sunt.

VI. Quartò, Plurimùm ad perfectionem iuuat, non tantùm oblatas huiuscemodi occasiones suæ confusionis, contemptûs, ignominiæ, acceptare libenter, &, cum gratia Dei, quam sæpe rite dispositis communicare solet, etiam gaudenter; sed etiam easdem quærere, & consectari, præsertim si id fiat cum scitu, & approbatione Patris Spiritualis, vel debita cum prudentia. Hoc P. Colnagus eximiæ suæ sanctitatis fundamentum posuit, cùm Neapoli, in re, existimationi suæ, sibique valde contraria,

publicè

publicè *susceptâ*, ob quam pro stulto habitus est, egregiè se vicit, & subitò ingentibus donis cælestibus affatim, abundeque est cumulatus. Pleni talibus exemplis sunt Annales Societatis nostræ, adeò, vt modus nimio ardori ponendus esset, vt apparet ex Epistola S.P.N. Ignatij ad Patres Fratresque, qui erant in Hispania, in qua cùm laudet in illis *Sanctas* (sic enim appellat) *insaniendi rationes*; tamen, qui, dante Deo, *suæ iam voluntatis, & amoris proprij victores euaserunt*, satius esse ait, vt se, præsertim ductu obedientiæ, ad normam, moderationemque discretionis componant; eâ enim tunc illi indigebant, qui extra eius metas nimio feruore ferri videbantur. Et sanè tam optabilis, & pretiosa debet nobis esse cum Christo, & Virgine eius Matre in nostri contemptu conformitas, vt non tantùm, cùm se offert, sit acceptanda; sed etiam vltro quærenda, vbi vbi inueniri potest; sicut res pretiosas mundani non solùm acceptant; sed etiam quærunt.

CAPVT VII.

Patiendi sitis, & corporis afflictatio.

SIcut sui contemptus, & humilitas ex odio sui nascitur, aut eius pars quædam est; ita & desiderium multa aspera patiendi, corporisque afflictatio. Qui enim, vt aliàs dixi, aliquem odit; inclementer habet, & aduersa, I.

acerba-

acerbaque illi cupit. Vnde si nos, corpusque nostrum plùs, quàm necesse est, foueamus, & delicatè tractemus, si pati detrectemus; id indè prouenit, quia nos plùs, quā satis est, amamus, nec, vt par est, odimus. Sed enim præter odium sui, alia præterea radix est, eáque perfectior, ex qua sitis patiendi, & in se, suúmque corpus durities, ac sæuitia pullulat; & est Christi amor; qui sicut suum erga nos amorem patiendo maximé declarauit, ita nos nostrum erga illum non meliùs declarare possumus, vt ostendi lib. 1. cap. 10. Vnde Christi amatores, maximi quoque crucis amatores semper fuerunt. Et meritò; *nec enim id magnum amoris signum est, si ad conuiuium ab amico inuitatus libenter compareas; sed si duram cum illo sortem subeas, si eius ærumnarum, aduersorúmque casuum socius, & particeps esse velis.* Sed & Christus, quos maximè amat, in suorum partem laborum, afflictionúmque vocat, vt eâdem cum illo gradiantur viâ, eodémque modo, quo *ille*, Dei gloriam procurent, atque amplificēt. Atque ita crux est, quæ nos Christo connectit, aut, vt phrasi Apostoli vtar, *configit*. Neque

Gal. 2.

verò opus est, vt in proponendo pro idea huius virtutis, Matris dolorosæ exemplo, quod amplissimum est, hîc multi simus: fecimus enim id satis copiosè lib. 1. cap. illo 10. & 11. vbi ostendimus, quomodo Deipara Christi patientis amori, similem amorem, patiendo,

reddi-

reddiderit; & quomodo Christus patiens, ac *Vir dolorum* suos Matri dolores, ex maximo erga illam charitatis affectu, præ cæteris omnibus communicarit, idque illa tanquam ingens beneuolentiæ, beneficentiæque pignus & agnouerit, & auidissimè acceptarit. Vnde ad ea te capita, pie lector, remittimus. hîc tantùm modos & gradus proponemus, in quibus eam, eiusque Filium in hoc puncto possis imitari; qui ferè iidem sunt, quos superiore capite pro acquisitione humilitatis attulimus.

II. *Primus est*: Magni æstimare & summo in pretio habere, pati aliquid, siue pro Christo, si ab eius inimicis patiendi occasio subministretur; siue propter Christum, si ea aliunde offeratur, & in gratiam eius acceptetur. Quò enim magis rem aliquam æstimamus, eò proniùs illi afficimur. Multa autem sunt argumenta, ex quibus hæc æstimatio concipiatur; quæ quia alibi tractata sunt, hîc omitto. Et quis est, qui non beatos prædicet Martyres, qui, vt canit Ecclesia; *gloriosum sanguinem pro Domino fuderunt, amauerunt CHRISTVM in vita sua, & ideo coronas triumphales meruerunt*; quorum idcirco festiuitates celebrat eadem Ecclesia, vt nos inducat, ad magni faciendam pro CHRISTO passionem, quam etiam in CHRISTO beatam appellat in Missæ Canone, dum ait: *Vnde & memores, Domine,*

Dominæ, nos serui tui &c. *tam beatæ passionis*, &c. sicque affectum nostrum ad eandem excitet. Nam, vt ait S. August. serm. 47. de Sanctis, *solemnitates Martyrum exhortationes Martyriorum sunt; vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Neque verò minùs admirabilem, & gloriosam fecit Matrem dolorosam, & super alios Sanctos extulit mare dolorum & acerbitatum, quod pro Dei amore sub Filij cruce sustinuit, quàm alia, quæ in illa miramur, & prædicamus; vt ei aptè posit accommodari illud, quod de arca Noë in diluuio dicit Sacra Scriptura: *Aquæ*
Gen. 7. (tribulationum) *eleuauerunt arcam* (*Deiparam*) *in sublime super omnes montes*, alios scilicet Sanctos. B. Maria Magdalena de Pazzis vt lib. 1. c. 12. §. 2. dixi indignam se reputabat, quæ aliquid pateretur, siue à domesticis in Monasterio, siue ab externis. Tanti fecit, pro Deo pati!

III. Secundus. Si ob naturæ horrorem hæc passio in alijs tibi quidem æstimanda videatur, te tamen terreat, ac mentem concutiat; hoc saltem conare, vt, si inflammata patiendi desideria non sentis, saltem sentias horum desideriorum desideria. Paulatim enim mens, cùm quid desiderare desiderat, in idipsum desiderio accenditur (præsertim si eximium, & præstans esse intelligat) naturæ horrore superato.

IV. Tertiò. Multùm refert, rerum, nō magnopere

pere affligentium, frequentissimè tamen occurrentium, patiendi occasiones non negligere; sed eas auidè arripere; v. g. pulicũ morsus, aut muscarum non prohibere, quod singulariter memoratur de P. Bernardino Realino. Societatis IESV eximio Beatæ Virginis cultore: in stando, sedendo, alioque corporis situ incommoditates quærere; cùm caro prurit, non eam, vbi prurit, sed aliam corporis partem fricare cum aliqua molestia; aëris inclementiam tolerare, vt, frigus, æstum, &c. cũ appetitus naturalis in obiectum delectabile fertur, id ei negare, & oppositum aliquid, idque insuaue, tribuere. S. Carolus Borromæus etiam in summis æstatis caloribus, & siti non bibebat, & his similia. Hoc medio B. Aloysius ad maximum mortificationis gradum, appetitionumque suarum dominium, & eximiam sanctitatem peruenit. quod de multis etiam alijs legimus. Imò hoc medium ordinariè ad perfectionem efficacius est, quàm, eo neglecto, magnas identidẽ corporis afflictationes subire. Sunt enim aliqui, qui se acriter aliquãdo diuerberant; qui tamen pulicis morsum sine impatientia ferre non possunt; imò si eis sui diuerberandi copia, & potestas negetur, ægrè id ferunt; ijdem tamen in rebus paruis quibusdam se vincere, ac mortificare in animum inducere nõ possunt: hi, quid sit, se mortificare, non satis intelligunt; id enim est, prauæ naturæ inclinationi resistere, &, quod illa horret

horret, ei tribuere. Quodsi magis horreas morsum pulicis, quàm flagellum, magis vtique te mortificas, illum, quàm hoc tolerando: sin morsum pulicis horreas quidem, sed non magis, quàm flagellum, tolerare tamen nolis, neque nisi in ijs, quæ, iudicio tuo, tibi maiora videntur, te mortificare; multam tibi patiendi materiam subtrahis, sæpe Deum gustu defraudas, quem ex mortificationibus etiam minoribus capit, qui animum potiùs, & voluntatem, quàm rem aspicit, ingentique, & simul non admodum difficili ad perfectionem adiumento te priuas. Adde, quòd ea, quæ extrinsecùs nobis ex *Dei dispositione*, sine nostra electione, molesta accidant, qualia sunt parua illa, quæ paulò antè enumeraui, ex eo capite Deo sunt, si libenter toleremus, gratiora, quòd minùs de nostra propria voluntate admixtum habent, quàm ea, quę ex nostra electione, quantumuis grauiora, suscipimus. Sicut enim opus, quod fit ex obedientia, hoc ipso præcisè titulo *Deo* magis placet, quàm quod nos ipsi eligimus; ita afflictiones, quas ille nobis immittit, aut offert, libenter pro illo toleratæ, cæteris paribus, gratiores illi sunt, quàm aliæ, nostro arbitrio susceptæ.

V. Quartò. *Sic comparatus*, & desiderio patiendi accensus, offer te, Deo fretus, ad maiores patiendi occasiones; præsertim si aliquam diuinæ voluntatis habeas significationem, &

magis

magis adhuc, si salutis animarum & diuinæ gloriæ zelo ducaris, ad eamque re ipsâ promouendam te accingas; neque enim id efficies, aut Dei laudem magnopere annuntiabis, nisi multa & magna pati volendo, & ordinariè etiam patiendo; iuxta illud Psal. 91. *Bene patientes erunt, vt annuntient.* Neque satis est viris Apostolicis, vt ad ardua & grauia sufferenda sint indifferentes, ac parati, si fortè eueniant, nisi etiam illa appetant, & insatiabiliter sitiant. S. Xauerius Indiarum Apostolus ibi nolebat esse, vbi nullis insectationibus exerceretur; quibus si aliquamdiu carebat, videbatur sibi non fideliter militare. De alijs Societatis nostræ hominibus ita refert Orlandinus in p. 1. hist. Societatis: *Eam quisque Prouinciam* (arduis enim Missionibus pro animarum lucris se offerebant) *pro se ambiebat, qua tolerandarum pro CHRISTO ærumnarum esca, atque illecebra condiretur.* En ærumnas condimentum, en escam, atque illecebram, quæ spiritualem appetitum, auiditatemque proritaret, vt, vbi illæ maiores essent, eò auidiùs ferretur. Ita Mater dolorosa, stans iuxta crucem Filij, Martyrij sitientissima, sponte se persecutoribus ad illud offerebat; vt dixi lib. 1. c. 11. §. 5. Dixi: *fretus DEO, te offer ad maiores patiendi occasiones.* Cùm enim hæc ardens patiẽdi aspera & grauia pro Deo cupiditas vim naturæ
superet,

superet, imò ei contraria sit; non nisi à DEO sperari potest. Cæterùm quibus ille administris ad magna vtitur, hos etiam magnis afflictionibus efficit fortiores, eiusque proinde virtuti ac gratiæ tribuendum est, quando aliquid toleratu difficile aut toleras, aut tolerare vis. Vnde cum Dei ope facilius tibi est, vt quoduis Martyrium subeas, aut illi te offeras, quàm vt ex te pro Deo minimam molestiolam ferre velis; imò hoc non potes, illud potes; nam ex te nihil potes, cum Deo potes omnia.

VI. Quintò. Tunc maximè Dei auxilio nitendum est, cùm præsens adest grauis aliqua afflictio, aut persecutio; præsertim si hæc in specie, quæ derepente accidit, præcogitata nõ fuerit, & hominis partem inferiorem vehementer premat. Quanquam præter Dei opem imploratam, arte etiam aliquâ in hoc casu vtendum esse, monet Madriliensis: nempe vt, cùm vehemens est persecutionis sensus, ex dicto, factóve alterius, aut alia ex causa; non ipsam persecutionem, eiusque acerbitatem tunc menti obijciamus, in eaque voluenda hæreamus (nisi fortè diuinæ gratiæ, & auxilij cælestis abundantia id quoque facile reddat) sed vt potiùs tunc cogitationem ab ea, quoad eius fieri potest, abducamus, & interim consideremus, quàm præstans res sit amor Dei; quã dignus sit Christus omni obsequio, & amore; quàm meritò redamandus, qui tantopere nos

amauit:

amauit: vt voluntas diuini amoris cupiditate, imò ipso Christi amore accendatur, & tum demum sic accensa inclinanda est ad persecutionem, veluti obliuioni priùs traditam, acceptandã, quin & tenerè amplectendam, tanquam ad obtinendum, & declarandum amorem erga Christum necessariam, aut opportunam, vt similem eius amori amorem, patiendo, reddamus. Hoc Dei, & Christi amore Virgo inflammata, afflictiones ac dolores, quantumuis acerrimos, sub cruce non modò superauit; sed & libenter tulit.

VII. *Sextò*. Crescente virtute, & patiendi ardore, non sis contentus ijs, quantumuis grauibus, quæ pateris; sed Deo magis, magisque fretus, grauiora cupias. S. Xauerius, cùm ei, velut in scena, diuinitus ob oculos posita fuisset multiplicium, & maximarum ærumnarum ingens vis, quas Dei causa subiturus erat, non modò ex horrido illo conspectu oculos non retorsit; sed auiditatem ad maiora, & plura subeunda magis exacuit, exclamauitque ter ardenti cum affectu: *Amplius! amplius! amplius!* Optabiliores nempe illi erant ærumnæ pro Christo maiores semper ac maiores, quàm diuina solatia. Nam de his dixit: *Satis est, Domine, satis est*. de illis; *amplius! amplius! amplius!* Quin etiamnum in cælo pati optaret, ac cuperet, vt ipsemet, Patri Mastrillo apparens, asseruit, nisi statûs illius conditio ex Dei voluntate obstaret. Adeò excellens &

optabilis res est, pro Deo plura semper & plura pati, eoque amorem nostrum, maximè patiendo, testari, & Beatæ Virgini, quæ more stationarij militis & ad vexillum Crucis stabat, illud dicere: *Iuxta crucem tecum stare, te libenter sociare, in planctu*, in ærumnis, in afflictionibus *desidero*; illud ardẽter petere: *Tui nati vulnerati, tam dignati pro me pati, pœnas mecum diuide*, vt ei crucifixo magis semper ac magis conformer.

Huc pertinet, cùm in crucibus nostris aduertimus aliquid, vnde illę augeantur, nisi occurramus, non occurrere, aut impedire, si aliunde nihil incommodi, quoad maiorẽ *diuinam* gloriam, oriatur, vt v.g. cũ quis alius nostri curã videtur velle suscipere, & nobis leuamento esse, cùm tamen videamus, id fore crucis nostræ augmentum. Sic enim amor proprius egregiè domatur, & amor in Deum non minùs declaratur. Exemplũ habemus in Christo, quem cùm Pilatus velle videretur cruci eripere, adhibitis medijs, ad maximam Christi ignominiam, & dolores spectantibus, qualia erant: comparatio cum Barabba latrone, dirissima flagellatio, spinea coronatio, dedecoris, & doloris plenissima; quamuis sciret, Pilatum per hæc nihil effecturum, sed se nihilominus crucifigendum, nihil obstitit, sed probra, & dolores sibi augeri permisit. Sic & Mater dolorosa, cùm sciret, mærorẽ suum, ac dolorem eò magis auctum iri, quò filio

patienti

patienti esset vicinior; voluit tamen esse vicinissima.

VIII. Septimò In morbis præcipuè exercenda per suos gradus est hæc patientiæ virtus, præsertim si atroces sint, & admodum molesti, non præoptando alios potiùs morbos, aut ærumnas (vt quidã solent ex amore proprio, & fuga crucis) præ his, quas in hac ægritudine pateris. Cùm enim obiectum patiẽtiæ sint ea, quæ nobis sunt aduersa & contraria; si hæc, quæ nunc aduersa pateris, nolis, & alia velis, videris velle esse patiens extra obiectum patientiæ. Cogita, tibi propinatum hunc, & non alium calicem à Christo, adeoque, si quid in contrariũ occurrat, dic: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Io. 18. Si morbus, aut dolor inualescat, vt illũ ægre ferre possis, aut aliorum incommodorum tibi sit occasio, nè procede vltra illa verba: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste;* cum eo addito: *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat:* alias autem voces, & signa indecora nè ede, memor exempli Sanctissimæ Virginis, quæ in summis sub Cruce doloribus modestissimè, decentissimeque, sine eiulatu & clamore, sine vllo indecenti gestu, stetit. Quin etiam, assuesce gratijs Deo agẽdis pro immisso morbo, alijsque patientiæ occasionibus, quales multæ in morbis sunt; vt: in sumẽdis potionibus amaris, curationibus molestis &c. Et quantum per gratiam Dei potes, ad maiores

te offer, vultúque, quantum potes, hilaritatē præfer. Ita B. Felix Capuccinus in acerbissimis cholicæ doloribus, nè remedium quidem sibi adhiberi cupiebat, aut eos, quantumuis minimo negotio posset, impedire, ob Christi amorem. Ita Alphonsus Rodriquez, ex Societate nostra, in ijsdem doloribus, quos sibi augeri optabat, hoc solùm dicebat: *IESVS, MARIA, dulcissimi amores mei, patiar pro vobis; moriar pro vobis.* Ita P. Hoffæus, in multis, ijsque acutissimis cruciatibus, quasi in alieno corpore pateretur, etiam iocari est solitus. Ita S. Dominicus, cùm in grauissimo morbo intolerabiles pœne dolores pateretur, rogatus ab Infirmario, ex pia, vt videbatur, condolentia, leuamen vt aliquod tam diro cruciatui à Deo exposceret, indignabundus respondit: *Equidem nisi id, quod dicis, simplicitati tuæ, ignorantiæq; adscriberem; protinus te à me amandarem.* Surrexit itaque è lectulo, seque in terram abijciens, manibus, oculisque in cælum sublatis: *Gratias,* inquit, *tibi, Domine, toto pectore ago, pro omni eo, quod placuit tibi dare mihi, vt paterer. Da præterea centum morbos, da mille dolores. Tuæ enim misericordiæ confido, tantundem te mihi daturum virium & patientiæ, vt hæc ad tuum beneplacitum sufferam.* Nimirum sicut nos libenter & auidè, atque adeò gratanter acceptamus, si quis nobis particulam ex vera, & materiali Christi Cruce pro lipsanotheca donet; ita Sancti viri gaude-

bant,

bant, sibi partem ex moerali Christi, & Beatissimæ Virginis Cruce dari, quæ illâ melior est; quippe quæ nos iucunda Deo obiecta reddit, Christo eiúsque Matri similes, eorúmque *passionibus communicantes.* Ad hæc, cùm tota æternitate, si in cælo simus, nihil simus pro Christo passuri, qui tanta pro nobis passus est, & tamen totà æternitate continuis, & innumeris beneficijs ab eo cumulandi; patiamur ergo nunc, seu morbos, seu quæcunque alia, quantum fas est; præsertim cùm *hoc momentaneum, & leue tribulationis nostræ æternū gloriæ pondus operetur in cælo,* faciléque, vt gratiâ & gloriâ aucti, magis Deum perpetuò amemus & laudemus, qui maior Dei amor, & laus potior nobis esse debet, quàm nostra per se beatitudo. Et sanè, si de beatitudine sit sermo, hac videtur viator felicitate superare comprehēsorem, quòd illi amorem erga Deum tolerandis aduersis, & naturæ contrarijs, declarare licet, &, si maxima & plurima passus interrogetur; quem modum, quem finem patiendi habiturus sit, aut velit? respondere potest: Cù Dei dignitatem obsequij genere æquauero, id est, nunquam, ad mortem vsque. 2. Cor. 4.

IX. Octauo. Si sanus sis, adeoque neque morbus impediat, neque alia, è quibus amplificatio diuinę gloriæ pendet; sponte túte tibi corporis afflictationes aliquas pro ratione vitiū, & potissimùm ex directione Patris Spiritualis

assume. Virgo Sanctissima, etsi corpus spiritui habuit obsequentissimum, nec vllum vnquam inordinatum affectum, aut partis inferioris contradictionem sensit, neque satisfactione vllâ opus habuit; vsa tamen est corporis mortificationibus, vt putat Suarez cum S. Thoma 3.p.q.27.a.3. & D. Bonauentura in 3. dist.3.q.2.puta:ieiunijs, vigilijs, &c. quibus *viduam* illam *filiam Phanuel*, de qua Lucæ 2. aliasque fœminas sanctas superauit; idque tum studio imitandi Filium suum, multa pro nobis passum; tum vt corpus simul, & animam Deo sacrificaret; tum vt media omnia adhiberet, quibus in amore Dei proficeret, prout Spiritus Sanctus illi suggerebat, & ad maiorem Dei gloriam fore, ipsa, diuinâ sapientiâ plenissima, censebat. Quò pertinet illud, quod refert S. Bonauentura de vita Christi c. 3. nempe apparuisse aliquando Deiparam cuidam Dei famulæ, eique suas, quas ipsa quoque pertulerit, afflictiones enarrasse, & sic denique sermonem conclusisse: *Pro firmo scias, quòd nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem, & corporis afflictionem.* Sed nec desunt authores, qui dicant, Christum ipsum, præter ieiunia, vigilias, in orando pernoctationes, humicubationes, quas in ipsis quoque prædicandi Euangelij laboribus adhibebat, & alias macerationes, etiam cilicio, & flagris carnem suam sanctissimam afflixisse; idque Suarez tom. 2.

d.28.

d.28.s.3. nec indecens, nec incredibile esse asserit. Quodsi Christus, & sanctissima eius Mater hæc fecerunt, quid nobis faciendum erit, in quibus *concupiscentiæ militant aduersus animam, quam corpus quod corrumpitur, aggrauat, ac deprimit*, eiusque cura à rebus cælestibus auocat, atque abstrahit? *Nunquam enim*, inquit Richardus Victorinus de exterminatione mali c.26. *humanus affectus ad æternitatis desiderium perfectè inflammatur, nunquam humanus intellectus ad æternorum contemplationem plenè acuitur, nisi carnis cura, etiam in rebus licitis, multúmque necessarijs, frequenter, fortitérque repellatur*. &, vt aiebat S. Franciscus; *caro sine sale putrescit*. Quodsi etiam carnis nullam rebellionem sentiremus; tamen per eius mortificationem tenerescit animus, estque ad diuinos sensus percipiendos aptior, vt experientia constat. Itaque castigatio corporis est perfectionis instrumentum, ad quam obtinendam, vt ait Paz tom.3. lib. 3. p.1.c.7. med.1. *stultum erit, alia instrumenta, præcipuè contraria quærere, & per corporis indulgentiam ad puritatem mentis festinare*. Denique si aliud nihil esset, vel solum Beatæ Virginis, & magis Christi exemplum ad id nos mouere debet, quemadmodum mouit Apostolos, omnesq; Sanctos viros, vt *semper mortificationem IESV in corpore nostro circumferamus, vt & vita IESV* (non sanè mollis & delicata, sed dura & aspera) *manifestetur in corporibus nostris*.

1. Pet. 2.
Sap. 9.
2. Cor. 4

X. Nonò. Non solùm hæc patiendi alacritas adhibenda est in rebus, quæ corpus & vitam mortalem concernunt; sed etiam in ijs, quæ sunt spiritûs, vt cùm animi desolationes, amaritudines, tentationes, aliæque afflictiones accidunt; quas sæpe durius est ferre, quàm corporeos dolores. Hîc quoque imitanda est Deipara dolorosa, quæ desolatione & amaritudine (subtractis à Deo consolationibus) sub Cruce plena erat; & Christus ipse, cuius *anima tristis fuit vsque ad* ipsam *mortem*, cui
Matt. 22. proximus, clamauit: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.*

CAPVT VIII.

Mansuetudo.

I. DVrities in seipsum, patiendique sitis, debet adiunctam habere erga alios lenitatem, siue mansuetudinem, vt, quò asperiùs agimus nobiscum, eò leniùs agamus cum alijs. In hac virtute Mater dolorosa summè excelluit: Vnde appellatur *Virgo singularis, inter omnes mitis*; & præcipuè sub Cruce, vbi, cùm impij nihil possent illi ægriùs, acerbiúsque facere, quàm tam indignis modis Filium tractare, ac perimere; quod illa plùs sensit, quàm si sibi mille vitæ eriperentur, mille irrogarentur supplicia; nullum tamen vel minimum indignationis sensum ostendit, aut in animo cõtinuit. Non illa ignem cum Elia cælo deuocauit,

dit, non vindictam à Deo popoſcit, non cum inimicis expoſtulauit; quin potius malefactoribus bene & voluit, & precata eſt, pro ijsque Deum orauit. Vnde eius quoque precibus attribuendum eſt, quòd & latro, priùs Christi conuitiator, & plurimi alij, qui deinde duabus Petri concionibus conuerſi ſunt, eius, & Filij persecutores ſalutem ſint conſecuti. O quàm eximia hæc fuit manſuetudo! quàm inſignis ſui victoria! quàm gratum Deo holocauſtum! quàm heroicus, & præſtans actus! *Magna eſt virtus*, inquit S. Iſidorus, lib. 2. Soliloq. *ſi non lædas eum, à quo læſus es: magna eſt fortitudo, ſi etiam læſus remittas: magna eſt gloria, ſi, cui potuiſti nocere, parcas.* Quid igitur erit, ſi, qui maximè tibi malefecit, ei maximè bene & velis & facias? Refert Ioannes Oſorius tom. 1. Concion. Feria 6. poſt Cineres, Matronam quandam doloribus Beatæ Virginis recolendis deditam ac deuotam, vnici Filij interfectorem, cùm ad eius ædes profugiſſet, nō modò tutatam eſſe, & Iudicum vi, ac perueſtigationi ſubduxiſſe; ſed etiam pecuniâ, equo, veſtibus, vt effugeret, iuuiſſe; quæ manſuetudo, ac benignitas, animique pro Dei amore generoſitas, & ſui victoria tantopere Deo placuit, vt filium è Purgatorio (quod diuturnum & acre ſubiturus erat) confeſtim liberaret, prout ipſe, Matri apparens, gratus affirmauit. S. Ioannes Gualbertus, cui dies feſtus 12. Iulij agitur, ex eo, quòd obuio parricidæ, in cuius *Act. 2.*

necem iam gladium strinxerat, veniā per Christum crucifixū petenti ignouerit; ita sibi Christum deuinxit, vt is ei, in templum ingresso, in icone capite annuēs, gratias habuerit; & verò etiam retulerit, ad eximiam euehendo sanctitatem. Quantò æquiùs est credere, datū fuisse Beatæ Virginis stupendæ mansuetudini, quæ non gladium strinxit, ac deinde recondidit, vt Gualbertus; sed gladiū doloris in Filij morte, ac cruciatibus, quos oculis suis hauriebat; eumq; per animam ipsam pertranseuntē excepit, abditumq; ac reconditum intra ima penetralia tulit; quę nō vni vnici filij interfectori pepercit, ac benefecit; sed plurimis, iisque sæuissimis? Nónne, inquam, hac tantâ mansuetudine apud Deum promeruit; effecitque, vt, & multi inferorū flammis eriperentur, & illa in immēsum, suā sanctitatē redderet auctiorē.

II. Habes igitur in Virginis exemplo, quod & imiteris, &, si imiteris, quod speres. Vt autem rite, & ordine imiteris, in hæc studium intende. Primò Vt, quibuscum agis, cum ijs omnibus placidè, & mansuetè agas, omni iracundia, ac perturbatione seposita; sic enim & Dei, & Beatæ Virginis, tanquam verus eius Filius, & hominum beneuolentiam consequeris: *Fili*, inquit Eccli. 3. *in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris:* simul interna perfrueris, præclara dispositione, tum ad contemplationem, tum ad alia Dei dona. S. Chrysostomus in Acta Apostolorum.

lorum hom. 6. mansueti ingenium dicit simile *amœnæ solitudini*, *Soli fuganti tenebras, aquæ extinguenti ferrum ignitum, montis altitius vertici, in quo lenis flat aura, & purus splendor fulget, & perspicua fontium ebulliunt fluenta, & multiplex florum producitur gratia*: item, quod in corporibus nostris nerui, hoc dicit mansuetum esse in domo, & in Ecclesia: quibus verbis S. Doctor, pacis internæ, virtutum & donorum cœlestium vbertatem significat. Maximè autem hæc lenitas, humilitati iuncta, ad superandos impuros motus, & conseruandum illibatum castimoniæ decus; per quod Virginũ Virgini similis euadas, iuuat magis, quàm alia media & vitæ austeritas. Vnde Cassianus in illud: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, sic ait: *Non aliter ergo nos possidebimus terram; id est, non aliàs ditioni nostræ rebellis huius corporis terra subdetur, nisi mens nostra priùs fuerit patientiæ lenitate fundata: nec poterit quis aduersùs carnem suam insurgentia libidinis bella comprimere, nisi priùs armis mansuetudinis instruatur.* Et paulò antè: *Non æstus*, inquit, *corporis declinabit, nisi qui animi motus ante compresserit.* Sed non sibi soli prodest mansuetus. S. August. de Genesi ad literam ait, arborem vitæ in medio paradisi ideo satam, & defixam fuisse, vt vi sua quatuor qualitatum, quibus homo constat, dissidia

componeret. Arbor planè vitæ est vir mansuetus & lenis, iuxta illud Prou. 15: *Lingua placabilis lignum vitæ*, quoad animos discordes conciliandos, deliniendos, & paci concordięque reddendos nihil est potentius, ac fortius.

III. Secundò, Mansuetudo non in eos tantùm exercenda est, qui suis nobiscum moribus symbolizant, quibuscum facilè est, pacatè, & leniter agere, neque tam virtutis id est, quàm naturæ; sed cum ijs etiam, qui vel sunt diuersi à nostro genij ac humoris; qui, tametsi nobis onerosi ac molesti, sufferendi sunt, iuxta illud: *Alter alterius onera portate*; vel sunt moribus asperis, & insuaues; siue superiores nobis sint, siue ęquales, siue inferiores. Quàm feros, & inconditos barbarorum militum mores suà mansuetudine superauit toto passionis Filij tempore Virgo dolorosa! Et solet Deus ad virtutis nostræ exercitationem hispidum aliquid, & inamænum in moribus etiam Superiorum nostrorum relinquere. S. Gertrudis, vt refert Blosius, c. 4. Monil. Spirit. cùm Deum aliquando rogasset, vt defectum quendam personæ, quæ alijs præerat, tolleret; respondit illi Dominus, se ex abundantia suæ pietatis, atque dilectionis erga eos, qui ab illa persona regebantur, hunc defectum permittere, vt eorum indè meritum augeretur; multò enim maior est virtus ei subijci, cuius defectus agnoscitur, quā alteri, in quo nullus notatur.

notatur. Eadem cùm pro sua quoque Abbatissa, alioqui egregiæ sanctitatis, sed austerioris ingenij, ex quo aspera responsa dabat, precaretur, vt hoc in ea vitium corrigeret; idem ferè responsum à Domino accepit, nempe id & Abbatissæ prodesse ad humilitatem, & subditis ad obedientiæ meritum. Hinc est, quòd, vt scribit S. Anastasius in vita S. Antonij, veteres Monachi tales sibi optabant Superiores, qui duri essent, & rigidi, quique pleraque etiam benefacta reprehenderent. Idem ferè scribitur in Vita Alphonsi Rodriquez, Societatis nostræ Coadiutoris. Et hæc quidem de Superioribus, etiam insuauibus, mansuetè tolerandis. De alijs pulchrum & notum refertur exemplum in Prato spirituali, & apud Cassianum collat. 18. c. 14. de Matrona Alexádrina nobili & copiosa, cui cùm postulanti data primùm esset vidua, quam domi ex Christiana charitate aleret, mitis ac lenis; quòd nullam ei exercẽdæ virtutis occasionem præberet, aliam petijt: obtinuitque anum morosam, iracundam, rixosam, tetricam, garrulam, &c. quæ matronam illam nobilem non modò sæpe verbis, sed etiam aliquando verberibus malè accepit; & tum demum illa sibi satisfactum putauit. Hoc scilicet est, virtutis materiam habere, hoc verè mansuetum esse, & cum Psalmista dicere: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* *Ps. 119.*

Tertiò. Neque erga hos duntaxat, qui ex IV.

Q 7 natu-

naturali constitutione, & morum diuersitate, atque asperitate nobis graues & molesti sunt, mansuetudo est necessaria; sed etiam erga planè improbos, & moralibus vitijs implicitos, in quibus vitia quidem odio habenda sunt; sed personæ amandæ, & vt plurimùm benignè leniterque tractandæ. Sic Mater dolorosa Iudæorum scelera summè est detestata; Iudæos tamen ipsos summè itidem dilexit, neque aut vultu, aut gestu, aut alio modo, nisi eximiam modestiam, mansuetudinemque erga illos præsetulit. Notare hoc maximè debent ij, qui alijs præsunt, vt vitia quidem in subditis oderint, subditos ipsos ament, paternamque potiùs lenitatem ac benignitatem in eos & exerceant & signis exterioribus manifestent, quæ ordinariè ad correctionem plùs facit, quàm seueritas & nimius rigor.

S. Greg. li. 9. ep. 8. ad Benonem Abbatem.

Gal. 6. *Vos qui spirituales estis*, inquit S. Paulus, *instruite huiusmodi in spiritu lenitatis*; Quod si quando correctionis necessitas rigorem, & acres quoque reprehensiones postulet; eæ sic adhibendæ sunt, vt appareat, nihil ex turbido affectu, mansuetudini contrario, aut inordinata passione agi; sed ex eius, qui corrigitur, aut boni publici amore, & iuuandi studio, qui amor ac studium, quando à subdito animaduertitur, & pænæ, & reprehensionis necessarius rigor faciliùs, & maiori cum fructu toleratur. Ob hanc causam S. P. N. Ignatius, qui sæpe pro paruis erratis magnas iniunge-

iungebat pænitentias; ab omnibus tamen subditis tenerrimè amabatur.

Quartò. Etiam inimici, & persecutores nostri suauiter, & beneuolè habendi sunt; hæc enim est Christianorum virtus, à Christo præscripta, commendata & exemplo tradita: Hæc in Matre dolorosa sub Cruce maximè enituit: hæc Deo est gratissima, vt initio huius capitis est ostensum. Adde, quòd persecutores, magnorum bonorum beneficiorumque nobis authores sint; occasionem enim nobis præbent, vt à noxio amoris proprij philtro liberemur, & consequenter ad Dei amorem facilè pertingamus, si persecutiones æquo & hilari, propter illum, animo sufferamus. Et sicut Medicos, ac chirurgos amamus, blandeque ac suauiter cum illis agimus, qui tamen amaris potionibus, aut vstionibus & punctionibus acerbis nos sanant: ita, licèt persecutiones amaræ, acerbæque nobis sint; sunt tamen causa sanitatis; quæ cùm à persecutoribus originem habeat, amandi illi, benigneque habendi sunt; præsertim cùm id adeò gratum Deo, nobisque meritorium. V.

Quintò. Non satis est, vt externam proximo mansuetudinem exhibeas; sed, ad imitationem Deiparæ Virginis, requiritur etiam interna; quæ in eo consistit, vt non modò nullo affectu interno, licèt ille se- VI.

non

non prodat, acerbitatis quidquam contra illum in animo geras; sed etiam nihil tale volutas, cogitésve, quo, si id ille sciret, offenderetur. Itaque temeraria iudicia, tanquam rem pessimam & detestabilem, suspiciones, contemptus & similia procul habe, eaque solùm de eo cogita, quæ benignitas suggerit, & quæ si ille cognosceret, pro beneuolentiæ indicio approbaret, acceptaretque. Ita nos instituit Christus, qui temeraria iudicia, & alia huiusmodi seuerè prohibuit, voluitque suorum corda erga se inuicem suauitate ac dulcedine redundare, & denique à se

Matt. 11. disci, *quia mitis est*. Hac ille virtute *orbem ter-*

Matth. 5. *rarum* sibi subdidit, vt verum fit illud: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* qua de re copiosè discurrit P. Binettus in suo Magnete Amoris, vbi refert, Regem quendam vrbes admirabiliter sibi subiecisse. Nam oleo ex contusis quibusdam vermiculis confecto portas illinens, eas ita accendebat, consumebatque, vt extingui ignis non posset. Sic nimirum Christus oleo mansuetudinis per Apostolos, vermium instar contemptibiles, vrbes sibi, atque imperia subiugauit; nihil enim est mansuetudine potentius, nihil ad capienda hominum corda, voluntatesque debellandas efficacius.

CAP.

CAPVT IX.

Puritas Intentionis.

PONimus hoc caput post alia, quæ præmisimus, non quòd illa priùs, hoc omisso, exercenda sint; sed quia illa ad puritatem perfectissimæ intentionis iuuant, per quam non nostra, aut nos quæramus, vel in actionibus nostris intendamus; sed purè Deum: tametsi ea quoque, quæ præmisimus, de peccatorum odio, & abnegatione nostri, &c. ex bona intentione exerceri debent, vt tam intentio, quã illa, pari passu procedant. Sicut id, quod initio huius secundi libri in præfatione diximus, de ordine, quo Christiana perfectio consectanda est, quoque virtutes gradatim sunt parandæ, quibus aliæ alijs certâ quâdam serie succedãt, non sic est accipiendum, quasi vni primo virtuti tantùm studere debeamus, alijs neglectis; sed quòd potissima cura nostra versari debeat circa eam virtutem, quæ dispositioni animæ nostræ maximè congruit, & quam ordo & via quærendæ perfectionis exposcit, non tamen intermissis alijs, si earum exercendarum occasio se se offerat, aut res ipsa poscat, vel inuitet. Quanquam intentio magis peculiare hoc habet, vt vniuersaliter vbique, & semper, & in quolibet virtutum, & actionum exercitio vsurpetur; sitque nobis æquale illius studium, siue huic, siue alteri virtuti acquirendæ singulariter I.

gulariter

gulariter vacemus. Est enim recta intentio omnium actionum nostrarum Deo placentium vita, teste Richardo Victorino, de statu interioris hominis c. 7. *Quod corpus*, inquit, *est sine vita*, *hoc est opus sine intentione bona. Qualibet ergo actio, quamuis bona videatur, quasi mortua iudicatur, nisi per consilium, ac intentionem bonam animetur*. Christus Dominus, Matth. 6. & Luc. 11. iuxta interpretationem S. August. S. Gregor. & Bedæ, illam comparat oculo simplici, sine quo totum corpus nostrum, id est, actio, in tenebris est. *Lucerna*, inquit, *corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex*, id est, intendens solum Deum, & diuina, velut finem & scopum suum, *totum corpus tuum lucidum erit*. hoc est, faciet, vt opus, ex ea intentione manans (intellige, si illud in se sit bonum, aut certè non malum) totum sit purum, & sanctum. *Si autem oculus tuus fuerit nequam*, id est, malè affectus, & vitioso humore imbutus, si scilicet intentio sit praua, *totum corpus tuum tenebrosum erit*, opus nempe ex ea manans, quamuis alioqui esset bonum, erit vitiosum & malum. Magna proinde nobis cura adhibenda est, vt rectum, ac simplicem hunc oculum, siue intentionem in operibus nostris habeamus; quippe quæ nos Deo gratos reddit, & eius nobis amorem conciliat. *Vulnerasti*, inquit Spon-
Cant. 4. sus, *cor meum, Soror mea sponsa, vulnerasti*

cor

cor meum in vno oculorum tuorum. Vnum oculum, siue simplicem dicit, & quidem intelligit dextrum; hoc enim solo aperto, clauso sinistro, collimant sagittarij, cùm tangere, aut vulnerare quid volunt. Sic nimirum, claudendus est oculus sinister, hoc est, mala intentio; dexter aperiendus, eoque in Deum, velut in scopum & finem collineandum; quod illi adeò placet, vt se amore vulneratum profiteatur. Id cùm sciat Dæmon, serpens ille antiquus, & basiliscus; nihil magis laborat, quàm vt hunc dextrum intentionis oculum, aut veneno suo inficiat & vitiet, vt in prauum & sinistrum degeneret; siue per vanam gloriam, siue per aliam inordinatam affectionem: hoc enim pacto opera nostra corrumpit, & mala reddit; aut, si inficere nequit, tollat, atque eruat, vt nostras actiones, si non cum mala, saltem sine vlla intentione faciamus. Rex Ammonitarum Naas Iabesitis, cùm eos sibi subiugare vellet, 1. Reg. 11. dixit: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrûm oculos dextros, ponâmque vos opprobrium in vniuerso Israel.* Volebat nempe Naas Iabesitas reddere bello omnino inidoneos, vt neque sagittarij essent, carentes oculo dextro, quo hi collimare solent; neque clypeis vti, qui, cùm sinistra gestentur, eorum obiectu sinistri oculi vsus minùs est expeditus, adeoque effossis oculis dextris, perinde erat, ac si

cæcii

cæci essent. Ad hæc illa dextrorum oculorum effossio magnum eis erat futurum oris dehonestamentum. Vnde ait: *Ponam vos opprobriũ*, &c. Sic facit Naas (quod vocabulum significat serpentem) infernalis; Oculum dextrum, id est, bonam intentionem nobis eruere contendit, vt eo neque cor Dei amore vulneremus, neque clypeo aduersùs nebulonis *illius* vim, & insidias protegamur; quippe toti cæci, &, vt loquitur Christus, *totum corpus tenebrosum* habentes, & vigore illo, ac luce carentes, quæ ex bonorum operum exercitatione prouenit, & insuper populo Dei simus opprobrio oris, ac vultùs illâ specie, *quam oculus dexter afferret*, destituti. Certè ab oculis maximè sponsam commendat Sponsus, nõ vno Canticorum in loco: *Oculi tui*, inquit, *columbarum*. Loquitur de columbis Syriæ, & Africæ, quas vocant Tripolitanas, quarum oculos memorant esse perspicacissimos, coloris & splendoris eximij, quibus Sponsæ intentionis & simplicitas (columba enim simplicitatis est symbolum) quâ vnum Deum respicit, & ex ea pulchritudo significatur, splendórque & quasi color animæ eximius.

Cant. 1. & 4.

II. His oculis maximè prædita fuit Sponsa illa (de qua maximè Spiritus Sanctus in Canticis loquitur) Sponsarum omnium Regina, Virginum Virgo, & Dei Mater, vt ostendi lib. 1. c. 4. §. 1. in fine, & præsertim in Filij passione, vt itidem ostendi c. 12. in fine: Erant eius intẽtionis

oculi,

oculi, vt ait idem Sponsus, Cant. 7. *sicut piscinæ in Hesebon*, quibus splendor quidam insignis, atque serenitas inerat, quos neque limus terrenorum affectuum turbabat, neque exagitabat, aut aliorsum inflectebat instabilitatis ventus.

III. Vtinam nos quoque similem, saltem aliqua ratione, huic Sponsæ, Matri dolorosæ, intentionis oculum haberemus. Habebimus autē, si hæc obseruemus. Primò Vt non simus contenti quacunque intentione in operibus nostris; sed perfectissimam, quæ est ex puro Dei amore, sectemur. Non mala est intentio, si ideo bene agas, vt pænas æternas euadas, aut cæli gaudia consequaris; sed est imperfecta. *Si timore gehennæ*, inquit S. Dorotheus doct. 14. *benefaciamus, in seruili statu sumus; si, vt mercedem recipiamus, in mercenarij; si bonum Dei ipsius gratia, ad filiorum statum transimus. Filius enim non facit patris voluntatem, ob timorem, neque vt recipiat mercedem ab illo; sed volens illi deseruire, volens ipsum honorare, volens illi in omnibus obsequi, & morem gerere.* Tali filiorum erga amantissimum Patrem, & Creatorem nostrũ affectũ opera nostra exercere debemus, hoc solum & vnicum in eis spectando, vt præstemus aliquid, per quod illum velimus honorare & glorificare, quòd illi placeat, quòd illum oblectet & exhilararet. Dignus enim est propter se, & ob hoc solùm, quod Deus est, vt, etiamsi nulla bono operi

nostro

nostro merces tribueretur, nec quidquam alterius vllius commodi in nos redundaret; tamen omni studio in id incumbamus, vt omni, quo possumus, modo complacentiam, & gaudium, idque quàm maximum illi præbeamus, maximeque illum glorificemus. O quam gaudet ille, si bene agamus! *Gaudium meum*, inquit apud S. Ioannem, cap. 15. *erit in vobis*: recreatur, exhilaratur, delicias suas in hoc habet: S. Chrysostomus in verba illa, Prou. 16. *Reuela Domino opera tua*: vult, vt gratiam, quam à Deo accepimus, bene illa vtendo, & operando, velut pilam quandam, vt in lusu solet, eidem Deo quasi repercutiamus, sicque illum recreemus. *Opera*, inquit, *nostra bona in Deum referre debemus, quemadmodum in sphæra ludo iacit vnus, alter verò refert pilam, tam diúque eleganter ludus producitur, quàm diu inter manus vtriusque iacta, & reciprocata sphæra non cecidit*. Hoc est, cum
Prou. 8. Sapientia æterna *ludere in orbe terrarum*: *sic deliciæ sunt illi, esse cum filijs hominum*. Idem ferè, sed per aliam similitudinem declarat S. Bernardus, serm. 3. in Vigilia Natiuit. *Simplex*, inquit, *intentionis oculus totum corpus lucidum faciat, vt, quidquid feceris, propter DEVM facias, & ad locum, vnde exeunt, gratiæ reuertantur, vt iterum fluant*. Ita nempe fiet, vt quidquid ex immenso bonitatis suæ mari tibi dederit Deus, id propter ipsum, & in eius gustum, ac oblectationem expendas,

das, per quod ad maiores, & plures gratias tibi largiendas eum prouoces, quibus, bene vtendo, illum iterum plus & magis exhilares; atque ita continenter magis magisque illum oblectes, & quasi cum eo colludas, nihil intendendo aliud, quàm vt Deus tuus ex tuis actionibus delectationem capiat & gloriam. O quàm felix es, si sic agas! Ita egit Virgo Deipara, tum aliàs, tum sub cruce, vbi considerans & dolens, peccatis hominum, & Deicidio illo cor Dei quasi contristari, ac molestia affici, conata est illud per actus amoris exhilarare, vt disgustum illum suo amore, quo illi gustum præberet, cõpensaret, vt dictum est lib. 1. cap. 12. & cùm aliàs semper *sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans DEO odorem dederit*, tunc etiam *sicut myrrha electa dedit suauitatem odoris*. Hoc & tu conare, vt totus cedas Deo in odorem suauitatis, siue agendo, siue patiendo. Eccli. 24.

IV. Secundò, Satagendum nobis est, vt præstans illa intentio non sit tantùm generalis, v. g. in principio diei, offerendo per illam omnes actiones eius diei in confuso; sed vt adhibeatur etiam ad omnes, & singulas actiones bonas in particulari. Laudabile quidem & bonum est, cùm primùm euigilamus, aut è strato surgere volumus, adorato Deo, &, quanto possumus gaudio, de eius infinito esse, magnalibus & bonis, deque beati-

beatitate elicito, gratijsque, vt par est, actis, se, suasque actiones futuræ diei omnes illi in odorem suauitatis ad maiorem ipsius gloriã, & gustum offerre; verùm id satis esse non debet; sed repetenda est intentio actualis, quantum per fragilitatem nostram fieri potest, ad singulas in particulari actiones; præsertim cũ plures Theologi doceant, generalem *illam* intentionem, principio diei factam, non influere virtualiter in omnes totius diei actiones, aut ex ea elici, quæ sæpe sunt valde disparatæ, & sine vlla inter se connexione, aut dependentia. Satius igitur & Deo gratius est, renouare actualiter sublimem *illam intentionem* ad singulas, exemplo Beatissimæ Virginis, quæ instar ferri candentis amore tota sic ignita fuit, vt ex illo, velut scintillæ, omnes & singulæ internæ, externæque actiones, omnes, etiam minimi, animi corporisque motus prodirent, vt dixi li. 1. c. 4. §. 1. Quod exemplum imitatus est S. P. N. Ignatius, vt ibidem retuli, ex relatione, Summo Pontifici pro eius Canonizatione ab Eminentissimis S.R.E. Cardinalibus facta. Et idem constat de alijs quibusdam, qui singulos pæne apices, cùm scribunt, singulos propè passus, cùm ambulant, &c. Deo per intentionem ex eius amore actualiter offerunt. Ad quod conducit longa exercitatio, sensim à facilioribus ad difficiliora progrediendo, vitata interim capitis læsione, aut nimia, vel noxia fatigatione. quod

addo,

addo, nè tyrones plus, quàm possint, vt par sit, initio tentent; sed debitâ vtantur moderatione. Et hoc est, quod S.P.Ignatius præscribit regulâ 17.Summarij: *Omnes rectam intentionẽ habere studeant, non solùm circa vitæ suæ statum; verùm etiam circa res omnes particulares, id semper in eis syncerè spectantes, vt seruiant, & placeant diuinæ bonitati, propter seipsam. &c.*

Tertiò, cauendum est, nè in intentionibus nostris sæpe fallamur. Vnde nota, in regula S.*Ignatij*, paulò antè posita, nos moneri, vt finem illum præstantissimum adhibeamus non tantùm *circa res omnes particulares, & semper*; sed etiam *syncerè*. Fieri enim potest, vt quis sæpe, & in multis actionibus particularibus eam se adhibere putet; sed id fiat non *syncerè*, sed ex arida quadam consuetudine, quâ verba illa vsitata: *Ad maiorem Dei gloriam: Propter te Domine: Ad tuum, Domine, gustum, & ob amorem tui*, &c. sine interno, & syncero mentis affectu proferat, aut concipiat; non tam vt actum amoris in Deum eliciat, quem hoc opere testetur & prodat, siue, qui eum ad hoc opus suo pondere inclinet, atque impellat, quàm vt nè intentionem omisisse videatur, néve se deinde in examine conscientiæ, aut aliàs omissæ intẽtionis arguere cogatur. quod præsertim tunc pronum est fieri, cùm quis ex impetu naturalis inclinationis, aut propriæ cupiditatis, iam ad hoc opus se determinauit, V.

 ac re-

ac resoluit; & sic iam determinatus, opusque inchoans, addit quasi pro ceremonia extrinseca, & non ex intima amoris in Deum motione, ore duntaxat proferendo, aut solo intellectu concipiendo verba illa: *Ad maiorem Dei gloriam: propter te, Domine*, &c. Idque indè colligi potest, quòd aliquando hæc verba etiam addantur ex consuetudine, cùm sit aliquod opus, cui adiuncta est imperfectio. Tum enim sine dubio syncerè, & ex intimo amoris Dei motu non possunt proferri, addivé illa verba; & tamen proferuntur, adduntúrque. Rectè igitur monet Madriliensis, seriò aduigilandum esse, nè de *actione in actionem* transeas, donec sentias te Dei amore & gaudio, quod habet ex hoc opere, moueri. Túnc enim *syncerè* ex præstanti illa intentione operabére, vt vult regula; & tunc etiam securior eris, quòd intentio sit, quæ imperat actum; non autem tantùm illi adiungatur ex alio fine, iam imperato, versetúrq; circa illum solùm, vt circa obiectum, aut fortasse etiam planè non versetur. Debet intentio nostra se habere instar pōderis in horologio, quod rotas ordinatè mouet, & omnes diei horas rectè dispensat. ita Dei amor suo pondere nos ad singulas actiones inclinare debet, vt per omnes diei horas in Deum ordinentur. Hoc modo in Virgine Deipara *ordinauit* Deus *charitatem*, Cant. 2. vt ex illa actiones ordinatissimè procederent.

Quar-

Quartò. Non tantùm per se bonis, & sanctis actionibus addenda est perfecta illa, & ex diuino amore orta intentio (sic enim eorum bonitas duplicatur, diuinoque igne, velut cibi pretiosi excocti, & dulcissima charitate, velut condimento, conditi, ac sapidi, Deo in suauiorem gustum cedunt) sed etiam indifferentes. VI.

Dices. Perfecta intentio in eo videtur consistere, vt hoc hîc & nunc operemur ideo, quia hic & nunc placet Deo, vt hoc agamus; & per hoc illi gaudium facimus; aut quia hoc est ad maiorem eius gloriam. Atqui sæpè nescimus, quid hîc & nunc placeat DEO? an vt hoc, an vt illud agamus ex pluribus rebus adiaphoris, quas agere possumus? Accedit, quòd pleraque talia opera indifferentia nullam videntur habere cum DEI gloria, aut beneplacito connexionem, adeoque nec eò referri posse, vt amor Dei suo pondere nos ad ea exercenda inclinet. Respondeo. Dei beneplacitum nobis declarari vel per obedientiam, quæ opera, aliàs ex se indifferentia, etiam leuissima, facit DEO magis hic & nunc placere, quàm alia, ex se præstantissima, sine illa facta, si tunc cum operibus illis obedientiæ, etiam ex se leuissimis, exerceri nequeant. *Melior enim est obedientia, quàm victima.* Vel si ea nihil præscribat, neque alia virtus sui exercitium hoc tempore, aut per se postulet, aut offerat; conijciendum nobis est VII. 1. Reg. 15.

maius Dei beneplacitum, ex regulis prudentiæ, rectæque rationis, cuius erit, actiones indifferentes, spectatis circumstantijs hîc & nunc in materia certæ virtutis constituere, & in Dei gloriam, ac maius beneplacitum ordinare. v. g. Aliquando dictabit prudentia, vt hîc & nunc diligenter studeas (quod alioqui per se indifferens est) vt acquisitâ doctrinâ Dei gloriam promouere possis: Aliquando, vt à studio cesses, & fessum caput re aliquâ indifferente distrahas ac releues, vt vegetius firmiusque permaneat ad eandem Dei gloriã propagandam. Et sic de cæteris. Quodsi quædam indifferentes actiones ita se *habeant, vt* perinde sit, hanc, an illam hic & nunc exerceas, cùm aut vtraque æqualem habeat, aut neutra vllam videatur habere cum maiore Dei gloria & beneplacito connexionem: vt; hunc, an illum authorem legas; hoc, an illud scribas; hac, illáve re, capite fessus, tè distrahas; si omnia sint paria, elige ex his, quod vis, & fac ex perfecta illa intentione, puroque Dei amore; sola enim tunc operis in Deum relatio, syncerè facta, sufficit, vt Deo valde placeat. Quod patet ex 1. Cor. 10. vbi vult Apostolus, vt fideles *omnia in Dei gloriam* operẽtur, *siue manducent, siue bibant, siue aliud quid faciant*. Cùm igitur per Apostolum hoc velit Deus, gratúmque sit illi, vt sic fiat, fac, quia est illi gratum, per actum reflexum. Est enim Deo gloriosum, si nihil fiat, nisi propter ipsum, & in omni

omni opere ille respiciatur. Et certè in partibus Septentrionalibus bibitur in sanitatem alterius, censeturque per hoc ille honorari & amari: & quænam, oro, est connexio per se bibitionis, præsertim immoderatæ (nam quò plus bibitur, eò plus censetur alter honorari) cum sanitate, honore, amoréve alterius, nisi quia à bibente eò refertur? Omnia ergo opera, peccatis & imperfectionibus exceptis, fieri ex perfecto motiuo amoris Dei possunt: quanquam ex se præstantiora, quoad fieri potest, semper præeligi debent, vt possis verè dicere: *Ad maiorem Dei gloriam. Ad maius Dei obsequium.* &c. & in eo Beatæ Virgini sis similis, cui Ecclesia accommodat illud: *Optimam partem elegit MARIA*; inter bonas scilicet eam semper, quæ præstantissima erat. *Luc.* 10.

VIII. Quintò, denique omnes, & singulæ actiones nostræ, quæ sunt capaces bonæ intentionis, vniendæ sunt cum actionibus Christi, & sic vnitæ offerendæ Deo per ipsum Christũ, vel immediatè illum ipsum rogando, tanquã Mediatorem, & aduocatum nostrum; vel mediante Beatissimâ Virgine. *Per illum ergo*, inquit S. Paulus Hebr. 11. (id est, Christum) *offeramus hostiam laudis semper*, &c. & S. Petrus in 1. ep. c. 2. dicit, *hostias spirituales* (id est, bonas actiones nostras) *esse acceptabiles Deo per IESVM CHRISTVM*. Maximi momenti est hęc oblatio, & à Diua Virgine sub cruce vsurpata, vt dixi lib. 1. cap. 9. §. 4. Neque enim nisi per

Christum condignè glorificari potest DEVS. Qua de re prolixè actum est in 2. p. libri, cui titulus est: Fontes Saluatoris; ad quem te remitto.

CAPVT X.

Resignatio & conformitas cum voluntate diuina in rebus etiam arduis: animiq́ magnitudo.

1. RESignatio & cum voluntate Dei conformitas, vti nobilissima est virtus, quæ nos vnius cum Deo spiritûs ac voluntatis efficit, & in eum transformat; ita in Beatissima Virgine, Dei Matre præcipuam sibi sedem fixit, cuius in tota vita egregia planè documenta dedit, idque in rebus planè arduis & difficillimis, vbi vel intellectus captiuandus in obsequium Dei erat, eiúsque prouidentiæ & arbitrio contra omnem rationem humanam res committenda, vel quæ naturæ, inclinationique summè aduersabantur, superanda. Cùm, Filio Dei grauida, vterum gestaret, & S Iosephum, sponsum castissimum, eâ re perturbatum videret, neque consilium expedire posse; & ex vna quidem parte ei subuentũ vellet, ex altera obstaret humilitas: rem totã Dei prouidentiæ commisit, à qua se regi sciebat, seque ei integre resignauit, quantumuis sibi periculũ lapidationis, & adulterij infamiam accidere posse

posse animaduerteret. Partu iam iam imminẽte, nonóque mense proximè expirante, cùm ex diuino oraculo sciret, Messiam in Bethleem nasciturum, nec vel per vmbrã appareret, quã ratione eò cum benedicto fructu ventris sui peruentura esset, vt ibi pareret; nihil indè cõmota est, nihil de veritate oraculi dubitauit, quamuis humana ratio contrà niteretur; sed in Dei prouidentiam, dispositionemque iterum se retulit; cùm ecce, *exijt edictum à Cæsare*, quod eam in Bethleem non nisi eodem ipso, quo pareret, die adduxit, non detrectantem superbo imperio Ethnici hominis, cæli & terræ Reginam præstare obedientiam, qua Dei voluntatem, & consilium adimpleret. Luc. 2.

II. Sed longè maius illud est, quod vix dum nato Domino contigit, cùm ad necem ab Herode quæreretur; quod quia inter dolores Beatæ Virginis reponitur, fusiùs exponam. Apparuit, inquit S. Matthæus cap. 2. *Angelus Domini in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum & Matrem eius, & fuge in AEgyptum: & esto ibi vsque dum dicam tibi &c. Qui consurgens, accepit puerum & Matrem eius nocte; & secessit in AEgyptum.* Quanta, & quàm stupenda prorsus propriæ voluntatis, & iudicij abnegatio! quanta in Deum resignatio! Si humanam rationem in cõsilium Virgo aduocasset, alia omnia ei suasisset. Sic enim illam ratiocinantem faciamus. Ergo fugiendum est, ô Angele! *Atqui*

Christum condignè glorificari potest DEVS. Qua de re prolixè actum est in 2. p. libri, cui titulus est : Fontes Saluatoris ; ad quem te remitto.

CAPVT X.

Resignatio & conformitas cum voluntate diuina in rebus etiam arduis: animique magnitudo.

1. RESignatio & cum voluntate Dei conformitas, vti nobilissima est virtus, quæ nos vnius cum Deo spiritûs ac voluntatis efficit, & in eum transformat; ita in Beatissima Virgine, Dei Matre præcipuam sibi sedem fixit, cuius in tota vita egregia planè documenta dedit, idque in rebus planè arduis & difficillimis, vbi vel intellectus captiuandus in obsequium Dei erat, eiúsque prouidentiæ & arbitrio contra omnem rationem humanam res committenda, vel quæ naturæ, inclinationique summè aduersabantur, superanda. Cùm, Filio Dei grauida, vterum gestaret, & S Iosephum, sponsum castissimum, eâ reperturbatum videret, neque consilium expedire posse; & ex vna quidem parte ei subuentũ vellet, ex altera obstaret humilitas: rem totã Dei prouidentiæ commisit, à qua se regi sciebat, séque ei integre resignauit, quantumuis sibi periculũ lapidationis, & adulterij infamiam accidere posse

posse animaduerteret. Partu iam iam imminẽte, nonóque mense proximè expirante, cùm ex diuino oraculo sciret, Messiam in Bethleem nasciturum, nec vel per vmbrã appareret, quã ratione eò cum benedicto fructu ventris sui peruentura esset, vt ibi pareret; nihil indè cõmota est, nihil de veritate oraculi dubitauit, quamuis humana ratio contrà niteretur; sed in Dei prouidentiam, dispositionemque iterum se retulit; cùm ecce, *exiit edictum à Cæsare*, quod eam in Bethleem non nisi eodem ipso, quo pareret, die adduxit, non detrectantem superbo imperio Ethnici hominis, cæli & terræ Reginam præstare obedientiam, qua Dei voluntatem, & consilium adimpleret. Luc. 2.

11. Sed longè maius illud est, quod vix dum nato Domino contigit, cùm ad necem ab Herode quæreretur; quod quia inter dolores Beatæ Virginis reponitur, fusiùs exponam. Apparuit, inquit S. Matthæus cap. 2. *Angelus Domini in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum & Matrem eius, & fuge in AEgyptum: & esto ibi vsque dum dicam tibi* &c. *Qui consurgens, accepit puerum & Matrem eius nocte; & secessit in AEgyptum.* Quanta, & quàm stupenda prorsus propriæ voluntatis, & iudicij abnegatio! quanta in Deum resignatio! Si humanam rationem in cõsilium Virgo aduocasset, alia omnia ei suasisset. Sic enim illam ratiocinantem faciamus. Ergo fugiendum est, ô Angele! *Atqui*

(vt discurrit, & loquitur S. Chrysost. hom. 8. in Matth.) *tu paulò antè dicebas, quia saluabit populum suum, & nunc seipsum quidem non potest de periculis liberare; sed fuga nobis est necessaria, & peregrinatio, ac transmigratio longinqua. Contraria omnino sunt facta promissis.* Et fugiendum in AEgyptum est ad gentem infidelem, idololatriæ super omnes alias, ad insaniam vsque, deditam, cæpas & allia pro Numine colentem, & super hoc Iudæis infensam, vbi insuper Herodes plurimos sibi habet amicos ac fœderatos? Si Dæmon nos securos esse non patitur in terra Fidelium, & Amicorum, patietúrne consistere inter hostes *in ea* regione, in qua dominatur, ac triumphat; imò pro Deo colitur? Quin potiùs imus ad Magos, qui nos cũ omni charitate accipient, regnorũ; imò & vitæ impẽdio aduersùs vim omnẽ tuebuntur, subditos cũ magna Dei gloria ad adorandũ Messiam, recens natũ, vnà secum adducent? Sicut enim illos potuisti, ô Angele, ad nos ducere ita potes & nos ducere ad illos. O quãto illi plausu, & gratulatione IESVM in sua regia domicilia exciperent, quem tanto animi ardore extra proprios lares adorarunt! Adde, quòd breuior & facilior multò est via in Mesopotamiam (quæ appellatur *terra Chaldæorum*, Act. 7. vnde venisse Magos, existimat Barradius cum Abulensi, nititurque testimonijs multorum SS. Patrum, & vaticinio Balaam) quod iter confici potest intra quatuordecim

decim dies, sicut confecerunt Magi intra tredecim, aut pauciores; imò, vt cõstat ex ca. 31. Gen. Laban ex Mesopotamia profectus, septẽ dierum spatio peruenit ad montem Galaad. At verò à Nazareth in AEgyptum, si terrestri viâ eundum nobis est, centum, & amplius leucæ numerantur, quarum dimidiam partem solitudo occupat; in quo itinere, propter eius difficultatem, minimùm vnus mensis est insumendus. Quid igitur tam longum, difficile, periculosum, ignotum, erroribus in solitudine obnoxium, nullo commeatu, rebusque necessarijs instructi, iter ingredimur? qui possemus breuius, facilius, tutius, notius, ac magis tritum, sine errandi periculo, cum spe maioris diuinæ gloriæ, salutisque animarum ingredi? Denique cur fugam, & repetinam profectionem nunc, & quidem noctu, mandas, quasi antè non potuisses, vt rebus nostris prouideremus? Cui nostram domunculam? cui paupertinam supellectilem committemus? Vnde necessaria ad iter noctu comparabimus? quò per cæcas tenebras ibimus? quid dicet vicinia? quid Nazarethani ciues, cùm nos furtim noctu profugisse rumor dispergет? satin' consultum erit honori nostro? Cur non potiùs de fuga moniti sumus, priusquam è Iudæa, vnde paulò antè abiuimus, Nazarethum proficisceremur, vt rectà indè in AEgyptum iremus? Nam nunc Iudæa duplicato itinere repetenda est in AEgyptum ituris. Quid hoc

aliud videtur esse, quàm augere molestias sine vllo commodo; imò cum iactura fortunarum, existimationis, ac famæ, & insuper vitæ periculo? Hæc, & plura alia, quæ, nè nimis longus sim, omitto, potuerunt ab humana ratione Beatissimæ Virgini in mentem venire. Sed, his omnibus non obstantibus, ac nè ad animum quidem admissis, resignauit illa se cũ S. Iosepho penitùs, suamque voluntatem atque arbitrium Deo, eiusque sanctissimo beneplacito confestim, & exactissimè conformauit, illi sua commoda, solum patrium, fortunas, existimationem, famam, iudicium, vitam ipsam posthabendo. *Nam consurgens Ioseph noctu, accepit puerum & Matrem eius.* Et quamuis Abulensis putet, non eadem nocte discessisse, sed priùs in viam se præparasse, rebúsque suis, nè perirent cauisse; verius tamen est, quod sentiunt Barradius, Maldonatus, Caietanus, & alij, mox eadem nocte profectum; idque patet ex sacro textu: *Apparuit,* inquit, *Angelus in somnis Ioseph,* &c. *Qui consurgens* (videlicet statim è lecto) *accepit puerum & Matrem eius nocte* &c. Quorsum è lecto surrexit, nisi vt protinus proficisceretur? Et quod virtutem Beatissimæ Virginis auget, est, quòd nutum & minimam significationem voluntatis diuinæ non sibi, sed alteri, cui se subdiderat, & non nisi per somnium factam, in re tam difficili, tam humanæ rationi contraria acceptarit, ac secuta sit, obio-

cerit-

ceritque se ijs ærumnis, periculis, ac difficultatibus, quas deinde biennio in Ægypto plurimas perpessa est, nullâ certâ sede consistēs, sed locum ex loco mutans, eásque adiens vrbes, in quibus nihil omnino humani præsidij haberi videretur. Nam Hermopolim primum habitasse, author est Euagrius in vitis Patrum; tum Memphim, Heliopolim, [illegible], & Babylonem Ægypti, Tanaim [illegible] Nitriam, & Alexandriam, peragran[illegible]sse, tradunt Brocardus, Abulensis, Ludolphus, Saligniacus, & alij. Quin & magnam anni partem, dum Nilus totam Ægyptum inundauit, per duos minimùm menses, Augustum, & Septembrem, quotannis, vecta [illegible] nauiculis, in aquis transegit. Ne[illegible]rius exemplum in hoc genere vs[illegible]ri possit. Ego quidem nullū prot[illegible] hominibus habeo, quod huic [illegible], in quo abnegatio propriæ volun[illegible] iudicij, & promptitudo Deo parendi sic eluceat. Verùm in Christi passione, & morte non alios tantùm, sed seipsam etiā Virgo superauit, quando vnicum, eumque dilēctissimum Filium, & ipsum Deum dirissimæ neci obtulit, quia sic voluit Deus. Non fuit inquam, non potuit esse talis, támque præstans actus in mundo, vt ostendi lib. 1. c. 9. §. 5. Tum enimuero *exinaniuit semetipsum*, & suam voluntatem, *facta obediens*, & Dei volūtati conformis *vsque ad mortem* talis filij, *mortem*

autem crucis. Quid difficilius, aut maius fingi potest?

III. Ad hoc resignationis, & cum diuina voluntate conformationis exemplar tu tuam compone, & forma. Et primò quidē eam exerce in rebus ordinarijs, quæ tibi secundùm ordinationem Dei contingunt, siue ex consueto naturæ cursu, siue ex dispositione Superiorum tuorum, vt id velis, quod vult Deus; hoc nolis, quod non vult. Itaque in eo officio, prouincia, vrbe, loco, statu corporis & animę esse velis, in quo te vult esse Deus, siue corpus sit firmum, siue debile, aut infirmum, siue anima consolationibus, siue desolationibus abundet; ea tibi velis accidere, quæ *ex voluntate* Dei accidunt, idque etiam in rebus minutis & obuijs, etiam ijs, quę casui attribuuntur, vel etiam ex hominum improbitate ortis, quam Deus in illis quidem permittit; tibi

Rom. 8. autem in bonum ordinat. *Nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, etiam peccata aliorum, dántque occasionem, vt vel sustineas, vel agas, quæ te sustinere, vel agere vult Deus. Vtile admodum est, in his consuescere, vt, quidquid tibi contingit, modò nē sit tuum peccatū, statim in Deum authorem referas, ab eoque acceptes. Quod fecisse videntur olim Patriarchæ. Vnde est illud fratrum

Gen. 42. Ioseph, Gen. 42. *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Est hæc animæ dispositio Deo gratissima & ex se excellentissima; quia per illam

nos

nos expropriantes, in Deum quodammodo transimus, eadem volentes, ac nolentes, quæ ipse; agimus, & nobiscum agitur ex principio nobilissimo, diuina scilicet voluntate, quæ est ipse Deus; simus maximè amici cum Deo, quorum solet esse vnum velle, ac nolle; imò vnus cum eo spiritus. *Qui enim adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum illo*: cum SS. Trinitate familiaritatem inimus, *vt ad nos veniat, & mansionem apud nos faciat*, quod Christus promisit *sermonem eius seruantibus*, & voluntatem facientibus: consequimur id, quod à Patre æterno petijt Christus Ioan. 17. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*: Hoc enim cùm non fiat per naturam, fit per vnitatem voluntatũ. Denique ex hac voluntatis nostræ cum diuina conformatione manat summa animi *pax, quæ exuperat omnem sensum*, quæ nos in eodẽ vultu, in eadem animi æquitate semper constituit, quicunque casus eueniat; quæ est præstantissima dispositio ad perfectam contemplationem & absolutissimam sanctitatem. Reddimur hoc modo similes corpori perfectè quadrato, siue cubo, qui quomodocunq; moueatur, eodem in statu immotus manet. Verba illa: *Ab æterno ordinata sum*: Rabbi Himanuel vertit: *A sæculo tessellata sum*: quæ Salazar to. 3. c. 14. Beatæ Virgini accommodat; quia scilicet per modum cubi ita disposita fuit, vt, quamcunque in partem versaretur,

1. Cor. 6.
Io. 14.
Philip. 4.
Prou. 8.

stabilis in Dei voluntate, ac constans, animóque in se quieto permaneret.

IV. Secundò. Vt hæc cum diuina voluntate cóformitas sit firmior, non hoc tantùm tibi persuadere debes, quæcunque tibi, excepto tuo peccato, accidunt, venire à Deo; sed etiam & in tuum maius commodum, & in maiorē Dei gloriam cedere. Vnde non meliùs tibi fore existima, quàm si te totum diuinæ prouidentiæ, ac dispositioni committas, eáque tibi vtiliora fore, certissimò credas, quæ ex illa proueniunt, etiamsi humana ratio tota in contrarium nitatur; vti fecit Sanctissima Virgo in exemplis, initio capitis propositis. Pertinet enim ad Dei bonitatem, vt circa illum, *qui se* totum illi permisit, non nisi, quod maximè salutare est, statuat. Ponunt Theologi in Deo scientiam, quam vocant conditionalium, per quam nouit de vnoquoque nostrûm, quid in his alijsvé circumstantijs boni, malivé acturus esset, si in ijs poneretur, quos euentus sortiturus. Si igitur à Deo regi te sinas, suum esse pro sua benignitate existimabit, in eis te circumstantijs ponere, in quibus videt te bene acturum, & felices exitus habiturum. At verò si tuómet iudicio, dispositione & ductu; præsertim contra, aut præter dispositionem Dei niti velis, caue, nè in eum statum deuenias, in quo periturum te scit Deus, aut sortes infeliciter casuras. Ad hæc si tute tibi quid sine DEO eligas, v. g. offi-

cium

cium aliquod, &c. vel res tibi ad tuum nutum fluunt, vel contrà, quàm velles: Si ex voto fluunt omnia; tua, non Dei voluntas in illis ferè agitur, adeóque parum, aut nihil lucri spiritualis habes: Sin aduersa contingunt, non est; cui alteri, quàm tibi imputes, qui propriâ electione in ea te coniecisti. Non sic est, si DEI nutu munus aliquod obeas; nam si id prosperè, & præclarè administras; ex eius id tibi voluntate manare persuasum habes; & quia ex illa agis, semper cum merito, & DEI beneplacito agis, diuitiásque cælestes tibi aggeras. Quodsi aduersitate aliqua in eo munere premaris; Deo illam authori adscribis, & vt à DEO immissam, te nullam causam occasionémque præbente, libenter, & magno cum fructu toleras. Imò Martyrij pars quædam esse videtur, si, nullâ tuâ accedente voluntate, ex solo Superiorum imperio, aut alia, satis clara, diuinæ voluntatis significatione, in ærumnas aliquas, aut hominum improborum iniurias incidas. Licet enim eæ tibi ab hominibus illis propter DEVM non inferantur; propter DEVM tamen tibi contingunt, cuius vt voluntati satisfaceres, tuâ relictâ, dispositionéque tui de teipso, quâ fortasse infortunium illud potuisses euadere, omissâ, in illud incidisti, adeóque & à Deo, & propter Deum eæ tibi ærumnæ eueniunt; quod, vt dixi, ad speciem quandam Martyrij vide-

videtur spectare. Sed & in quibuscunque ærumnis ex Dei ordinatione sis, *habitabis in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei cæli commoraberis. scuto bonæ voluntatis coronabit te. Et si ambulaueris in medio vmbræ mortis, non timebis mala* (vera scilicet mala; nam pati propter Deum, non malum, sed bonum est) *quoniam ipse tecum est. & cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer*, & insuper *parabit in conspectu tuo mensam aduersus eos*, id est, è regione, & ex opposito eorum (hic enim est sensus litteralis huius loci) *qui tribulant te*, sæpeque fiet, vt inter hostes tutior, quàm inter amicos sis; quemadmodum Beatissima Virgo in AEgypto, & S. Dauid in Geth, *vbi* propter occisum Goliath Gethæum minimè tutus futurus videbatur, qui ob hanc in Dei prouidentiam, resignationem, & cum voluntate diuina conformationem *Vir secundum cor Dei* appellatur, quique in ea sola solidum habuit solatium, vt Psal. 22. loquitur: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt:* hoc est, tua prouidentia, quæ per virgam, & baculum pastoralem hic intelligitur. Porrò, quæ nunc dixi, cùm omnibus communia sunt, tum maximè ad eos pertinent, qui sub obedientia viuunt. Hi enim præcipuè, iudicio & voluntate propriâ abnegatâ, si cæcè Dei voluntatem, per Superiores declaratã, sequantur; admirabiles diuinæ prouidentiæ, *quæ in sui dispositione non fallitur*, effectus experiuntur, eiusque fructibus

Ps. 90.
Ps. 5.
Ps. 22.
Iob 11.
Ps. 22.
1. Reg. 13.

bus vberrimis atque animi pace, *quæ exuperat omnem sensum*, perfruuntur. Oranti aliquando (vt est in vita P. Balthasaris Aluarez) Ioanni Ximenez, Coadiutori temporali Societatis nostræ, summæ obedientiæ viro, apparuit Beata Virgo, eique dixit: *Perge, Ximene, per hanc cæcæ obedientiæ viam, quia rectè pergis.* Solebat ille deinde dicere, post hoc Deiparæ dictum non modò nunquam se in obsequendi studio passum vllam difficultatem; sed etiam nihil omnino esse, quod præterea expeteret. *Philip. 4.*

V. Tertiò. Vt magis ad hanc resignationem te excites, certò scias, præstantius, & Deo gratius esse, esse resignatum ad omnia, quàm ad vnum, quantumuis heroicum, v. g. ad profectionem Indicam, se se determinare; præsertim si id fiat cum animi inquietudine. Nam, qui se resignat ad omnia, & ad Indias, & ad alia omnia promptus, ac paratus est: at, qui solas Indias petit, in ijs sistit, alia excludit. Quare præclara fuit mens P. Hieronymi Natalis, ex quo cùm S. P. Ignatius quæreret, vt, ad quid magis propenderet, ediceret; re diu agitatâ, respondit, se nihil alterius propensionis in se animaduertere, quàm ad hoc, vt ad nihil propendeat, interea paratum se esse ad omnia.

VI. Quartò. Hoc tamen non impedit, quò minùs, seruata resignatione & promptitudine ad omnia, offeras te, si Superioribus, & Deo

placeat,

placeat, peculiariter ad heroica quædã agenda, aut patienda; tunc enim & resignatio ad omnia, & heroica determinatio ad vnũ, in maiorem Dei gustum, & tuum meritum cedunt. Hoc est (quod suos Patres tertij anni monebat P Balthasar Aluarez) *habere excelsas cogitationes filiorum Dei.* Multò autem magis, si arduum quid nobis Deus imperet, aut valde ærumnosum de nobis disponat; de manu eius cum omni resignatione, & conformitate accipiendum est, nullâ habitâ rerum nostrarum, aut existimationis, aut humani respectûs, aut iudicij, aut amoris proprij, in quibus se superare difficillimum esse solet, aut cuiusquam alterius rei ratione: vt dicamus cum Iob *in quouis acerbissimo casu: Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Hoc enim demum dignum Deo est, in rebus maximè arduis, ac difficilibus illius se conformare voluntati; ad quod mentis excellitate & magnitudine est opus, vt constante atque erecto animo vel aggrediare quodlibet arduũ opus, vel quantamlibet aduersitatẽ excipias; quemadmodum fecit Mater dolorosa; quæ, licèt doloribus omnibus obruta, quales nemo vnquam in hac vita sustinuit; stetit tamen, nullum deliquium, nullum spasmum passa, nihil; non modò quod indecorum esset, sed quod pusillitatem aliquam animi præ se ferret, ostẽdens, vt lib. 1. c. 10. §. vltimo est dictum, animi generositate vim doloris superante. Iephte, cùm

Iob 1.

cùm ei post votum temere factum filia vnigenita occurrisset, ingenti quidem animi mœrore ictus; eò tamen se resoluit, vt diceret: *Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero*, atque ita, quantumuis sensu doloris acerrimo remanente, votum persoluit, filiamque sacrificauit. Multò certè magis Virgo benedicta Filium vnigenitum, gratissimũ Deo holocaustum in crucem, & mortem sanctissimè obtulit, dolore quidem immenso cõtrà nitente, atque intima præcordia depascẽte, animamque ipsam penetrante; sed qui mẽtem Dei voluntati, & beneplacito fixissimè, fortissimeque inhærentem nihil de constantia dimoueret. Hæc enim denique vera est animi magnitudo: ab eo, quod vult Deus, nullis machinis dimoueri. Similis generositas adhibenda cum resignatione est, quando graues tentationes, Dei permissu, & voluntate, aliæue difficultates incidunt, *quæ, cùm tentatis occurrunt* (inquit Sacchinus p. 2. hist. Societ. lib. 8. n. 135.) *non quemadmodum eas declinent, sed quo pacto superent, consilium ineant: Ingruunt enim multiplicatæ in fugientem: contráque fortiter euntem fugiunt.* Et idem est aliorum, qui res asceticas tractant, sensus, nullâ re magis frangi tentationes & superari, quàm si eis, Dei ope fretus, non timido & pusillo, sed magno & generoso animo occurras; præsertim si sine mora id facias. Iud. 11.

Resi-

Resignatio in morbis.

VII. Quintò. Multiplex est occasio exercendæ resignationis in morbis. Primùm quidem, vt morbum acceptes præ sanitate, quia illũ vult Deus; præsertim cùm, vt loquitur S.P. Ignatius, *ægritudo non sit minus donum Dei, quàm sanitas*. Et quæ, rogo, potest esse ratio, vt sanitatem desideres? Ea (fortasse inquis) vt sanus Deo meliùs seruiam. At qui tandem illi potes seruire? Vtique non aliter, quàm faciendo eius voluntatem; hoc enim est, alteri obsequi & seruire. Atqui Dei voluntas nunc est, vt morbum feras. Habes igitur in morbo, quod in sanitate quæris. Imò verò, si Deus te sanum non vult esse, sed morbidum; idipsum, vt Deo seruire posſis, in sanitate non habes, in morbo habes. At enim, vellem, ais, vt Deus vellet, me esse sanum, vt illi in sanitate, iuxta eius voluntatem, seruiam. Si hoc cupis, non vis, quod vult Deus; sed vis, vt velit, quod tu vis, atque adeò tuam voluntatem ante Dei voluntatem habes, eique anteponis. Hoccine est, Deo seruire, suam illius voluntati anteponere? Quòd verò ais, te Deo in sanitate iuxta eius voluntatem seruire velle, valde erras, & repugnantiam in adiecto (vt loquuntur in scholis) ponis, qui scilicet, volente Deo, te esse infirmum; dicis tamen, te iuxta eius voluntatem velle esse sanum, atque ita illi seruire. Quare Sanctiſsimæ voluntati Dei te conforma, morbum

Regula Sum. 50.

de ma-

de manu eius acceptando; præsertim cùm per eum Christo patienti, & Matri dolorosæ fias similior; & has cogitationes, quæ te ab hac conformitate auocant, tanquam Dei voluntati repugnantes abige, similesque alias, quales esse possunt: quod v.g. tuo morbo alijs molestiam crees; quod Religioni (si Religiosus es) sis oneri; cogitaque, quòd sicut Dei voluntas est, vt tu morbum sustineas; ita est eiusdem voluntas, vt alij te in hoc morbo tolerent; atque ita vtrique te cõforma. Mater dolorosa sub cruce Filio sua præsentia dolorem auxit, & vicissim Filius Matri, vt dictum est lib. 1. c. 10. §. 8. & vterque se Dei voluntati cõformarunt, neque ob id aut Virgo crucem deserere, aut Filius ex ea descendere voluit.

Neque etiam id te nimiùm angat, (qui angor multis obrepere solet) quòd laborare pro Deo non possis, & dotibus ab eo acceptis vti; sed in hoc acquiesce, quod Deus tuâ operâ vti in hac infirmitate nolit, gratiusque tibi sit, sic explere Dei voluntatem, quàm totum mundum conuertere; quandoquidem Dei voluntas totius recti norma est, sine qua si mundum velles conuertere, aut reipsa cõuerteres, non rectè ageres. Imò verò, gaude, Deum esse tam perfectum, vt tuâ operâ non indigeat, & facilè posse alterum inuenire, qui eius gloriam magis, quàm tu, similibus dotibus promoueat; idque vt fiat, opta. Ad hæc, si

ægri-

ægritudo tua, & debilitas tam grauis non est, vt te ab omni prorsus labore impediat; fac pro Deo, quod potes, tametsi maiore cum difficultate, quàm si sanus esses. Deus enim, *qui infirma mundi eligit*, solet aliquando per ægros quædam pro sua gloria efficere, quæ non efficit per sanos, vt in ijs verum fiat illud S. Pauli 2. Cor. 12. *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Admirabilia sunt, quæ dixit, fecit, scripsit decreuit S. Gregorius Magnus infirmâ semper & ægrâ valetudine. Magnus item Basilius quot libros conscripsit, quanta egit, cùm, præter ossa & pellem, nullâ *præterea* corporis parte constare videretur? Idem de P. Ludouico de Ponte dici potest, qui tenuissimæ valetudinis, corpore exhausto, in doloribus & morbis continuis, atque atrocibus ea volumina, & opera spiritualia composuit atque edidit, quæ tam eximio cum fructu passim omnium Religiosorum, ac piorum manibus teruntur. Est enim id Deo gloriosum, per infirma instrumenta res præclaras patrare, vt nihil sibi, suisque viribus arrogent; sed Deo gloriam omnem, laudemque tribuant.

VIII. Neque item existima, te per morbum in via perfectionis impediri; quin imò certò tibi persuade, te eo iuuari. Nam inprimis multas imperfectiones & peccata ægrotus euitas, in quæ fortasse sanus incidisses; ad vnum autem quodcunque peccatum vitandum non modò morbus

morbus quiuis; sed etiam mors atrocissima eligenda est; præsertim si ad eum finem vt medium proponatur à Deo. Deinde virtutum exercitium, quæ ad perfectionem disponunt, magis in morbo vigere potest, vt: humilitatis, quam morbus ipse suadet; patientiæ, obedientiæ, resignationis &c. Præterea quid te impedit, quò minùs voluntate & desiderio feraris ad ea facienda pro DEO, siue quæ ad perfectionem tuam, siue quæ ad DEI gloriam promouendam pertinent, si posses, quæ facere per morbum & debilitatem non potes? DEVS autem voluntatem habet pro facto. Vbi aduerte statûs tui felicitatem; quòd ex vna quidem parte ob virium defectum certus sis, quòd non possis quædam præstare, per quæ videris tibi gloriam DEI, profectumque tuum promouere posse, atque adeò liber es ab inquirendo (quod sani facere debent) plúsne, an minùs vires tuas impendere debeas in labores pro Deo? Nam, si, vt nunc suppono, nullas vires habeas, eâ curâ inquirendi solutus es; ac proinde non habes, quod metuas, quod sani metuere debent, nè fortè minus, quàm possis, agas. Ex altera parte potes velle, idq; syncerè, & ex animo quoscunq; labores & occupationes pro gloria Dei qualcunq; mortificationes & virtutis exercitationes, quas sani faciunt; quippe volũtas tibi imputabitur pro facto. Quodsi etiam ita vehementi studio labores appetis, finge te

sic

sic laborasse, vt ad tantam debilitatem perueneris, quantam nunc sentis, vellésne illam sic contraxisse laborando? Velles certè, si tantopere laborare desideras. Vellésne etiam contractam tolerare? ita sanè. Tolera igitur eandem nunc quoque in gratiam Dei, eique sic offer, ac si ex laboribus desideratis contracta esset. Quid si in Martyrio pro Deo eædem ærumnæ, quas nunc sentis, inferrentur, & ab ijsdem impedirêre laboribus, v.g. constitutus in carcere; an non tuâ sorte contentus esses? Idem nunc age sisque contentus, quòd & propter Deum, &, quod maximæ considerationis est, à Deo, qui morbi tui author est, hãc sortem subeas, esto tibi à fidei hostibus non inferatur, quod potiùs quodammodo in lucro repone, cùm patiaris sine vlla offensa Dei, à quoquam commissa.

IX. Aliud prǽterea est, in quo exercenda est in morbo resignatio, nempe vt acceptes de manu Dei, eiusque prouidentiæ adscribas, cùm v.g. error in curatione contingit; de quo habemus exemplum S.P. Ignatij, qui peruersam assidui languoris curationem triginta ferè annis, necessitati contrariam, adhibitam, promptè & obedienter sustinuit, fouendo stomacho intentis Medicis, cùm refrigerare iecur deberent; item, cùm per incuriam ministrorũ aliqua vel in parãdis cibis, vel in alio quolibet genere aduersa, aut inexpectata, quin etiam valetudini noxia eueniunt, quæ in Deum

referre

referre debes, ab eo tibi in bonum permissa, aut volita, secutus exempla Sanctorum, quæ Alphonsus Rodriquez p.1.t.8.c.17.refert.

X. Denique, ita te in Dei beneplacitum resigna, offerque in verum Sacrificium, & holocaustum Domino, vt velis ad eius, si ita illi libeat, gloriam & gustum morbis, atque ærumnis consumi, & instar thuris ei in odorem suauitatis quodammodo in auras, & in nihilum abire, vt de te simile quid dici possit, quod de Matre dolorosa Cant.3.dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum* (in quo nihil humani solatij inuenitur; imò & cui subtracta sunt diuina solatia, vt sit planè desolata, & quasi deserta) *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ* (omnium scilicet amaritudinum ac dolorum, qui illam, velut in *fumum*, dissoluunt) sed simul etiam *thuris*, *& vniuersi pulueris pigmentarij*, hoc est, virtutum omnium, quæ Deo in suauissimum odorem cedunt.

CAPVT XI.

Deuotio, & familiaritas cum Deo.

I. AGendi cum Deo & precandi studium, deuotionem familiaritatémque appellamus. Id in Sanctissima Virgine ita & continuum & eximium fuit, vt ipsius viuere, esset precari & cum Deo agere. In ipso vtero materno, à primo statim momento creationis

Deum adorare, reuereri, magnificare, laudare & orare incepit, perrexitque totâ vitâ semper, nullâ part culâ temporis, nè in somno quidem prætermissa. Vix è cunis egressa, etiamnum trimula, in templum concessit, vt tota orationi, contemplationique vacaret. Triginta annis, quos cum Christo ante eius prædicationem exegit, quid fecit aut aliud, aut magis, quàm orauit? Et quæ potuit arctior tunc esse familiaritas cum Deo, quàm ipsi quippe Matri cum Filio, cuius præsentiâ continuâ fruebatur, & quoties ei loquebatur, Deo loquebatur? Vide, quæ diximus lib. 1. cap. 5. vbi fusè hanc familiaritatem explicauimus; huc enim pertinent. Neque minor deinceps fuit illi cum Deo familiaritas; DEO enim Filio adhæsit vsque ad eius passionem & mortem, vt, qui *in vita dilexerunt se*, etiam *in morte* secum essent nexu inseparabili. Adhæsit autem, totum illud passionis tempus varijs precandi modis tribuendo, quos sparsim libro primo attigimus; vt: Filium Patri æterno offerendo, &c. Denique post Filij passionem & mortem, idem, & multò magis (vt quæ semper in deuotione creuit) fecit, vt pronum est cuiuis cogitare, & ex his, quæ libro 1. cap. vltimò attulimus, constat. Iam qualis, & quàm ardens hæc fuerit deuotio, quis edisserat? vni DEO id notum est.

Hanc deuotionis & familiaritatis cum Deo ideam

ideam tibi ob oculos statue, vt eam quàm proximè exprimas, si ad insignem perfectionis gradum vis pertingere: quantò enim ferè magis orationi fueris deditus, tantò scandes altiùs: quantò fueris Deo familiarior, tātò plus ex illo Sole, diuinæ lucis in te deriuabis. Nam *omne donum perfectum, & omne datum optimum desursum est, descendens à Patre luminum*, siue à Sole illo, cum quo sæpe agentes, in similem charitatem transformamur, teste S. Paulo 2. Corinth. 3. *Nos verò*, inquit, *reuelata facie* (mysteriorum fidei, non habentes videlicet *velamen* illud, *quod positum erat super oculos Iudæorum*, de quo præmiserat Apostolus) *gloriam Domini speculantes* (hoc est, in Christo, quasi in speculo, intuentes, & meditando, orandoque considerantes) *in eandem imaginem transformamur* (vt quasi per reflexionem radiorum lucis Christi, vt speculi, in nos, fiamus toti lucidi luce fidei & gratiæ, &, vt ait S. Chrysostomus, & Theoph. *quasi Soles quidam*) *à claritate in claritatem*; clarius scilicet in dies, ac clariùs plusque semper ad Domini spiritum de luce illa inaccessibili participamus, efficimurque *diuinæ consortes naturæ*, gratiâ & donis cælestibus pleni, Deóque quàm simillimi. Sic Moyses habuit cornutam faciem, id est, radiosam ex consortio Domini. Et de CHRISTO dicit S. Lucas: *Ascendit in montem vt oraret. Et facta est, dum* Luc. 9.

oraret, species vultus eius, altera; quia nempe *transfiguratus est. Et resplenduit facies eius sicut Sol*, vt nobis in se repræsentaret orationis efficaciam. Vnde Tertullianus lib. 5. contra Marcionem, in paulò antè citato textu S. Pauli 2. Cor. 3. pro: *Nos autem &c. transformamur*, legit, *transfiguramur*, quasi alludat D. Paulus ad transfigurationem Christi in monte Thabor. Nolo de hoc pluribus agere; passim enim Authores deuotionis, familiaritatisque cum Deo quanta sit non modò vtilitas, sed etiam ad perfectionem necessitas, ostendunt. Lege P. Aluarez de Paz initio tomi 3. fusè de hoc per aliquot capita discurrentem. Videndum potiùs nobis est, in quibus, & *quomodo* sit ad imitationem Deiparæ exercenda.

II. Primùm igitur omne studium & diligentiã in id confer, vt, si quas habes ex obligatione preces persoluendas, quàm accuratissimè exactissiméque persoluas: hæc enim cura alias omnes anteire debet, tum ob rei præstantiã, cui negotia alia facilè concedunt; tum quia, vt alia negotia bene peragantur, idipsum ab oratione pendet. Itaque cauendum tibi vehementer est, nè aliquo prætextu, ob nõ sufficientia impedimenta statam orationem, v. g. horarum Canonicarum, si Sacerdos sis, aut aliam in aliud tempus differas, nè abrumpas, nè loco, temporéve incommodo peragas, nè decurtes, aut quidquam, ad integritatem spectans, omittas; vt ita denique te geras, vt appareat,

pareat, nihil te habere oratione antiquius. Sed & prima, ac præcipua cura tua sit, preces, quæ obligationis sunt, priùs, aut potiùs, studiosiúsque absoluere; tum deinde, quæ supererogationis: Item communes anteponere priuatis, aut saltem non minore accuratione in illis, quàm in his versari. Sanctissima Virgo, prætérquam quòd domi orationi, & familiaritati cum Deo esset dedita, certis temporibus quotannis ibat Hierosolymam trium dierum itinere distantem à Nazareth; hoc est, leucis plùs quàm triginta, quarum singulæ vnius horæ erant. *Ibant*, inquit S. Lucas, *parentes IESV per omnes annos in Ierusalem in die solemni Pascha*, nempe vt communes cum toto populo preces funderent, & Sacrificijs participarent; legique se subderent. Neque solùm ad festum Azymorum, siue Paschatis eò se conferebat, sed ad alia etiam festa, quæ multa per annum erant. Paschæ tamen præcipuè S. Lucas facit mentionem, quòd ad id libentiùs Virgo se conferret, siue quia inter omnia festa solemnissimum erat; siue quia humani generis redemptionem, & Christi passionem (cui recolendæ Virgo dolorosa addicta erat) agno paschali, rebusque alijs repræsentabat. Ob quam causam verisimile est, festum Expiationis (quod decima die mensis Tisri, quarto ante Scenopegiam die colebatur) cupidiùs quoque adijsse; quòd tale id etiam esset, talibusque cultum cæremonijs, vt eo nulla expressior

Luc. 2.

esset *imago* passionis Christi. Tu vide, vt Matrem dolorosam & obeundis accuratè, quæ ex lege vel obligatione debes, pietatis exercitijs; & deuotionis, quam in ijs adhibuit, ardore, quantum pro modulo tuo potes, imitatione exprimas.

III. Secundò. Author tibi sum, quisquis es, qui hæc legis, vt quotidie præter vocalem orationem aliquod etiam tempus mentali, seu meditandis diuinis rebus; præsertim mysterijs vitæ, & passionis Christi, tribuas: per hãc enim orationem maximè id consequimur, quod loco suprà citato ait S. Paulus: Vt *gloriam Domini*, id est, Christum, is enim est gloria Dei, & ita appellatur Psal. 16. *speculantes, transformemur à claritate in claritatem.* Nam, vt ait S. Aug. *tota vita Christi per hominem, quem in terris gessit, morum disciplina, & speculum fuit*: quod speculum si assiduè mentis discursu intueamur, illique mores nostros voluntatis affectibus ac desiderijs conformare conemur, in alios planè viros transformabimur, cælestes, Angelicos, & diuinos; imò Christum ipsum quadantenus referemus. Huius mentalis orationis modum S. P. N. Ignatius in aureo illo Exercitiorum Spiritualium libello nobis reliquit, edoctus à Beatissima Virgine, vt scribit P. Ludouicus de Ponte in vita P. Balthasaris Aluarez; vbi ait, Angelum Gabrielem cuidam personæ sanctæ & probatissimi spiritûs (*putatur*

tur

tur fuisse Marina de Escobar, notissimæ in Hispania sanctitatis Virgo, cuius Pater de Ponte Confessarius multis annis fuit) Anno 1600. apparuisse, & nomine Beatissimæ Virginis MARIAE hæc dixisse: *Significat tibi, se fuisse, & esse tanquam patronam, & fundatricem illorum Exercitiorum Societatis, seque adiuuisse, & docuisse S. Ignatium, vt ita fierent, ideoque hoc nomine se initium dedisse huic operi: quin etiam se similibus exercitijs, dum in hac vita esset, vsam esse.* Si ergo tu quoque horum Exercitiorum modo vteris, & doctrinam Beatissimæ Virginis, & exemplum sequêris.

Tertiò. Imitanda est virgo Deipara in eo, vt deuotio nostra, familiaritasque cum DEO sit continua; hoc enim etiam præcipit Dominus, Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* & S. Paulus 1. Thessal. 5. *Sine intermissione orate.* Idemque ait Ecclesiasticus cap. 18. *Non impediaris orare semper.* Id autem (missis alijs explicationibus, ad propositum nostrum non facientibus) fiet, si continenter in præsentia DEI verseris; quod est medium efficacissimum ad omnem sanctitatem. *Ambula coram me, & esto perfectus*, dicit DEVS Abrahamo. De quo medio multa Ascetici Authores, quos consule: neque enim breuiter explanari potest. Deinde, si omnibus alijs IV. Gen. 17.

actionibus tuis orationem adiungas, quod monet S. Basilius in reg. fusiùs disput. reg. 37. eas Domino ad ipsius gustum offerendo, idque per Christum, vt in Fontibus Saluatoris est dictum; inuocando etiam diuinum auxilium, ad hoc, vt rectè obeantur, alijsque pijs considerationibus, & affectibus mentem occupando. Hoc est, vt loquitur S. Ignatius, *in* reg. 19. *deuotè obire* munia nostra; præsertim *ea, in quibus exercetur humilitas & charitas;* hoc est, *holocausta* actionum nostrarum offerre *medullata*, & pinguedine spiritûs delibuta; nam alioqui opera sine interna deuotione & spiritu facta, marcida, & quasi mortua sunt coram Deo. Quatuor illa animalia, quæ trahebant currum gloriæ Dei, Ezech. 1. præter pedes, manus & alas, spiritu indigebant: vnde *vbi erat spiritûs impetus, illuc gradiebantur:* pari ratione, vt in gloriam, & beneplacitum Dei quid facias, ad pedes & manus, hoc est, ad opera externa, spiritum deuotionis addas, necessè est. Et, sicut homo ad exercenda opera vitæ, sensuumque functiones indiget spiritibus, tum in corde, eius calore elaboratis, qui dicuntur vitales, tum in cerebro, qui animales, sine quibus membra torpent, & quasi mortua sunt; ita ad operationes nostras, quas membris, aut sensibus nostris exercemus, adhibendus est spiritus, qui & sit instar radij, siue luminis diuinæ cognitionis ex cerebro per piam considerationem, & instar scintillarum

Psal. 65.

ignis,

ignis,è calore cordis prodeuntium sanctorũ affectuum;tunc enim verè vitalia,& Deo grata opera operabimur.

Porrò præter deuotionem, quæ in obeundis actionibus nostris adhibenda est, alijs etiã modis continua cum Deo familiaritas procuranda est, captando occasiones ex obuijs rebus,quibus mentem in eum eleuemus,&sanctâ cum illo consuetudine fruamur;vt suadet idem S.Basilius ho.in Martyr. Iulittam; nunc agendo gratias pro beneficijs, quæ fortè iam tibi,alijvé à Deo tribuuntur; nunc Deum ex consideratione creaturæ alicuius, aut euentûs laudando; nunc hominibus bene precando,& varia postulando:item, cùm audis v.g. pulsum ad Missæ Sacrificium,illud cum omnibus alijs,quæ in toto mundo fiunt, Domino per Christum,vt primarium Ministrum,ad infinitam eius gloriam offerendo, eandemq́ue per Christum oblationem faciendo, cùm opus bonum ab aliquo patrari vides; & similia multa, quæ congesta sunt in *Fontibus Saluatoris*,in quibus quantò magis te exercebis,tãtò propiùs imitatione ad Beatam Virginem accedes. Præterea vacuæ temporis particulæ in certis quibusdam pietatis exercitijs, & internis cum Deo familiaritatis actibus insumendæ sunt, his, vel illis, prout aut animæ necessitas,aut opportunitas exigit. Ad quod etiam iuuerit,quoties hora,vel quadrans auditur,mentem in Deum per iaculatorias ora- V.

 tiones

tiones attollere: & consultum est, cum seruare in ijs ordinem & modum, qui præsenti animæ dispositioni, statuique nostro maximè congruit. v. g. singularum virtutum affectus singulis quadrantibus alligando vt: si, auditâ horâ, actum amoris, in Deum elicias, cum oblatione operum eius horæ, idque per Christum; primo quadrante, actum humilitatis cum contemptûs tui desiderio: Secundo quadrante, actum resignationis ad omnê Dei nutum, oblationisque tui ad omnia obsequia Deo præstanda. Tertio quadrante, actum charitatis in proximum. aut, si alij magis tibi conueniunt, illis stude. Neque tibi hæc, quæ hactenus commemorata sunt, de frequenter eliciendis actibus internis, impossibilia videantur. Licèt enim principiò difficultatem sis experturus; si tamen illi non cedas, & constanter in proposito perseueres, sensimque à facilioribus ad difficiliora, à paucioribus ad plura, debita cum moderatione progrediaris; experieris tandem, cum diuina gratia, eò te progressum, quò nec aspirare te posse antè putabas; idque sine magna capitis applicatione, fatigationéve. Fidem pænè superant, quæ de multis Sanctis viris in hoc genere referuntur, qui multa talium actuum & deuotionum millia intra vnum diem numerabant; imò tot eliciebant, vt numerari non possent, cum ingenti meritorum thesauro, summáque cum Deo

Deo consuetudine, ex qua bona omnia promanant. Puta ergo, fieri posse, quod factum est, &, Deo fretus, eò tu quoque paulatim tende. Agendum hîc esset de oblatione meritorum CHRISTI, per Beatam Virginem DEO facienda, valde & nobis salutari & DEO grata. Sed de hac infrà lib. 5. prax. 17.

CAPVT XII.

Reuerentia in DEVM, & res diuinas.

QVantò familiarior fuit Deo Virgo Deipara, tantò maiorem erga eum habuit, profundiorémque reuerentiam, vt ostendi lib. 1. cap. 6. §. 1. quem consule; huc enim, quæ ibi dicta sunt, pertinent; nè, quod sæpe aliàs etiam moneo, idem bis dicamus. Similem nos illi quoque concipere debemus, eóque profundam magis, quò viliores sumus. Consistit autem hæc reuerentia partim in intellectu, partim in voluntate. In intellectu quidem, quàm maximum conceptum formando maiestatis, magnitudinis, & excellentiæ Dei supra omnes res creatas & creabiles, & supremi in eas omnes dominij: In voluntate autem, toto affectu nos huic magno Deo, & Domino nostro subijciendo, & quàm submissisimè inclinando, omnesque motus cordis ita componendo, vt nihil sit, quod ma- I.

iestatem eius infinitam dedeceat: sed & exteriori corporis gestu ac situ, cùm res postulat, subiectionem hanc nostram, submissionemque contestando, eo ferè modo (sed longè sublimiùs) quo homines alijs hominibus, se excellentioribus, v.g. Regibus præstare reuerentiam solent.

II. Itaque, vt Dei, vt par est, reuerens sis, hæc obserua. Primò. Deum, quantum potes, magnifica atque æstima; secutus Beatissimam Virginem, quæ in aureo illo suo Cantico ait: *Magnificat anima mea Dominum*; simulque eius magnalia recenset, & attributa deprædicat, vt: Misericordiam, Iustitiam, Fidelitatem, &c. imparemque te semper agnosce cum omnibus Creaturis, ad concipiendam *multitudinem magnitudinis eius*; & minimum id esse, quod ex infinitate illa concipimus. Ita loquitur Ecclesiasticus c. 43. *Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Beneditentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute: Ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa absconditæ sunt maiora his: pauca enim vidimus operũ eius.* Quod si in operib⁹ suis satis glorificari, exaltari, æstimarique non potest, quid in seipso?

Secun-

[illegible] compella Deum titulis, quàm III.
[illegible]ficentissimis; sic enim & inter [illegible] fieri solet, quibus honor ac reueré-[illegible]ur. P. Ludouicus de Ponte, magnus [illegible]ginis, è Societate nostra, amator, [illegible] Deo loquebatur, hoc epithetum [illegible] *Deus noster*. Didicisse hoc vi-[illegible] Virgine, quæ itidem magnificis [illegible] indigitabat; vt: *Qui potens est: & nomen eius.*

[illegible]ò. Abijciamus nos, quantùm possu- IV.
[illegible] vilitatis nostræ coram Deo, a-[illegible]s, nos esse opus manuum eius, quod [illegible] momento possit destruere, si velit, [illegible]uteum, inferioris conditionis, quàm [illegible]guli; nos nihil esse, & posse; sed ab ip[illegible]re semper in esse, conseruari, & o-per[illegible] libenter habeamus, quòd neque [illegible]que possimus quidquam sine illo; [illegible]s, nisi per omnia ab illo depende-re. Hoc videtur innuere voluisse Virgo San-[illegible], cùm diceret: *Ecce Ancilla Domini, fiat* Luc. 1.
mihi [illegible]c. & : *Fecit mihi magna qui potens est*: [illegible] nec in se, aut sibi, nec à se fieri quidquam [illegible]nisi per illũ, qui, vt ait S. Paulus 1. Tim.
[illegible] *potens est, & solus est*; nam alia, *quasi* Is. 40.
[illegible] *sic sunt coram illo.*

Quartò. Quidquid obsequij illi præsta- VI.
mus, id, sicut reuera est, ita parum, aut nihil nobis esse videatur, respectu illius. Ita & Beata Virgo, & Sancti fecerunt ac faciunt, qui

quò magis in Sanctitate procedunt, eò minoris se, suáque obsequia æstimant, Deique reuerētiores sunt; quia indies plus luminis acquirunt, ad intelligendam magis superexcessiuā ipsius excellentiam, & nimis quantam Maiestatem: Intelligunt item, si se cum illo comparent, suam abyssalem vilitatem; ob quam, qualiacunque obsequia, ac quæcunque sanctitas nihil sit respectu illius. Hinc nunquam sibi satisfaciunt in Deo honorando & reuerendo; & quidquid agunt, inferius debito existimant; quin eò tandem ex collatione sui cū Deo deueniunt, vt præ quodam horrore illius Maiestatis, in eius conspectu contremiscant; &, si ita fieri posset, coram illo comparere *non* sustinerent, iuxta illud Iobi 26. *Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* &, vt canit Ecclesia: *Adorant Dominationes, tremunt Potestates*, qui tremor admiratio quædam est, & stupor superexcelsissimæ illius essentiæ. Quodsi Daniel Propheta, Dan. 10. ad conspectum vnius Angeli *iacebat tremens, & consternatus, super faciem suam, & vultus eius hærebat terræ, & non remansit in eo fortitudo, sed & species* eius *immutata est in* eo, *& emarcuit, nec habuit quicquam virium*; hic, inquam, si fuit tremor hominis, diuinis rebus alioquin assueti, coram Angelo, quis debet esse tremor hominis coram Deo, quem tremunt ipsi Angeli? Magnam vim habet Sanctorum, & Angelorum hæc

nata

tanta erga supremum Numen reuerentia, vt nos quoque, ad aliquam saltem, ei quadantenus similem, permoueamur: cùm enim cognitio illorum sit rei veritati conformissima, possumus nos secundùm illam regulare, esto nobis tam perspicua desit; sicut solemus prudentûm virorum iudicio etiam in alijs rebus agendis niti, quantumuis id, quod illi sentiunt & nos docent, non satis intelligamus. Et eò quoque reduci potest reuerentia illa Dei, quæ fit per silentium, iuxta illud Psalmi 64. *Te decet hymnus, Deus in Sion.* quod quidam legunt: *Te decet silentium, Deus in Sion*; quo coram Deo, ob immensam eius magnitudinem & maiestatem obmutescimus, & illi succumbimus, agnoscentes, nos non posse eã, vt decet, æstimare, laudare, reuereri; idque ad eius gloriam coram illo, & toto mundo profitemur.

VI. Quintò. Cùm ex nobis Deum, vt par est, reuereri atque adorare nequeamus, adiungamus nos mente ac spiritu Deiparæ, & Diuis in cælo, submississimè id præstantibus per Christum hominem Deum, qui noster est Aduocatus, Mediator, & per quem, vt canit Ecclesia, *Maiestatem Dei laudant Angeli, adorant Dominationes*, &c. Solus enim Christus est, per quem Deus dignè, &, vt decet Deum, glorificari, adorari & coli potest, & ei reuerentia debita præstari. Qua de re fusè egimus in secunda parte libelli, qui inscribitur:

Fontes

Fontes Saluatoris: variásque praxes attulimus, quas consule.

VII. Sextò. Ad imitationem purissimæ & immaculatissimæ Virginis, ob Dei reuerentiam, ex oculis Diuinæ eius Maiestatis, quæ vbique præsens est, & perspicacissimè videt omnia, remouendum est, quidqnid illi displicere potest, sicut ex oculis honoratorum hominum, quidquid fœdum visu est, quidquid nauseam, aut displicentiam potest mouere, solemus illico amoliri. Itaque si per humanam fragilitatem contingat, nos in aliquod, quantumcunque leue, & veniabile peccatum labi, nè per vnum quidem momentum in eo, quoad fieri potest, hæreamus; sed confestim *maculâ* illam vera cōtritione abstergamus: quemadmodum faceremus coram Viro honorato, si vel faciem maculâ, vel sputo vestem conspurcatam animaduerteremus. Quin etiam, hoc Dei honori, ac reuerentiæ demus, vt nos reatu etiam pœnæ quàm primùm exsoluamus, modis in Ecclesia vsitatis; gratior enim Deo est anima, eiusque conspectu dignior, ab hoc reatu libera; sicut Regem aulicus plùs reueretur, si pro pœna; quam, tametsi in gratiam receptus, illi debet, sine mora satisfaciat. Denique imperfectiones quoque, quamuis illis nullum adiunctum sit peccatum, ex conspectu superreuerendæ Maiestatis diuinæ remouendæ sunt, vti & noxæ indeliberatæ, quantum fas est, & saltem dolendo, siue actum displi-

displicentiæ eliciendo de vtrisque (non tamē anxiè & scrupulosè) vt nostrum erga profe-ctionem animum atque affectum eâ ratione contestemur. Placet Deo is dolor; gaudet enim, si cui doleat, se non habitum eo loco, quo oportebat, & cura proficiendi illi non placere non potest. Et certè voluit sibi, Leuitici 4. in lege veteri offerri Sacrificia pro peccatis etiam ex ignorantia commissis.

VIII. Septimò. Sicut peccata, & imperfectiones commissæ statim sunt abolendæ; ita cauendū, nè committantur. Huc pertinet timor ille filialis, qui est ex septem donis Spiritûs Sancti, quo timemus Deum vel leuissimè offendere; quo modo probi filij timent offendere parentes; nasciturque ex Dei amore, atque æstimatione. Hunc timorem fuisse in Beatissima Virgine, testatur S. Brigitta lib. 1. reuelationum c. 10. & lib. 3. c. 8. *Cùm primùm*, inquit, *MARIA puella Deum intelligere cæpit, non sine metu, & cura de suo munere, quod summo deberet Numini, non pueriliter cogitauit; postea verò, cùm eundem Dominum, Creatorem, omnis vitæ spectatorem, & Iudicem intelligeret, statuit, illum maximopere reuereri, nè quidquam committeret, quo tanta Maiestas offenderetur.* Idem timor Sanctos eò adigit, vt etiam mortem celeriorem, nisi Dei voluntas obstet, expetant, nè fortè peccati aliquid coram Deo consciscant, cùm sciant, quanta sit vel vnius venialis coram illa Maiestate horribilitas; &

ex

ex altera parte nostra fragilitas, & ad peccandum pronitas; cognitis præsertim multorum exemplis, qui, cùm diu sanctè vixissent, tandé fœdè lapsi sunt. Vnde vehementissimè se coram Deo humiliant atque abijciunt; sibi penitùs diffidunt, vt, qui ex se in omnia peccata ruerent, & ad nihil boni agendum vires habeant, &, cùm Deo aliquid gratum facere volunt, indigeant auxilio supernaturali, eo se ex se & per se indignos, & inidoneos; imò, vt id eis denegetur, suis vitijs & imperfectionibus meritos ac dignos reputant. Atque in hoc humilitatis affectu consistit timor ille, quem S. Thom. 2. 2. q. 19. a. 9. vocat *reuerentialem*. Reuocari huc etiam potest timor gehennæ, vel potiùs timor Dei, gehennâ punientis, quem commendat Christus, Matth. 10. *Ostendam vobis, quem timeatis. Timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Vt auté is timor sit perfectus, & ad maiorem Dei reuerentiam spectet, non ideo præcisè gehenna timẽda est, quia est grauis & acerba pœna. Imo verò viri Sancti, qui Deo, ob summam eius æstimationem & amorem omnia eius diuina attributa, perfectionesq; volunt, & de eis gaudent, volũt etiã ei iustitiã, deque ea gaudent, adeoq; gaudent, infernum & purgatoriũ esse, ad vindicãda sua peccata, si in eis non expiatis permanere vellent; quod singulariter de P. Ludouico de Põte in eius vita refertur. Ideo igitur infernum timent,

Matt. 10.

ment, nè in eo sint perpetui Dei inimici, & in malo obstinati, nè eum cum cæteris damnatis blasphement, vel odio habeant, aut nè alios blasphemantes audiant, vel eum odientibus associentur; quod illis omnibus alijs gehennæ cruciatibus longè dirius est.

Octauò. Ad eandem erga Deum reueren- IX.
tiam pertinet, in via Dei progredi ordinatè; vt non statim in principio conuersionis (nisi Deus extraordinariè aliter velit) in via vnitiua te loces; sed per purgatiuam & illuminatiuam eò aspires; sicut reuerentiæ non esset, in intimum Regis conclaue primo aditu, non antegreßis alijs obsequijs, quibus ad magnam cum Rege familiaritatem te disposueris, irrumpere velle.

Nonò. Internam erga Deum reuerentiam X.
testari oportet etiã externâ omnium gestuũ, ac motuum compositione ac modestiã. Quo in genere nulla vnquam purarum creaturarũ comparari potest Virgini Deiparæ, adeò etiã exteriùs compositæ & modestæ, vt nõ humanum quid, sed diuinum referre videretur. Vnde testatur de se S. Dionysius, ex eius aspectu Numen eam aliquod existimaturum fuisse, nisi illum Fides aliud docuisset. Sed & sub cruce stabat, inquit S. Antoninus, *verecunda, modesta*, &c. Et dignus profectò est DEVS, vt ipsius summè honorabilem excellentiam Angelico planè totius oris ac corporis habitu reuereamur. Certè si in con-

conspectu Principis alicuius nihil leuitatis exercere audes; sed libertati, & dissolutis moribus fræna contrahis, audebisnè in conspectu Dei esse dissolutus liberè & laxe agere? immodestus esse? Hinc mirandum non est, quòd S. Ignatius tantâ curâ, tot lacrymis Regulas modestiæ composuerit, Societatique reliquerit, ad reuerentiam Deo præstandam tam opportunas. Itaque, si quem videris moribus esse dissolutis, leuem in agendo, liberũ, immodestum; non malè concludes, in hac domo parum litari honori diuino. Debet autem hæc externa compositio esse etiam, dum solus es, non aliter, quàm si publicè corã pluribus ageres: quippe cui Deus *æquè vbique* præsens est. Quare caue, nè quam corporis partem indecenter denudes, & in surgendo, decumbendo, & omni membrorum situ ità te habeas, vt, si honestissimus quispiam vir adesset; debetur enim hoc reuerentiæ Dei; præsertim cùm per hæc castimoniæ puritas longiùs à periculo absit, per quam reuerentia Deo præstatur; sicut per vitium ei contrariũ, maximè violatur, quod proinde ex Dei reuerentia summo odio habendum, &, quibus potest modis, in alijs quoque hominibus abolendum, impediendumque est. Porrò exteriorem compositionem inducit, aut saltem iuuat affectuum compositio interior, nè ijs in res vanas & inutiles effundaris. Nemo, acturus cum Rege de negotijs momenti maximi,

versare

versare crepundia vult, & agere alia, quàm quæ ad rem pertinent. Atqui crepundia versamus, & nugas tractamus pueriles, quando effundimur in res terrenas, vanè gaudemus, facilè irascimur, dolemus de transituris bullis, &c. interim, dum cum Rege Regum nostram salutem, & perfectionem tractare deberemus.

Decimò. Præcipuè & ante omnia exhibenda Deo est hæc reuerentia tempore orationis, quando cum eo loquimur, animam ad colloquium illud præparando, sepositis curis, & cogitationibus alijs omnibus, omnique studio in hoc collato. Dicturi aliquid publicè, præsertim coram viris magnæ authoritatis, aut Comœdiam populo daturi, quàm sumus solliciti, imò etiam anxij, vt res bene cedat; an non plus exigat dictio ad Deum? Dionysius Carthusianus in illa verba: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* ita de Beata Virgine loquitur: *Hoc Sanctißima Virgo præeminenter dicere potuit; quia contemplatiuißimam vitam duxit, & ab exteriore tumultu, omni inordinato strepitu, cura superflua, & inquietudine culpæ penitùs abstinens, & sopita, vigilantißimâ mente Deo vacauit.* Hoc est, præparare se rite ad orandum, remouendo ista impedimenta. Sed & alia, quæ hactenus de reuerentia erga Deum diximus, maximè in oratione præstanda sunt, concipienda nempe Dei supereminẽs excellentia, & ei collata nostra vilitas. *Loquar ad*

XI.

Cant. 5.

Gen. 18.

ad Dominum meum, inquit Abraham, *cùm sim puluis & cinis*. Et S. August. c. 10. Solilo. *Quid ego sum, Domine, per me, vt laudem te? puluis & cinis ego sum, canis mortuus, & fœtens ego sum, vermis, & putredo ego sum*. Quod si Angeli, in signum infimæ submissionis, Apocalyp. 5. Deo hominum orationes offerentes, *cadunt coram Agno habentes citharas, & phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*; imò si Agnus ipse, siue Christus, orans *procidit in faciem*, quid æquum est nos facere? Orat, inquit D. August. de orat. Dom. *Charitas, & non humiliatur iniquitas: prostratus in terra orat Medicus, & non humiliatur ægrotus*, &c. Tremere debemus non minùs certè in conspectu Dei, quàm tremant Potestates; imò eò magis, quò viliores sumus. Et saltem nostram, qualem qualem, cum Angelorum & CHRISTI reuerentia coniungamus, Deoque offeramus. Ad hæc monent Authores Ascetici, vt ante Meditationem, aliámve orationem, quantam maximam possumus, Contritionem eliciamus; indecens enim est, accedere ad agendum cum Deo vel in inimicitia eius perseuerantem, vel spurcitiâ peccati venialis inquinatum. Quod si quando attentior cura adhibenda est, nè culpa aliqua, etiam venialis committatur, inter orandum maximè adhibenda est; quid enim absurdius, quàm, cùm placare Deum orando

vis,

ris, tunc eum offendere? Multò autem accuratiùs hæc, quæ iam dicta sunt, communicaturis nobis, aut SS. Missæ Sacrificium celebraturis, audituris vé obseruanda sunt; quòd non tantùm propiùs tunc cum Deo agimus; sed etiam illum realiter intra nos suscipimus. Equidem existimo, eas, quas in Christiano orbe patimur calamitates, irreuerentijs, quæ in his committuntur, esse potissimùm imputandas. Solet enim DEVS culpas, etiam leuissimas, in rebus Sacris grauissimè punire. Nadab, & Abiu, filij Aaronis, ignem alienum adhibendo, non nisi venialiter peccarunt, vt est communis Interpretum sententia, ob indeliberationem & subitam perturbationé, quæ nouis Sacerdotibus solet facilè accidere, & multorum per incogitantiam errorum ac defectuum est causa; & tamen cælesti igne repentè interempti sunt. Oza 2. Reg. 6. itidem diuinitus occisus est, quia, vt ait Tostatus, sine reuerentia arcam tenuit. Bethsamitæ, 1. Reg. 6. & qui ex circùm vicinis pagis confluxerunt, ob solam curiositatem (hanc enim solam causam adfert Salianus, & alij) qua arcam nudarunt & inspexerunt, quendam contemptum spectare videbatur, ita à DEO perculsi sunt, vt septuaginta supra quinquaginta millia interierint, vt est communis sententia; licèt aliqui numerum hunc suâ interpretatione non rectè imminuant. Et reuera, arcam duntaxat aspice-

Leu. 10.

aspicere, capitale erat, Num. 4. Et quoties in libris Leuit. & Num. sancta tractaturis comminatur Deus verbis illis: *Ne moriamini, Ne fortè moriatur, Ne moriatur*; idque ob res, quę videntur exiguæ? Adeò vel minimam irreuerentiam in rebus sacris detestatur, vt subitâ ac dirâ morte plectendam cēseat. Vnde vsurpata verba illa 1. Reg. 6. *Quis poterit stare in cōspectu Domini Dei sancti huius?* Hæc tu tibi oraturo, communicaturo, aut celebraturo, quod facilè potes, applica. Neque solùm de interna reuerentia in oratione sis solicitus; sed & externam adhibe, quæ consistit in debita corporis compositione & situ, in loco ad orandum apto, & ab interpellatoribus ac distractionibus vacuo, eligendo &c. Si ob debilitatem flectere, aut stare nequis, ita conside, vt cum Maria Magdalena *ad pedes Domini*, hoc est, humiliter ac reuerenter sedeas. Quodsi molestia in flectendo tanta non est, vt deuotionem, aut fructum meditationis impediat, eo potiùs situ vtere. Turpe enim est homini Christiano, in diuino cultu modicam molestiam superare non posse, cùm puer Alexandri Macedonis, eo Dijs sacrificante, ignē brachio exceperit, atque adusto corpore, manserit immobilis, neque dolorem gemitu prodiderit, vt affirmat S. Ambr. lib. 3. de Virgin.

XII. Vndecimò. Denique ijs quoque, qui Deum nobis repræsentant, aut ad eum pertinent tāquam eius amici, aut serui, aut alio modo illi

sunt

sunt consecrati, authoritatémve ab illo habent, propter Deum congruens reuerentia exhibenda est: puta, Sanctis in cælo; quid enim nos sumus in comparatione illorum? maximè quando illos alloquimur in meditationibus, aut precibus, aut in Litanijs nominatim compellamus. Item Dei seruis in terris, vel Religiosis, cuiuscunque Religionis, non illis obloquendo, non irascendo, &c. imò verò honore præueniendo, caput aperiendo, assurgendo, modestissimè cum illis agendo, indignos nos existimando eorum conuersatione &c. Præcipuè autem summa reuerentia interna & externa debetur Superioribus (qualem à Deipara præstitam S. Iosepho coniugi, certum est) qui loco Dei nobis præsunt, ab eóque authoritatem habent, in quibus nos Christum intueri, proindeque etiam reuereri, vult Apostolus. Proximi Superioribus sunt Patres Spirituales ac Confessarij nostri, qui nos in via Spirituali dirigunt, quibus sui quoque vice eam reuerentiam haberi vult Deus, vt eorum consilijs & directioni nos subdamus, neque nobis confisi nostro sensu duci velimus. Nam alioquin confidentiam ac superbiam hanc, siue præsumptionem, solet etiã in magnis suis seruis valde punire, donec se humilient, & Patribus Spiritualibus, per quos vult nos regi, reuerenter submittant. Sic S. Catharinam Bononiensem, vt refert in eius vita P. Iacobus Grassetus lib. 1. c. 7. postquam ad

 subli-

sublimem iam sanctitatis gradum peruenisset, & veris reuelationibus visionibusque magnis fuisset donata, permisit Deus toto quinquennio Dæmonis illusionibus decipi, ob id duntaxat, quòd semel apparenti sibi Dæmoni hęc verba cum aliqua præsumptione dixerit: *Scias maligne, te non posse ita occultè me impugnare, quin id ego cognoscam.* Ob hęc paucula verba, adeò grauiter & diu punita est! Apparebat illi Diabolus modò in forma Christi crucifixi, modò in specie Beatæ Virginis, IESVM puerum gestantis, modò alijs modis & formis, in quibus apparitionibus etsi ei dabat bona, & salutaria in speciem monita; tamen replebat eam postea mille tentationibus & amaritudinibus, quibus & mentis tranquillitatem, & vires corporis perdidit. Adiuta demum est, cùm suas cogitationes & tentationes suo Superiori, & Patri Spirituali aperuit. Vnde alijs etiam deinde magnopere author fuit, idem vt syncerè, seduloque facerent. Vide Nigronium in Asceticis initio, & eundem in reg. 21. fusè, de reuerentia Superioribus exhibenda, disputantem; vbi etiam ostendit, similem erga alios quoque reuerentiam magnum adferre momentum ad perfectionem.

CAP.

[illegible] T XIII.

[illegible] CHRISTI memoria.

[illegible] Virgine Deipara fuisse, & prius- I.
[illegible] Christus pateretur, & post eius
[illegible], ostendi lib. 1. toto c. 13. hausisse-
[illegible] affectus admirabiles ac planè di-
[illegible] omnis sanctitatis copiam, siue dum
[illegible] agitaret, siue dum etiam lo-
[illegible] nobilitata vestigijs, & san-
[illegible] oculis relegeret. *Deus bo-*
[illegible] de Beata Virgine tom. 5.
[illegible] *ARIAE mens, quæ lacrymæ*
[illegible] *locis inuisendis, dum in ijs per-*
[illegible] *studiosissimè contemplaretur?*
[illegible] ISTVS Dominus post suam
[illegible] mortem, Matrem suam di-
[illegible] ideo tam diu in hac mortalita-
[illegible] (vixit enim deinceps supra vi-
[illegible]) vt ei non modò sub cruce,
[illegible] deinde vitâ continenter affatim, &
[illegible] suas pœnas communicaret ac diuide-
[illegible], & simul fructum, qui ex eis vberri-
[illegible] emanat, profunderet. Leuit. 14. præ-
scriptum fuit, vt pro leprosis, siue homi-
nibus, siue domibus, duorum passerum
in Sacrificium allatorum, alter cæsus im-
molaretur in vase fictili, alter sanguine

 tocij

socij passeris immolati tinctus, [illegible]
retur, vt in agrum auolaret. Adam lepra [illegible]
cati infectus, totam hanc inferioris [illegible]
domum, suámque progeniem eâdem [illegible]
leprâ infecerat. Pro his emundandis [illegible]
sterculi in montem Caluariæ addu[illegible]
Christus & Christi benedicta Mater: [illegible]
molatus & occisus est in crucis ligno; [illegible]
ius sanguine sub cruce conspersa, dim[illegible]
vt, siue in agrum pergeret, meditabun[illegible]
instar Isaaci, *egressi ad meditandum* [illegible]
Gen. 24. socij passerculi occisi, hoc e[illegible]
guinem & passionem recolens; [illegible]
Ps. 101. hæreret, esset *sicut passer solitarius* [illegible]
sicut columba, sui comparis mor[illegible]
ciatus gemens ac lugens.

Huius tu quoque gementis, [illegible]
siue passerculi, vestigia affectare, re[illegible]
trem hanc semper dolorosam, vt [illegible]
nerati, tam dignati pro te pati [illegible]
diuidat, eásque memoriæ & cord[illegible]
fundissimè imprimat. Vberes [illegible]
indè tibi prouenient. *Nihil* enim, [illegible]
Aug. serm. 23. ad fratres in eremo, [illegible]
ferum nobis est, quàm cogitare, quan[illegible]
bis pertulit Deus & homo. Hinc velut [illegible]
vena virtutum omnium scaturit, abso[illegible]
mæque perfectionis. Itaque quidquid [illegible]
nus attulimus virtutum, aut deinceps hoc li-
bro afferemus, in assidua passionis Christi
memoria, velut in libro quodam, continetur
ac

ac discitur. Fides quidem, si, vt vult Apostolus, *aspicientes in authorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Odium item peccati. *Certum* [illegible] Origenes in comm. in c. 6. ad Rom. [illegible] *mors Christi animo circumfertur, non* [illegible] *regnare peccatum.* Et quis potest esse passionibus, quis amori proprio locus, vbi Christus crucifixus docet nos *crucifigere carnem nostram cum vitijs, & concupiscentijs* [illegible] *qui viuunt, non sibi viuant, sed ei qui pro* [illegible] *mortuus est?* Quis res terrenas amet, [illegible] ipsa egestate egentiorem mori in- [illegible] Quis eundem extremè contemptum & [illegible] perpetuò mente voluens, non contemptus sui, patiendique desiderio accendatur? Vbi melior mansuetudinis doctrina traditur, [illegible] plo ostenditur, quàm in cruce & passione Domini? *Crux enim Christi,* inquit S. August. tr. 119. in Ioan. *non solùm est lectulus morientis, sed & cathedra docentis; docent autē hæc, vt Christo in carne passo nos eadē cogitatione armemur.* Idē esto iudicium de puritate intentionis, qua quis non se, quippe cum Christo moriente sibi mortuus, non *quæ sua sunt,* [illegible] IESV CHRISTI, *quærat:* idem de cōformitate cum voluntate Dei, etiam in rebus [illegible] vt cum Christo patiente dicas: *Nō mea voluntas, sed tua fiat;* & fias *obediens vsque ad mortem:* insigni insuper animi magnitudine te efferas ad omnia, eum recogitans, qui *oblatus est,*

Heb. 12.
Gal. 5.
2. Cor. 5.
Philip. 2.
Is. 53.

est, quia ipse voluit, iuxta illud S. [illegible] *Recogitate eum, qui talem sustin*[illegible] *toribus aduersus semetipsum contr*[illegible] *vt ne fatigemini animis vestris* [illegible] *Nondum enim vsque ad sanguinem* [illegible] &c. Iam deuotio, reuerentiæ cr[illegible] iuncta, nónne ex vulneribus IESV CHRISTI dulcissimè sugitur? Quid dicam de charitate in proximum, quæ nimia in passione
Apoc. 1. ostenditur; *qua dilexit nos, & lauit à peccatis nostris in sanguine suo?* quid de diuini honoris zelo, qui totum CHRISTVM, exhausto sanguine, vitâ ademptâ, consumit? quid de amore Dei? *Vt cognoscat mundus,*
Io. 14. inquit passurus Seruator noster, *quia diligo Patrem.* Est igitur iugis memoria passionis totius perfectionis tabella compendiaria:
Prou. 30. est *ignis*, qui *nunquam dicit: sufficit*; sed intima præcordia, & animæ velut medullas vrit, ac desideria accendit, ad maiores semper, ac maiores in perfectione progressus. Hinc est, quòd Albertus Magnus (quem Vrbanus VIII. Pontifex hoc nostro æuo etiam Beati titulo insigniuit) dicere audeat, memoriam passionis CHRISTI compassiuam plùs homini prodesse, quàm toto anno in pane, & aquâ ieiunare, quotidie flagris ad sanguinem se cædere, quotidie totum psalteriũ recitare &c. ea ductus ratione, quòd Christi patientis memoria, cui adiunctus est tener affectus, ad vitia extirpanda, inserendas virtutes,

tes, amore Dei cor inflammandum, plùs,
quam omnia, valeat.
[illegible] autē hæc Pаſsionis memoria his mo- II.
[illegible] Primò, vt quotidie, Matris dolo-
[illegible]ō, aut ſaltē aliquo per hebdomadā
[illegible] materia Meditationis myſterium ali-
[illegible] Paſsionis aſſumas. Ita S. Franciſcus ne-
[illegible] ſolitaria loca, Chriſti dolores medi-
[illegible]rabat. Idē facieb at S. Bernardus, cui
[illegible] *Myrrha dilectus inter vbera commo-* Cant. 1.
[illegible] Ita S. Xauerio ordinaria meditationis
[illegible] Chriſti paſsio fuit; vti & P. Ioſepho
[illegible] quā ſibi quotidianis meditationib⁹
[illegible] infixerat, vt etiam dormiens, inſtru-
[illegible]onis & myſteria loqueretur. Ta-
[illegible] alios, tum ex alijs Ordinibus, tum
[illegible] Societate. Hoc idē Cœlites, & Chri-
ſtus [illegible] in terra degentibus, vt facerent,
[illegible]runt. S. Maria Magdalena in ſua E-
[illegible] Archangelū Michaëlem, pulcherri-
[illegible] ad ſpeluncę ingreſſum fingentem,
[illegible] exercitiū gratiſsimum eſſe, edocta,
[illegible] tēpore, quo illic latuit, contēplaba-
tur Paſsionis & mortis Chriſti Redemptoris,
[illegible] Magiſtri ſui myſteria. Chriſtus ipſe S. Ger-
[illegible] Bloſio c. 2. in Monil. Spirit. hāc Paſ-
[illegible] conſiderationē ſibi placere reuela-
[illegible] eodem Chriſto S. Edmundus Archie-
[illegible] Cantuar. edoctus adhuc puer eſt, vt ali-
quod vitæ, paſsionis, & mortis eius myſteriū
quotidie mente percurreret, affirmante, id ei

T 4 contra

contra diabolum, & eius insidias maximum auxilium, & efficacissimum remedium fore, vt se in omni virtute conseruaret, & tandem mortem bonam & salutarem obiret; quod & fecit postea quotidie circa vesperum, vt refert Surius in eius vita. Et huc videtur spectare illud Christi monitum, Luc. 9. datum: *Ponite*, inquit, *vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus hominum* &c. Certè ideo Christum passionem suam prædixisse discipulis, vt eam memoriâ retinerent, animóque voluerent, asserit S. Hieron. Comment. in Matth. c. [illegible]

III. Secundò, recogitanda Christi passio, cùm tentationibus impetimur. *In omnibus*, inquit S. Aug. in Manuali c. 32. *non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi.* Quæ, oro, potest insurgere tentatio, cui memoria Passionis Christi occurri non potest? Si à carne est; dolores illam Christi patientis retundunt: Si à superbia; eiusdem contemptus & ignominiæ medicinam suggerunt: Si à concupiscentia oculorum, siue cupiditate rerum terrenarum; Christi eam in cruce pendentis nuditas ac paupertas elidit. & sic de cæteris. Ad hæc Christus suâ passione nobis [illegible] efficacia ad vincendas tentationes promeruit, quæ maximè ijs, qui ad eam confugiunt, largietur.

IV. Tertiò. Non tantùm ad mala propulsanda, sed etiam ad consequenda bona frequens Passionis

sionis memoria vsurpanda est. Itaque quoties Dei [illegible] ope, vel munere aliquo indiges, ad Christi vulnera, in quibus thesauros bonorũ omnium repositos habet, accurre. S. Bonauẽ-turam [illegible] frequentem ad Christum crucifixum [illegible], eam & pietatis & doctrinæ copiam [illegible] sapientiam, quam in eius libris videmus, [illegible] consecutus. Nam, cùm eum S. Thomas A-[illegible] aliquando inuisisset, rogassetque, suam [illegible] bibliothecam monstraret, ex qua tan-[illegible] eruditionis hausisset, Christi crucifixi ef-[illegible] ostendit, in quo bibliotheca omnis sibi [illegible] reposita. Virtutes omnes per assiduam [illegible] passionis Christi memoriam parari, iam suprà initio huius cap. dictum est.

Quartò, Bona & vtilis est deuotio, statuere in conclaui, in quo habitas, Crucifixi imaginem, eamque identidem aspicere, vt amoris [illegible] nunc Christi caput inclinatum & spinis cinctum; nunc extenta brachia; nunc pedes demissos & fixos Cruci; nunc latus & cor perfossum; & ijs considerationibus, nunc hac, nunc illâ, addito congruo affectu, animum pascere, quas lib. 1. c. 11. § 2. retuli. Valde meritorium est hoc exercitium, & Deo gratum. S. Gertrudi, vt habet Blosius suprà citatus, re-[illegible] à Deo est, quoties quis intimo de-[illegible] affectu & tenero sensu Christi è cru-[illegible] pendentis imaginem aspexerit, toties eum [illegible] benignissima Dei misericordia aspici. Neque dubitandum est, aspiciendum V.

quoque quàm amantissimè à Ma[illegible]seri-cordiæ, tanquam suæ pietatis æmul[illegible]

VI. Quintò. Ex occasione actionu[illegible] ordinariè exerces, assurge ad cog[illegible] cum ipso affectu aliquam CHRISTI [illegible]-nis partem; vt, cùm in lectulum decumbis, crucem, in qua Dominus tuus locatus est, tibi in mentem reuoca. Cùm te induis, vestem, qua ad ludibrium indutus est: cùm exuis, acerbum dolorem, quem post flagellationem adhærescens vulneribus tunica abstracta causauit, cogita. Cùm comedis, fel & acetum Christi tibi repræsenta. & sic de cæteris. Ob continuum hoc exercitium ancilla quædam, rudis alioquin & simplex, culinæ alijsque domûs ministerijs addicta, Eremitæ, qui multos annos asperrimam vitam egerat, meritis & sanctitate ab Angelo est antelata, vt refertur in vitis Patrum. Eandem sic recolendæ Christi passionis consuetudinem, ac deuotionem videtur habuisse ille, de quo Thomas Cantipratensis lib. 1. de Apib. c. vlt. scribit his verbis: *Cùm Christianus captus cuidam Gentili tyranno seruiret, & ille eum honestissimè tractaret, Christianus autem semper gemebundus incederet; miratus tyrannus, tristitiæ causam quærit, quare cum alijs seruis non gauderet. Respondit: Semper tristis incedo; quia mortis Dei mei memor, continuò in corde meo passionis eius stigmata porto. Hæc vt tyrannus audiuit, grauiter indignatus: Et ego,* inquit, *expe-*

experiar, quæ dixisti. Nec *mora; lictore vocato, iubet, aperto corpore, Martyris cor euelli, & per medium cultro secari, & statim, mirante tyranno cum suis, pro sigillo pars vna cordis, & pro impreßione pars eius altera crucifixi* CHRISTI *imaginem continens reperitur. quo viso, tyrannus mox credidit, & cum suis sacrum baptisma suscepit.*

VII. Sextò. Præcipuè versanda memoriâ Christi Passio est, dum vel Sacrum audis, vel, si Sacerdos es, vis celebrare, quod est repræsentatio CHRISTI passionis: item, cùm ad Sacram Communionem te præparas, quæ itidem est memoriale eiusdem Passionis, & ad quod nos monet S. Paulus: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, vel calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quæ alioquin etiam pro quotidiana meditationis materia Christi passionem habebat, hoc Christus inter viginti regulas, ab se traditas, reg. 19. commendauit: *Ab illa hora, à qua ego disceßi à mea pura Matre, id est, à vigesima secunda, vsque ad eam, qua me debes recipere, manebis in continua oblatione mea paßionis, tui, & creaturarum mearum meo æterno Patri; & hoc tibi erit loco præparationis ad recipiendum me Sacramentaliter.*

VIII. Plures modi recolendi, & honorandi

Christi passionem petendi sunt ex hi
exemplis Sanctorum. Pius V. ante e
illam naualem victoriam, quam Io
Austria, anno 1571. 7. Octob. de Turci
(cæsis vnà cum Duce 30. millibus, ca
uibus 190. octoginta demersis, torm
potestatem redactis, maioribus n
bus 256.) rem Christianam, quæ sum
in periculo versabatur, Deo com
hoc placandi & exorandi Numinis
elegit, vt per duodecim dies ante e
Christi passionem meditaretur,
mysterijs *Pater* & *Aue* subiungens. D
mâ die victoria obtenta est, quam il
tus cognouit. Quanquam etiam
gini pro illa victoria multùm vb
catum est. Vnde idem Pontifex fe
riam instituit, 7. Octob. recurrentem
RIAE de Victoria, eamque Mar
inseruit. Multi etiam è victore exerci ho-
lia spolia ex voto ad Aram Lauret
spenderunt. Alium quoque nos modi
pore belli, aut aliarum necessitatum
rum per Christi passionem Deum e
tradidimus in Fontibus Saluatoris p. 2
In historia Patrum Dominicanorum
c. 61. narratur de viro quodam illius C
natione Germano, qui à pueritia Chri
sioni deuotus, magno cum pietatis sen
lacrymis singula vulnera verbis illis, Ec
visitatis, salutare est solitus: *Adoramus te,*
Christe,

Christe, & benedicimus tibi, &c. atque hæc dicens, quinquies genu flectebat, totiesque orationem Dominicam recitabat, orans Dominum, vt sanctum sibi timorem, amoremque largiretur. Huic Christus aliquando apparuit, inuitauitque ad fruendum ijs, quę sic colebat, vulneribus; quæ ille osculatus, tantâ est suauitate delibutus, vt crux illi esset & absynthium, quicquid non erat hac passionis salutiferæ dulcedine conditum. Plura his similia ex alijs historijs peti possunt, vti & alia, quæ ad recogitandam Christi passionem spectant, quæ vide apud alios Authores, qui hanc materiam copiosè & accuratè vtiliterque pertractant; præsertim apud Alphonsum Rodriquez p. 2. tract. 7. à c. 2. vbi varios affectus subministrat, in memoria Christi passionis eliciendos. *Huc etiam seruiunt Aspirationes ad Christum patientem & Matrem dolorosam, quas inuenies in fine libri tertij, vbi commodius visa sunt collocanda.*

CAPVT XIV.

Zelus diuinæ gloriæ.

QVi ad Dei familiaritatem pertigerunt, aut vt ad eam pertingant, strenuè laborant per deuotionis exercitia, & frequentem passionis Christi memoriam; præsertim si, quantam maximam possunt, his religionis actibus adhibeant reuerentiam, ex magna Dei I.

æstimatione ortam; fieri non potest, quin ardentem diuinæ gloriæ zelum concipiat, & (nisi statûs conditio obstet) ad procurationem quoque salutis animarum, quæ tanti CHRISTO stetit, quæque pari ferè cum gloria Dei passu procedit, toto impetu ferantur. Cùm enim agendo cum Deo, diuinam in se lucem deriuent, *omnéque donum perfectum, ac datum optimum à Patre illo luminum* hauriant, & *reuelata facie gloriam Domini speculantes* (vt dixi cap. 11.) *à claritate in claritatem transformentur, tanquam à Domini spiritu*; Sicut Dominus, qui ob id vocatur *Zelotes*, honorem suum zelat, & *gloriam suam alteri non dat*, ita illi in eius similitudinem ac spiritum transformati, pro eadem DEI sui gloria feruent atque ardent. Imò, cùm fiant, vt ait S. Chrysostomus, per orationem & cum DEO consuetudinem quidem Soles; sicut Sol in cœlo manens radios in terram mittit, eamque illuminat ac calefacit; sic illi in cœlo cum Deo habitantes, iuxta illud: *Conuersatio nostra in cælis est*, radijs lucis, à Deo acceptis, ad illuminandas & è tenebris educendas animas, Deique cognitione, æstimatione, amore, gloriâ imbuendas, vtuntur; suoque amore, tanquam calore, proximum fouent, vt *non sit, qui se abscondat à calore* eorum. Omnes enim & amãt, & amore Dei, quantum possunt, vel accendũt eos, qui eo carent, vel magis magisq; inflam-

Iac. 1. 2. Cor. 3. Exodi 34 Is. 42. Philip. 3. Ps. 18.

mant

mant igne illo diuino iam correptos. *Facit* namque Deus gratiâ suâ hos *Soles suos oriri* *Matth. 5* *super bonos & malos.* Talis, & quidem super omnes alios eminentissimus Sol fuit Mater dolorosa, diuini honoris zelo ardentissima & fulgentissima, vt ex lib. 1. c. 7. §. 1. patet, & in animarum salutem, hominumque amorem effusissima; imò prodiga, vt in eiusdem libri c. 9. toto, & cap. 12. in finê copiosissimè est demonstratum. Aliud igitur nihil restat, quàm vt, quo pacto hanc Sanctissimam Matrem in diuini honoris zelo (nam de amore proximi dicam cap. sequenti) imiteris, eiusque perfectionem acquiras & actus exerceas, commonstremus.

II. Primò igitur, quemadmodum illi atrocissimus fuit dolor, ex zelo ortus, quòd tam indignè Deus, Filius eius, haberetur, vt per totum illud cap. 7. disseruimus; ita te zelus Dei vrat, ac cor tuum rodat, animamque dolore exedat, quòd Deus tuus, omni adoratione & honore dignissimus ab hæreticis blasphemetur, à Iudæis contemnatur, ab Ethnicis ignoretur, qui Dei loco idola execranda substituunt, quæ venerantur & colunt, & pro Deo habent; quod item à peccatoribus in Christianitate grauissimis sceleribus offendatur. Quantus est dolor bono Filio, quàm acerbus sensus, si amantissimo parenti contemptus & iniurias grauissimas videat irrogari!

Secun-

III. Secundò. Dolo præterea, Matris dolo exemplo, vehementer, à plurimis, fidem & in gratia constitutis, sed tepidibus, hac tepiditate nauseam Deo mo non, vt decet Deum, in oratione, alijsq gionis exercitijs cum illo agi; multas diuinis & sacris irreuerentias commi catorum venialium pænè innumera premum illud Numen inhonorari; p eorum, quæ deliberatè, & dedita op trantur, cùm vel vnicum patrari, inferendam ex mœrore mortem ei, par est, Dei honorem æstimation lat.

IV. Tertiò. Hoc etiam magno dolo quòd homines multi, tametsi D non tamen, quantum & deberent amant, qui omni & summo amore est; sed sui amore ab amore illius tur: ad hæc res diuinas non ita, vt mant; sed magnam curarum partem dana & terrena negotia impendunt, necessitate, cùm interea Deo & diuin re possent. Quàm solent sentire homi cernant, rem, quam illi agnoscunt esse p ssimam, vt; gemmam aliquam, ab alijs æstimari, & pluris alia fieri, quæ sciu lissima, vt; si quis, gemmâ relictâ, in tione vitri vulgaris se occuper. Adde, hæc rerum diuinarum minor æstimatio, occupatione in rebus terrenis, non in

solis

solis sistat, eisque quasi iniuriosa sit, sicut est minor æstimatio gemmæ; sed in Deum redundet, cuius honori derogatur, si res spirituales minori in pretio sint, & temporalia magis curentur. Eo autem maior erit dolor, quò maior fuerit præstantiæ rerum diuinarum cognitio; quæ cùm in Virgine fuerit summa, summum quoque ex hoc capite dolorem, ac zelum in illa fuisse, necesse est.

Quartò. Quantum potes, conare has Deo illatas vel iniurias & contemptus, vel quasi contemptus, bene agendo, omni studio compensare, eo modo, quo fecisse Matrem dolorosam lib. 1. c. 11. in fine diximus. Et hoc tibi sit excitamentum ad sanctiùs viuendum, & ad omnem imperfectionem vitandam, iugiterque bonis operibus, Deo quàm maximè placitis, insistendum; sicut fuit S. Dauidi qui Psal. 118. *Tempus*, inquit, *faciendi Domine*; hoc est, sanctè viuendi. Cur? *dissipauerunt legem tuam. Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.* & cùm dixisset: *Vidi præuaricantes, & tabescebam; quia eloquia tua non custodierunt*; subiungit: *Vide quoniam mandata tua dilexi Domine.* V.

Quintò. Qui seriò Dei honorem zelant, malunt subire, quidquid est possibilium tormentorum; quàm vt Deus suo honore fraudetur. Vnde ad omnia pœnæ mala sese offerunt, si per hæc auerti potest Dei vel minimus aliquis contem- VI.

III. Secundò. Dole præterea, Matris dolorosæ exemplo, vehementer, à plurimis, iustis quidem & in gratia constitutis, sed tepidè agentibus, hac tepiditate nauseam Deo mo[illegible] non, vt decet Deum, in oratione, alijsque religionis exercitijs cum illo agi; multas in rebus diuinis & sacris irreuerentias committi; peccatorum venialium pænè innumera [illegible] supremum illud Numen inhonorari; pr[illegible] eorum, quæ deliberatè, & dedita op[illegible] trantur, cùm vel vnicum patrari, suffic[illegible] inferendam ex mœrore mortem ei, [illegible] par est, Dei honorem æstimation[illegible] lat.

IV. Tertiò. Hoc etiam magno dolo[illegible] quòd homines multi, tametsi D[illegible] non tamen, quantum & deberent [illegible] amant, qui omni & summo amore [illegible] est; sed sui amore ab amore illius [illegible] tur: ad hæc res diuinas non ita, vt su[illegible] mant; sed magnam curarum partem [illegible] dana & terrena negotia impendunt, [illegible] necessitate, cùm interea Deo & diuinis [illegible] re possent. Quàm solent sentire homi[illegible] cernant, rem, quam illi agnoscunt esse p[illegible] tissimam, vt; gemmam aliquam, ab alijs [illegible] æstimari, & pluris alia fieri, quæ sciu[illegible] lissima, vt; si quis, gemmâ relictâ, in [illegible] tione vitri vulgaris se occupet. Adde, [illegible] hæc rerum diuinarum minor æstimatio, [illegible] occupatione in rebus terrenis, non in illis

solis sistat, eisque quasi iniuriosa sit, sicut est minor æstimatio gemmæ; sed in Deum redundet, cuius honori derogatur, si res spirituales minori in pretio sint, & temporalia magis curentur. Eo autem maior erit dolor, quò maior fuerit præstantiæ rerum diuinarum cognitio; quæ cùm in Virgine fuerit summa, summum quoque ex hoc capite dolorem, ac zelum in illa fuisse, necessè est.

Quartò. Quantum potes, conare has Deo illatas vel iniurias & contemptus, vel quasi contemptus, bene agendo, omni studio compensare, eo modo, quo fecisse Matrem dolorosam lib. 1. c. 12. in fine diximus. Et hoc tibi sit excitamentum ad sanctiùs viuendum, & ad omnem imperfectionem vitandam, iugiterque bonis operibus, Deo quàm maximè placitis, insistendum; sicut fuit S. Dauidi qui Psal. 118. *Tempus*, inquit, *faciendi Domine*; hoc est, sanctè viuendi. *Gur dissipauerunt legem tuam. Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.* & cùm dixisset: *Vidi prævaricãtes, & tabescebam; quia eloquia tua non custodierunt*; subiungit: *Vide quoniam mandata tua dilexi Domine.* V.

Quintò. Qui seriò Dei honorem zelant, malunt subire, quidquid est possibilium tormentorum, quàm vt Deus suo honore fraudetur. Vnde ad omnia pœnæ mala sese offerunt, si per hæc auerti potest Dei vel minimus aliquis VI.

contem-

contemptus, aut inhonoratio, quocunq; peccato, etiam veniali, ab alio facienda. Et sine dubio maluisset Mater dolorosa pati, quidquid fingi potest aduersum, quàm agi vel minimum contra honorẽ Dei. Ad hunc gradum pro mensura gratiæ Dei aspira.

VII. Sextò. Opra cum eadẽm Matre dolorosa, toto pectore supplere defectum omniũ illorũ, siue in terra, siue apud inferos existentium, qui debitum Deo honorem non tribuunt, vt tantum tu solus illi honorem tribuas, quantum illi omnes, ac singuli deberent aut possent: cùm verò re ipsâ id non possis, desiderio saltem, quantum potes supple. *Sed magis* opta, ac desidera, si haberes *omnes omnium* intellectualium creaturarum voluntates *in* tua potestate, efficere, nè vel vnica vllo vnquam tempore aut momento quidquam diuino honori repugnans agat; sed omnem possibilem ei cultum, adorationem, obsequium, laudem deferat; magis, inquam, hoc opta; quia magis Deo gloriosum est, vt ab omnibus alijs colatur & honoretur, quàm à te solo: & vel vnica eius inhonoratio, per aliquod alterius cuiuspiam peccatum, à te quibuscunque obsequijs compensari nequit.

VIII. Septimò. Excogita, quotquot potes, modos, omni adhibita imaginationis, ingenij & intellectus vi, quibus posset honorari, & coli Deus tuus, eosque illi toto corde cõcupisce, discurrendo per varia; vt v.g. si posses omnes

guttas

guttas maris, arenulas, &c. in Seraphinos, Deũ summè laudantes conuertere: si efficere, vt omnes laudes & iubila, quæ Deo per totam æternitatem à Sanctis tribuentur, hoc momento omnia simul fiant, & per singula momenta in infinitum multiplicentur; & similia.

Octauò. Cùm hæc omnia, quæ imaginari tu tibi potes, Deum non satis laudent ac magnificent; lauda & honora illum per Christũ, qui solus illum tantum glorificat ac laudat, quantùm glorificabilis est; quippe, qui, cùm Deus sit, quando Deum honorat, Deus Deum honorat, quo nihil excellentius ad Dei gloriã esse potest, adeoque condignè Deum glorificat. idque age affectu & modo omnium Sanctorum & Beatissimæ Virginis, qui per Christum idem faciunt, & omni alio possibili. Sed & Deo offer illam æstimationem, qua seipsum magnificat atque æstimat. De quo vide Fontes Saluatoris p. 2. praxi 1. 2. & 12. &c. IX.

Nonò. Nè contẽtus sis solis hypothesibus; sed re ipsâ ad Dei gloriã, quantũ potes, collabora, totumq; te, quantũ & status tui ratio & prudentia dictat, Dei gloriæ procurandæ impende & superimpende, vt impedias & tollas, quæcunque illi officiunt, hoc est, peccata & imperfectiones; & procures ac promoueas, quæcunq; illi sunt consentanea, vt sc. Deus ab alijs æstimetur, laudetur ac colatur; monẽdo, hortando, exẽplis sanctæ cõuersationis inducendo, Apostolica munia exercendo, aut saltẽ oratio- X.

orationibus iuuando, & viris Apostolicis gra-
tiam copiosam à Deo postulando, vt Dei
riam quàm maximè, improborum con-
sione, proborumque profectu
cent.

XI. Decimò. Præcipuè in hoc intende,
bile aliquid inuenias, quod diu persen
per quod Deus etiam post mortem tu
rificetur: v. g. Sodalitates instituendo, f
do, scribendo, agendo, constituendo
quid, quod ad posteros perueniat,
uinæ gloriæ propagatione atque a
to.

XII. Vndecimò. Generosum animum
Dei gloria decertans, vt nullis la
rearis, aut frangaris, nullis pericu
modisvé deijciaris, nullis ærumnis
tam denique & sanguinem, si res fer
Dei gloria exponas; præsertim si ad ea
curandam ex proprio instituto obliger
si, vt aiebat Turbo ille, pro Imperatore
gnantem decet stantem mori, quantò
pro Deo, eiusque honore ac gloria? T
Dominicana familia fuere S. Vincetius
rius & S. Petrus Martyr, qui per in
labores, innumerarum animarum con
nem, Deique gloriam propagarunt. T
Xauerius, qui laboribus non frangebatur,
pascebatur, adeò, vt aliquando, nullo gotu,

boque

hocque [illegible]o, per biduum in quærenda Dei gloria, [illegible] animarum salute discursaret; [illegible] per obliuionem cibi, potûsque sumendi [illegible]ntem non venit. Talis S. Ignatius, qui [illegible]mni illo suo symbolo: Omnia ad ma[illegible]ei gloriam; per, quidquid arduum, [illegible]m, horridum se obiecit, perrupit ac [illegible]uit. Talis Iosephus Anchieta, cui, Dei [illegible]udiosè inhianti, in aliqua Brasiliæ la[illegible]ori in optatis fuit. Talis Cõsaluus Syl[illegible]us hæc vox est: *Ego, quàm diu mihi [illegible] his peregrinationibus aderit (spero au[illegible]quam defuturum) mendicato cibo vi[illegible]fessiones tam diu excipiam, quàm diu [illegible] confiteri volent: quocunque peruene[illegible]d raucedinem concionabor, vsque ad [illegible]pus persequar, nec me operi somnus, [illegible]ies, nec ieiunio fames eripiet: per[illegible]idquid durum & asperum se obie[illegible]stam gradum, donec cum* CHRI[illegible] *affigar cruci*. Tales denique innu[illegible] ex Societate IESV, quos *proprij san[illegible]digos* appellat Pius V. in sua Bulla. [illegible]m, aliorúmve tu exemplo incitatus, [illegible] S. Thoma Aquin. *Delectet me, Domi[illegible] qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis [illegible]a est sine te.*

[illegible]odecimò. Neque satiari debes quãtóuis diuinæ gloriæ prouentu; sed quemadmodum auari, aut mundanarum dignitatum cupidi, quò plus acquirunt, plus appetunt; ita tu ad maio- XIII.

maiorem semper Dei gloriam, magisque quaquauersum explicandam ac dilatandam te porrige. S. Xauerio pro Dei gloria & salute animarum quærenda angustus fuit orbis terrarum. Quodsi Alexander Macedo, inanis gloriæ mancipium, vno orbe iam pœnè subacto, fleuit, cùm alios superesse audiuit, quos nondum subiecerát; quid tibi, Dei gloriæ seruo, faciendum putas? Et quantulum id est ad id, quod debetur Deo, si vel totum mundum ad eum honorandum colendumque addicas? Quid igitur erit mundi particula aliqua?

XIV. Decimotertio. In his, iam dictis hoc potissimùm conare, vt quàm maximâ Dei fiduciâ plenus sis. Cùm enim Dei causam agas, spera, omnino fore, vt ille causam suã non deserat; & cùm diuinæ gloriæ salutisque animarum procuratio opus supernaturale sit, proindeque supra tuas vires, id neque aggredi neque perficere sine Dei ope potes, adeoque in ea sola tota fiducia tibi collocanda, frequentissimèque imploranda est; imploranda autem potissimùm per Matrem dolorosam, quæ, præterquam quòd ad impetrandum plurimùm valet, his, alijsque excellentissimis diuini zeli affectibus maximè dedita fuit. Nam per eorum præcipuè Sanctorum deprecationem virtus aliqua à Deo petenda est, qui in ea præ alijs excelluerunt.

CAP.

CAPVT XV.

Amor Dei & Proximi.

IN Dei amore sita est Christiana perfectio, à quo remota sint, & quæ illum euertunt, vt sunt peccata; & quæ hebetant atque impediunt, vt: Amor proprius, passiones non domitæ &c. Quare quæ hactenus hoc libro disseruimus, eò spectant, vt diuino amori sedes ac dispositio paretur, & à cæteris virtutibus, illi famulantibus, velut Rex in throno cordis collocetur. Duplex autem est Dei amor. Alter concupiscentiæ, quo DEVM amamus, ob nostra commoda & vtilitates, quas ab eo recipimus aut speramus, v.g. quia nobis orantibus immittit solatia, cæli gaudia & beatitudinem promittit; virtutes aliáve dona largitur; mala vel huius vel futuræ vitæ auertit. verbo; quia noster est benefactor. Imperfectus est hic amor; quippe cum sui amore, licèt non malo, commixtus, vel ex eo ortus. Alter amor vocatur amor amicitiæ; vel beneuolentiæ, quo DEVS amatur propter se, & ideo solùm, quia DEVS est, ob idque omni amore dignissimus, sine vllo respectu ad nostrum bonum aut commodum, puta, oblectationem, præmium, donum. I.

Vnde

Vnde qui sic Deum amat, æquè illum amaret, etiamsi sciret, se annihilandum, aut [illegible]-cludendum & ad inferorum pœnas [illegible]-dum, nihilque prorsus vtilitatis ex Dei amore relaturum. Deum enim propter Deum amat, qui semper Deus est, & omni amore ex se [illegible]-gnissimus, esto nobis nihil commodi [illegible]-rat. Porrò hic amor, vt suis perfectè [illegible] constet, duos partiales amores complectitur. Primus est amor simplicis complacentiæ, [illegible] in Deo, eiusque bonis secundùm se nobis [illegible]-placemus, eaque illi volumus. v.g. recognoscen-tes eius attributa; placet nobis, quòd [illegible] sapiens, potens, bonus, beatus, æternus, [illegible] Secundus est, quem Suarez to.4. in 3. [illegible] Sect.3. Assert.1. n.3. in fine, & 4. initio [illegible] *obedientialem*, qui habet adiunctam [illegible]-tem placendi Deo, propter se, in [illegible], implendique eius voluntatem, præferendo [illegible]-cipientem, quam rebus omnibus præfert. [illegible]
Io. 14. vt ait Christus: *Qui seruat mandata mea, [illegible]* *est qui diligit me.* Ex his duobus partialibus a-morib⁹ prior per se hominē non iustificat; [illegible] etiam peccatores possunt habere simplicem complacentiam de bonis Dei in se, nec tamen à peccatis auerti. At posterior stare cum pec-catis non potest; sed ea omnia, [illegible] saltem virtualiter detestatur, adeoque de-let & hominem peccatorem diuinæ gratiæ restituit. Vt ergo sit perfectus Dei amor, quem vocamus amicitiæ, debet includere

non

non solùm priorem, sed etiam hunc posteriorem.

In hoc perfecto Dei amore Virgo Deipa- II.
ra omnes omnino puras creaturas, non tantùm singulas seorsim sumendo; sed collectim vniuersas superauit, & superat, vt patet ex ijs, quæ lib. 1. c. 4. prolixè disputauimus; idque nō tantùm nunc in cælo, aut in fine vitæ; sed etiā eo iam tempore, quo passioni Filij sui adfuit, cuius amoris & tunc & aliàs totâ vitâ multos & varios actus elicuit, in quibus eam imitari potes, maximè si per hæc, quæ hoc libro præmissa sunt, te ad eos disposueris. Ac primùm amorem illum simplicis complacentiæ, quo de Dei bonis gaudemus, Beata Virgo in excellentissimo gradu exercuit. Habuit enim, quantam creaturæ viatrici fas est, clarissimā & sublimissimam cognitionem Sanctissimæ Trinitatis, attributorumque eius, & felicitatis increatæ atque infinitæ, per altissimam contemplationem, *plus, quam Paulus Apostolus* (inquit S. Bernardinus Senensis to. 4. ser. 36. p. 3.) *raptus in tertium cælum sine comparatione; quia si essent tot Pauli, quot sunt creaturæ, non attingerent suum contemplari. Nam Paulus fuit vas electionis; Virgo verò MARIA fuit vas diuinitatis.* Imò Deum sæpe clarè vidissè, affirmant multi, apud Salazar in to. 3. de Concept. c. 32. §. 4. quorum aliqui claram hanc Dei visionem illi tribuunt statim in ipso conceptionis eius instanti; alij in Natiuitate; alij in

Incarnatione C
Natiuitate, ali
finiunt tempus,
de frequentes in Virgine fuis
quæ tamen ei nec libertatem
abstulêre, vel alias ob rationes,
plex tunc fuit in illa Dei amor
ter sequebatur Dei visionem
tiam infusam, è quibus prior
rius erat, adeoque non meritorius
rò liber, proindéque merito non
igitur ipsum Dei esse, eiusque a
para ita cognouerit, non est
de ijs immensum conceperit g
que Deo, summo amore, fuerit
quidem conceptionis suæ insta
gittæ in quadam reuelatione
tur: *Cùm anima mea sanctifica*
ri suo coniungebatur, tanta dul
sum, vt impoßibile sit effari.
illa tanta, & vel ab ipsa Virgine
si ex gaudio, quod de Deo e
ac beatitate hausit, quem de
Luc. 1. tam vitam *magnificauit, & ex*
eius in Deo salutari suo, adeóque
passione & crucifixione, quando
culi eius salutare illud, quod para
ciem omnium populorum. Tunc enim
dolori, quem creabat filij mors, & alia,
libro primo recensui, mixtum fuisse sum
mum gaudium; sicut fuit in Christo in acer

cissimis

cissimis cruciatibus, beatâ visione perfruente; certum est. Immersa tunc illa fuit in considerationem infinitæ bonitatis & charitatis Dei, passione demonstratæ, cuius latitudinem, longitudinem, sublimitatem & profundum mente rimabatur, peruestigabat in cruce Dei virtutem & sapientiam, iustitiam, misericordiam infinitam, excellentiam, magnitudinem, ac maiestatem, quæ tanta est, vt ei offensæ non nisi Dei sanguine pro dignitate satisfieri possit; agnoscebat, quanta gloria Deo deferretur per Christum, nempe Dei dignitati cõmensa & par, eóque magis, quò magis ille, qui Deus erat, in Dei gratiã & gloriam se humiliabat, & in profundum contemptum ac dolorum abijciebat; infinitum Sanctissimæ Trinitati à Christo patiente præberi gustum atque complacentiam, eumque illi, velut thymiama suauissimi odoris, consumi animaduertebat. Ex quibus, alijsque iubilandi & Deo gratulandi occasionem sumebat, delectabatúrque & exultabat in Deo suo.

Præstantissimus est hic actus amoris, si fit in homine iusto ac sancto; per illum enim Deum Deo vult; vult scilicet, vt Deus sit is, qui est; vt eas perfectiones habeat, quas habet; sit ita beatus, vti est; idque ei summè placet, & maximopere de hoc gaudet. Cùm igitur Deo, eiusque perfectionibus nihil possit aut fingi, aut esse maius, aut melius; cùm Deum Deo vult, vult summum & optimum, III.

quod illi potest velle, adeoque maximè illum amat; nam amare est, alteri bonum velle. Certè & beati in cælo Deum sic amant. Vident enim, eum esse dignum, qui sit & possideat omne bonum; idque cùm eum esse, & possidere vident, *exultant lætitiâ inenarrabili & glorificata*, suntque per hoc beati; & Deus ipse, cognoscendo se, & gaudendo de se, & volendo sibi id, quod est, amat se amore increato. Atque in hac cognitione atque amore est & consistit beata Trinitas: per Patris enim cognitionem est Filius: per amorem Patris & Filij, Spiritus Sanctus. Quare cùm tam præstans sit hic amoris actus, quo, vt S. Thomas 2.2.q. 28. art. 8. ad 3. dicit, nullus perfectior dari potest; satis intelligis, quanto studio præparatio adhibenda tibi sit, per extinctionem amoris proprij, per abnegationem affectûs erga quãcunque rem terrenam, & denique per ea, quæ hactenus præmisimus, vt totum te in hunc amorem effundas, eumque quàm sæpissime; imò, quoad fieri potest, singulis momentis, elicias. Sanè Madriliensis in præclaro illo suo libello de methodo, siue arte seruiendi Deo (quem vt legas, sæpiusque relegas, tibi vehementer author sum) p. 3. c. 1. ait, etiam mille mortes bene collocatas fore, si efficias, vt vel semel quispiam sic Deum amet: & amarè deflendum tibi esse, vel momentum sine hoc amore transactum, magis, quàm quisquam thesaurorum quorumlibet iacturam defleet.

1. Pet. 1.

Modum

Modum hunc amorem eliciendi tradit ibidem idem author, vt in mentem tibi reuoces, quàm grandia bona poſsideat Deus, quamq; dignus ſit, vt de ijs omnes gaudeant, & mox excites voluntatem, vt gaudium quàm maximum eliciat, in eoque, quàm diu potes, perſiſte, eſto ſenſibili deuotione careas, ſicque frequentiſsimè, & quantum humanitus fieri poteſt, continuo gaudio iterum iterumque exili atque exulta: quod facere potes, etiam loquendo cum alijs & alia negotia tractando; ſicut, loquendo cum alijs, gaudemus de proſpero ſucceſſu, dignitate, alijsque bonis amici, nullo quæſito ad hoc receſſu. Id autem agere debes, non quia ſuaue tibi eſt, hæc cogitare, vel agere, vel quia accipis, aut ſperas aliquid à Deo; imò nec propter ipſam præcisè præſtantiam actûs huius amoris per ſe; quem cùm commendari audis, illius deſiderio moueri non debes ex eo (ſi perfectiſsimo & defæcatiſsimo Dei amore duci velis) quòd tam præſtantis rei poſſeſsio, vel vſus in tuum bonum cedat, aut tibi, quà tibi, conueniat; ſed his poſthabitis, quia dignus eſt Deus, qui omnes humanas & Angelicas voluntates habeat in hoc occupatas, vt velint illi omne bonum, & in eo delectentur, ſicut ille tota æternitate in hoc ſe occupat, quia ſe videt dignum, vt ſibi velit omne bonum, deque ſeipſo gaudeat. Vide de hoc etiam Alphonſum Rodriquez p.1. c.32.33.34. vbi multa egregiè de hoc amoris IV.

.rci-

exercitio differit, sacræ Scripturæ lo
strat ac confirmat, illudque extendit
dendum similiter etiam de bonis Sanct
& præcipuè Beatæ Virginis, & huma
Christi benedicti: quanquam hoc etiam
dium vltimatè tendit in Deum; cùm enim
num Sanctorum sit, de Deo gaudére, &
glorificare; quando gaudemus de bono
rum, gaudemus de gloria Dei, & de
de illo. Maximè autem gaudendum
bis de gloria, quam Christus Deo
Ps. 56. qui vocatur gloria Dei. *Exurge glo*
&c. quâ gloriâ Deo maior deferri
test.

V. Non parum ad hunc amorem ani
gendum proderit, orare sæpe Rosar SS.
Trinitatis, cuius mentionem faci is
in cap. 6. Isaiæ, & in cap. Apoc. 12.
rarium, qui in eo persoluendo fre
mus diligentissimusque fuit. Confi
tem hoc Rosarium ex communi illo
lo: *Gloria Patri, & Filio* &c. qui versi
petitur in singulis decadibus, loco
ria; cum affectu gaudij de Deo, & de
vt glorificetur, sitque is, qui est, & fui
per erit: & quia per nomina SS. Tr
Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, de
Beatitudo Dei, sita in cognitione &
cùm dicimus: *Gloria Patri, & Filio*, &
tui Sancto; simul de hac beatitudine gau
mus, & simul extrinsecam gloriam SS. Tri-

nitatis

nitatis personis optemus, & de intrinseca exultemus, deque eius esse infinito atque incommutabili, quod sicut erat in principio, siue ab æterno, ita & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Additur, *Amen*, per quod id, quod antè voluimus, & de quo gauisi sumus, ratificamus. Cætera in eo Rosario sunt, sicut in Rosario Beatæ Virginis, vt: *Pater noster*, & *Credo*.

VI. Cæterùm præter hunc amorem, qui consistit in gaudio de Dei bonis, exercendus etiam est ille, quem suprà cum Suario appellauimus *obedientialem*; idque conandum, vt is quoque sit quàm perfectissimus. Hunc tradit S. P. Ignatius *in libello Exercitiorum in contemplat. de Amore Spirituali*; quem ait *consistere non in verbis, sed in operibus, & in communicatione mutua facultatum, rerum & operum*, vt scilicet quidquid homo est, habet, aut potest, expendat pro amato Deo, ita vt illum amare velit cum dispendio rerum omnium & sui, si id necessè sit ad declarandum amorem. Et quia hic amor consistit *in operibus*, non est contentus, Dei bona in otio considerare & de ijs gaudere; sed est simul actuosus, ita vt sic amans, præter affectum complacentiæ de Deo, sit semper occupatus in peragendo eo, quod Deo quàm maximè placeat, quódque illum exhilaret. Itaque hæc duo consectatur, vt & ipse sibi

ſibi in [illegible] complacens, & De[illegible]
beat, [illegible] ſibi ex ipſo eiuſque o[illegible]
placet, idque ſemper, quia ſemp[illegible]
[illegible] in rebus & negotijs Dei, pe[illegible]
[illegible]onem amplioris illius gloriæ &c[illegible]
dem occupatus , vt tamen ab eius[illegible]
non diſcedat, ſed ſimul operatur in[illegible]
guſtum Dei, ſimul in eum præſen[illegible]
moris, gaudijsque, vt dixi, affectu [illegible]
ut enim Deus & vbique præſens eſt [illegible]
1. Cor. 12. *operatur omnia in omnibus*, & tame[illegible]
ſui cognitione, amoreque ac gau[illegible]
ficit; ita ſic amans agit cum coagen[illegible]
ſimul eſt illi viciſsim mente præſen[illegible]
amat & affectu ſtringit. Hic amor [illegible]
illum, antè explicatum, non exce[illegible]
aliquid ſuperaddat, eſt illo per ſe [illegible]
fectior, & Deo gratior: nam an [illegible]
Aulicis diceres meritò fore Reg[illegible]
qui coram Rege, cui afficitur, [illegible]
in gratiam & bonum eius labor[illegible]
qui illum otioſè duntaxat aſpic[illegible]
morem voluit S. Ignatius in [illegible]
cietatis noſtræ eſſe, quos de[illegible]
dio foro, & negotiorum tumult[illegible]
eſſe collectos, & Deo per amor[illegible]
in Meditatione, ita vt ſic amant[illegible]
mantes, quanquam in multis negot[illegible]
ribus, quàm operantes ſint.

Tranſcribit hic amor totum hom[illegible]
Deum, ita vt nulla in re, ſe aut ſui quicquam
quærat,

quærat, ac nè gloriam quidem cælestem propter se, nè secundariò quidem; sed sui penitùs oblitus, quasi in rerum natura non esset, tantùm quærit, quæ Dei sunt, vt eum oblectet, ideo, quia dignum agnoscit, non modò vt de bonis eius gaudeat; sed etiam, vt, vndecunque potest, gaudium & oblectationem præbeat, seu agendo, seu patiendo, etiam vsque ad sui, si id ad gustum Dei esset, annihilationem, aut quamcunque destructionem. Quin ita se sine se, Dei amori præbet, quasi non ipse Deũ; sed in illo & per illum Deus seipsum amet; præsertim cùm Dei amor, quippe opus supernaturale, supraque vires nostras prodire, atque effici à Deo debeat.

Multa de hoc quoque amore habet Madriliensis sparsim in suo illo libello, eumque similitudinibus p.1.c.2.ex p.3.c.1.explicat. Boni parentis bonus & amans Filius non solũ gaudet, si eum videat ad magnam dignitatem euectum, ob sapientiam aliasque dotes, in magna apud omnes authoritate & honore esse, potentiâ & opibus auctum, adeò, vt putet, vix maius in mundo posse esse gaudium, quod cũ suo, de parentis prosperitate, conferri possit; sed etiam omne gaudium patri magis, quàm sibi cupit. Vnde nihil omittit, si quid sciat, quo patrem recreare posset, in idque sua omnia impendit. Si quid agendum est, præclarè agit, ideo solùm, quia scit, indè gauisurum patrem: sin' secùs faceret, aut illi improspere cederet,

angeretur, ob hoc maximè, quòd indè contristaretur pater: in omnibus denique rebus & euētis hoc vnum spectat, vt solatij aliquid, gaudijque capiat pater, quo contentus est; vti cōtrà dolore eius affligitur. Sic nos decet esse cōstitutos, vt, velut boni filij, summè gaudeamus de bonis Dei creatoris, & patris nostri; hócque vnicum nostrũ sit gaudium, quòd ille tā beatus sit; & simul id vnum agamus, vt ex nobis rebúsq; nostris omnibus ille capiat [illegible] maximum solatium ac gaudium; quo contenti simus; nihil vltrà requirentes. Sin aliquid [illegible] cideret, quo ille contristari, & offendi [illegible] eo solo angamur, quale duntaxat [illegible] est, aut imperfectio; non autem [illegible] qua nostra; quam si illi placeat [illegible] lerari, cupidissimè amplectamur [illegible] tamus. Et nè quidem ab illo, à quo [illegible] quid habemus, quidquam petamus ideo, vt nobis aliquid accedat peculij, aut bonum [illegible] quod proueniat; sed præcisè ideo, [illegible] quid in nobis, quo ille exhilaretur, [illegible] bis videat; aut quo reddamur idonei [illegible] standum quidpiam illi gratum, ac [illegible] adeò, vt, si per idipsum alius magis illum [illegible] hilararet, si eo potiretur, ei potiùs id, quam nobis velimus ac petamus. Sic etiam, & quidem perfectissimè, amatum esse à Beata Virgine Deum, nemo dubitare potest, & patet ex lib. 1. c. 4, 5, 11. & 12. in fine.

Amor

Amor proximi.

Ex hoc puro Dei amore oritur purus & sanctus in proximũ amor. Nisi enim hic ex illo oriatur, sanctus nõ est; sed vel carnalis, aut sensualis, vel mundanus. Et quia ex illo accenditur; quò vehementior ille Dei amor est, eò quoq; vehementiorẽ necesse est esse amorem proximi. Vnde, si videã, te parum amantẽ esse proximi, non tibi credã, si dicas, te multùm amare Deũ. Proximum autem voco, non quem quis sibi vult esse, aut suo arbitrio eligit, naturali affectu ductus, quia videlicet hic, aut ille genio suo congruit &c. sed quemcunq; hominẽ. Omnes enim vult amari Deus; & amor Dei, ex quo amari debet homo, neminẽ excludit, nè quidẽ inimicũ, aut moribus & propensionibus disparẽ; sed viscera & sinũ cordis dilatat, vt intra illũ omnes recipiat, omnes tenerrimè, propter Deum, complectatur, omnibus & bene velit, &, quantũ potest ac decet, benefaciat. Richardus à S. Victore c. 26. in Cant. de B. Virg. ita scribit: *Tanta fuit eius charitas, vt nõ solùm ad eius gentem, Iudæos videlicet, extenderetur; sed ad ignotos & notos, ad omnes denique homines dilatata fuit* &c. Quanquam debitus charitatis ordo seruãdus est, vt, quos ex Dei voluntate potiùs debes, priùs diligas, & quos, aut quem magis debes, magis ames. Anteferenda proximi anima corpori est tantò amplius, quantò illud & nobilitate antecellit, & Dei æstimatione, qui eius salu- VII.

tem ſuæ mortis & ſanguinis impendio non indignam duxit.

VIII. Huc ſpectat zelus animarum, qui, vt ſuperiore capite dixi, non contentus, ab eo, in quo eſt, amari Deum; hoc eodem Dei amore pectus inflammatum, ad latè ſpargenda incẽdia, incitat, atque impellit, vt etiam alij, quotquot poſſunt, eodem igne erga Deum accendãtur. Qui enim verè Deum amat, cupit ab omnibus amari; &, vt ab omnibus ametur, quantùm poteſt, procurat, remouendo à proximo, quidquid huic amori obſtat, hoc eſt, peccata & vitia; quæ quia Deo aduerſa ſunt; ſummè zelantem atque amantem quoque affligunt, ſicut bonum Filium affligere ſolent iniuriæ Patris; iuuando autem ad ea, quæ ad Dei amorem diſponunt, aut eum inducunt. Et, quia hoc ipſum ſummum eſt bonum proximi, non poteſt magis illum amare, aut maius illi bonum velle, quàm ſi eum ad amorem Dei inducat. Ad hæc cùm ſciat, Deo hunc zelum vehementiſsimè placere, qui & ſe amari, & hominibus per ſui cognitionem, & amorem bene eſſe ſummè deſiderat, eò magis illi indulget, quò cupidiùs ex Dei amore optat præſtare aliquid, in quo Deus maximè delectetur. *Nihil*, inquit S. Chryſoſtomus hom. 76. *ſic Deo placet, ſicut zelus & lucrum animarum.* Et hom. 79. & hom. 1. ſuper Geneſ. dicit, *corpus aſpere tractare ac mortificare, toto vitæ tempore ieiunare, humi cubare, cæteriſq; afflictatio-*

nibus

nibus se se diuexare, substantiam & opes in pauperes erogare atque profundere, non esse comparandum cum studio animas iuuandi. Et sanè ita est. Nam siue animam aliquam à peccato cum diuina ope eripis; à maiore malo eripis, quàm sit fames, sitis, nuditas, inopia, ægritudo & quidquid præterea malorum fingi potest, quibus eleemosyna mederi queas; prętérquam quod, si à peccato quempiam liberes, simul ab æternis inferorum supplicijs liberas, malo pœnæ, omnium, quæ subire potest, grauissimo; adeoque excellentissimam præstas charitatem: siue per te in Dei gratia crescit proximus, id tantum est beneficium, vt illud omnia huius mundi bona, in infinitum multiplicata, non æquent. Quod beneficium ex eo fit maius, quòd gratiæ illi, per se tam pretiosæ, *per quam efficimur diuinæ consortes naturæ*, & Dei oculis amabiles, correspondeat in cælo tantundem luminis gloriæ, per quod magis videatur & ametur Deus. Gratia enim semen est gloriæ, quod luminis gloriæ donũ, vnà cum maiore cognitione & amore Dei durabit per totam æternitatem. Quanta in vno beneficio bonorum copia! quanta beatitatis seges! quin etiam quantus obsequiorum Dei, beneplacitique cumulus! Etenim quoties animam aliquam ad bonum promoues, diuinâque gratiâ reddis locupletiorem, toties & ex hoc tuo conatu, ac molimine, & ex animæ illius profectu, & ex diuinæ gratiæ ornatu nouam 2. Pet. 1.

nouam complacētiam gustúmque, more nostro loquendo, capit Deus. Insuper, vt dixi, efficis, vt per totam deinceps æternitatem & Deus cognoscatur ametúrque magis, vi luminis gloriæ, quàm amatus fuisset, si ad bonum spirituale proximi non collaborasses; & proinde etiam magis toto æuo oblectetur. Si vel per huius vitæ breuem decursum, vt quis continenter certo amoris gradu amaret & oblectaret Deum, labore tuo consequi posses, multóque magis, si per mille, aut aliquot millia sæculorum; parúmne id tibi videretur? quantum igitur erit, si consequare, vt id fiat per totam æternitatem? Beata Maria Magdalena de Pazzis in quodam raptu vidit Deum tantopere oblectantem se in anima S. Ioannis Euangelistæ, quasi non haberet in cælo alios Sanctos: & eodem modo vidit se oblectantem in anima S. Ignatij Fundatoris Societatis IESV. Causa huius tantæ oblectationis ponitur, quòd hæ animæ operatæ sint sua opera ex Dei amore, & ex eodem Dei amore animas ad suum Creatorem duxerint. Additur porrò in ea reuelatione, toties hanc Dei oblectationem renouari, quoties filij S. Ignatij animas per amorē ad eum conducunt. En quot & quantarum oblectationū Dei materiā præbet, qui zelo, ex diuino amore orto, incensus, ad eundem amorem alios accendit! Sed & si hoc spectare velimus, suis rationibus nimium quantum consulit, & multa sibi sub-

sidia

ſidia comparat,per quæ magnis auctibus Dei dona in ſe multiplicet. Comparat enim ſibi opportunos ad conciliandam diuinam benignitatem adiutores. Eadem B. Magdalena de Pazzis vidit aliquando B. Aloyſium Societatis IESV in illuſtri prorſus & eximia in cælo gloria, viditque ſimul pro ijs Deo ſupplicantem, qui ſibi ad profectum in ſpiritu & Dei gratia fuere auxilio. Vnde exclamauit Beata illa : Ego quoque volo animas iuuare, à quibus iuuer vicisſim. S. Amãdo, vinculis corporis per mortem ſoluto, & cælum petenti obuiam proceſsit ingens animarum multitudo, triumphantis ſpecie, in cælum deductura, quas ille, dum in terris degeret, ſuâ ope ac labore ad bonam frugem pietatémq; perduxit; & ſine dubio gratas ei ſe etiamnum apud Superos exhibent, exhibebúntq; deinceps ſemper. Magna igitur, vt ex his conſtat, res, magna charitas eſt, animabus opem ferre.

IX. Sed neque negligenda charitas eſt, quâ etiam corporibus opituleris; quæ itidem ex Dei amore naſcitur; imò ſæpe, ſi illa deſit, hic quoque nullus eſt. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mũdi*, inquit S. Ioan. in 1. ep. c. 3. *& viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo ? Qui enim*, vt ait cap. 4. *non diligit fratrem ſuum quem videt : Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere ? Et hoc mandatum habemus à DEO; vt qui*

vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Nempe Deus in sui vicem substituit proximos nostros, quos quotidie oculis nostris cernimus, vt, si quid amoris præstare volumus Deo, id sui loco præstemus proximo, ac
Matt. 25. si Deum in illo cerneremus. *Quod enim*, inquit, *vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, idque etiam rebus, ad corpus pertinentibus. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere*, &c. O quantum tibi & augmentum deuotionis, & charitatis incitamentum erit, si bene facturus proximo, cogites, te Deo benefacere. atque etiam si quis sinister affectus te aduersùs illum incitat, si il-
Zach. 2. lud perhorrescas: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*; vt neque verbo, neque facto, neque cogitatione aliquid contra illũ committas, quod scis in Deum redundare. Ita fiet, vt & Dei & proximi charitas suis numeris suoque pondere constet.

CAPVT XVI.

Studium & cura continui profectûs spiritualis, & in sanctitate progressûs.

I. HOc vnum restat ijs, quæ hactenus præmisimus, addendum, vt in via virtutis ac perfectionis continenter progrediamur, &, vt monet Apostolus ad Philip. 3. ea, *quæ retrò*

retrò sunt obliuiscentes, ad priora nos extendamus, non contenti, rectè inchoasse, & aliquousque præcessisse; imò etiam in aliquo iam perfectionis gradu esse. Hoc enim vult sentire S. Paulus etiam perfectos. *Quicunque ergo*, inquit ibidem, *perfecti sumus, hoc sentiamus.* Et sanè siue naturæ nostræ statum attendamus, quæ parentum nostrorum corruptelâ pœne iam in vitium abijt, & diuina ac cælestia molientibus perpetim obsistit, ea sic tractanda est, vt non satis nobis esse debeat, illam vno quasi iactu alteróve in sublime extulisse, nisi assiduo & semper sibi succedente impetu atque impulsu propellatur altiùs, nè suo pondere, lapidis instar, in ima, cælo & Deo deserto, decidat: siue rerum diuinarum & perfectionis conditionem spectemus, ea est huiusmodi, vt cessationem non admittat, aut terminum sibi præfigi patiatur, ad quem cùm perueneris, conquiescendum tibi putes. Nam & Deus, cùm infinitus sit, & infinito obsequio amoreque dignus, si eius cultui & amori terminum finémve statuere velis, aut eum nõ cognoscis, aut *non vt Deum glorificas*: & in rebus diuinis tanta est præstantia, tanta verorũ bonorum copia, vt, quantumcunque acquisiueris, longè plus præterea acquirendum, quã quod acquisiueris, semper restet. *Infinitus enim est*, vt ait Sapiens, *thesaurus, per quem fiamus* magis semper ac magis *participes amicitiæ Dei, & diuinæ*, vt loquitur S. Petrus, *consortes*

Rom. 1.
Sap. 7.
2. Pet. 1.

Gal.6. *sortes naturæ.* ... *tempus* ...
remur bonum; & ...
mus; tempore enim suo ...
1.Thess.2. *tes.* Et si scimus, *quomodo nos* ...
re, & placere Deo (vt reuera ...
quæ hactenus dicta sunt, satis ...
sumus) *sic & ambulemus,* ...
gis; & denique *negotium* ...
quod solum in hac vita nobis ...
magis semper ac magis amare, ...
iugiter illi seruire, & ad eius ...
propiùs perennibus diuinæ gra...
tisque incrementis accedere; quo...
Matth.5. stus, dum ait: *Estote perfecti, sicut* ...
ster cælestis perfectus est.

II. Sic egit Virgo Sanctissima, qua...
1. prolixè est ostensum, continen...
amore creuit, ita vt à primo cre...
momẽto ad illud vsque, quo vinculo...
tatis soluta est, singulis (si Suario alijs...
mani nixis fundamento credimus...
momentis duplo semper, eóque ...
ipsa euaderet sanctior, Deique a...
in eius cultu feruidior. Hic eius ...
dus est, Christum simul parentem ...
ptimum, cum Matre nostra am...
tuendo. *Attendite,* inquit Isaias cap...
tram, vnde excisi estis, siue, *ad Abra*...
trem nostrum, *& ad Saram, quæ pep*...
Erit nempe, si ad petram illam, quæ ...
stus, verus pater noster, attendamus, ...
infini-

infinito amore erga nos *dedit faciem suam, vt* Is. 50.
petram durissimam, percutientibus se, & genas vellentibus, ex qua petra, malleis percussa, fluxerunt *aquæ largissimæ*, quas *hauriamus* Is. 12.
de fontibus Saluatoris; imò ex qua petra, flagris, spinis, clauis, nos excisi sumus, & in filios Dei formati: si; inquam, ad hanc immensam dulcissimi Patris nostri erga nos charitatem attendamus, hæc *vrgebit nos*, vt 2. Cor. 5.
ei, quantas possumus, vices reddamus; quas cùm pares reddere possimus nunquam, saltem quantas possumus, omni adhibito studio, cum perpetuo obsequij & amoris nostri augmento reddamus. Sed & *Sara mater* nostra, hoc est, Virgo benedicta, quæ sub cruce *peperit nos*, suo & desiderio & nostrî amore, & exemplo idem à nobis studium meritò postulabit. Ad hanc igitur etiam attendamus.

Id autem fiet, Primò, si vehemens & in- III.
flammatum desideriũ semper in pectore alamus ad maiorem perfectionem & Dei amorẽ iugiter contendendi. Nam iuxta mensuram ferè huius desiderij profectus noster procedit. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam:* Matth. 5.
quoniam ipsi saturabuntur. tantum nempe habebunt diuinæ gratiæ, quantum esuriunt & sitiunt; quantóque ampliùs sinum desiderij expanderint, tantò plus capient. *Dilata os tuum, & implebo illud*, dicit Dominus. Patriarcha Ioseph *dixit dispensatori domûs suæ*, Ps. 80.
Gen.

Gen. 44. *Imple saccos eorum* (fratrum) *frumẽto, quantum capere possunt.* si maiores capacioresque attulissent saccos, plus frumenti accepissent. Ita Christus pro magnitudine sacci, id est, desiderij tui, implebit te donis & gratijs suis. Deus bone! si auari & filij huius sæculi tantum auri & opum habere possent, quantum possunt desiderare, quàm amplè pãderent vela desiderijs suis. At tu, plus, vel minus desiderando, plùs, vel minùs diues cælestibus diuitijs effici potes, in quarum comparatione terrenæ opes sunt *stercora.* quidni

Dan. 10. igitur cum Daniele sis *vir desideriorum?*

IV. Secundò. His inflammatis desiderijs adiũgenda est ingens in Deum & *plenissima fiducia*, quæ in Dei potentia & bonitate suauissimè, solidissimeque conquiescat. Equidem negari non potest, nos homines esse inopes, miseros, fragiles, in omne malum pronos, ad bonum ineptos & impotentes, neque esse posse vires in nobis ex nobis ad opera perfectionis, quæ supra naturam, adeoque super vires nostras sunt; esse quoque nos Dei auxilio prorsus indignos. Verùm hæc nostram in Deũ fiduciam labefactare non debent; sed potiùs erigere, qui pater noster est; qui nos ad perfectionem, quam scit nos ex nobisipsis, & sine ipso habere non posse, inuitat, hortatur, monet, adeoque auxilia sponte, etiam indignis offert; qui, præterquam quòd ipse pater noster est, etiam de Matre amantissima Virgine

Deipara,

Deipara, nobis prouidit, cuius promptissimū studium & cura sit, nos suis precibus iuuandi; qui denique nihil magis nobis in Sacra Scriptura inculcat, quàm vt in eo speremus: pertinet enim hoc ad eius gloriam, esse, qui in eius potentia & bonitate confidant; eoque maior est hæc gloria, quò magis in eo confiditur.

V. Ex hac magna in Deum fiducia nascitur animi magnitudo in aggrediendis, perficiendisque rebus, ad eximiam perfectionem & quam amplissimam Dei laudem spectantibus. Neque enim est ferendus quorundam error & ignauia, qui cordis angusti homines, suam excusantes infirmitatem & indignitatem, & solâ sui diffidentiâ, vel potiùs abiectione animi inducti, humi repunt, & ad nihil præclarum, aut celsiorem aliquem sanctitatis gradū se tollunt, & interim videntur sibi esse humiles, quippe abiectè de se sentientes, qua apparente humilitate suam ignauiam & animi vilitatem palliant. Non est ignaua, aut timida, sed generosa & magnanima Christiana humilitas, quæ suam quidem imbecillitatem, imò prorsus impotentiam agnoscit, nec proinde, si quid laude dignum, Deóve placitum agat, quidquam sibi adscribit; sed in sui nihili, vilitatisque suæ abyssum Deo se submittit, cōtēptuque & vilipensione gaudet: cæterùm alia ex parte habens pro se promptum Dei auxilium & potentiam, quæ infinita est & omnia potest,

potest, bonitatémque ad succurrendum & iuuandum non modò paratam, sed etiã, vt bene & præclarè agas, sponte inuitantem atque incitantem; cui accedunt Christi quoq; infinita merita, quæ auxiliorum Dei nobis copiã procurant atque obtinent: his Dei viribus & bonitate, Christiq; meritis freta, nihil, quantumuis difficile & magnũ, non tentat, quod est iuxta beneplacitũ Dei, nihil se non posse causatur; sed, cum Dauide, *dilatato corde*, & *mandatorum* & perfectionis *viam currit*. Tale cor, quod vehementer Deo placet, *latum, sicut arena, quæ est in littore maris*, & fiduciâ Dei plenum concipe, si ad insignem perfectionem vis pertingere; ex quo vlteriùs oriri solet seria resolutio, siue animi inductio, eáque constans & firma, aliquid dignum Deo præstandi, *& excelsæ cogitationes filiorum Dei*, ad quas suscipiendas & fouendas hortari suos Patres Tertij anni solebat P. Balthasar Aluarez, vt testatur P. Ludouicus de Ponte in eius vita.

Ps. 118.

3. Reg. 4.

VI. O! quantum momenti positum est in hac syncera & seria animi resolutione, Dei fiduciâ nixa, tendendi ad magnam perfectionem, & peruincendi omnia, quæ obstare possunt; pręsertim respectum humanum, & amorem proprium, ęmulandique quamlibet cuiusq; Sancti sanctitatem. Nam, si filij huius sæculi, cũ quid obstinatè, etiam in rebus malis, in animum inducunt facere, nullis cedunt difficultatibus, media

media omnia adhibent, nec quiescunt, donec rem perficiant; cur non idem fiat, si resoluto, forti & constanti animo sis ad sanctè viuendum? Scimus, quosdã ex vnica seria resolutione, vel, dũ facerent Exercitia Spiritualia S. P. Ignatij, vel alio tempore, aut occasione facta, egregiam vitæ sanctimoniam & inchoasse & continuasse, & denique absoluisse, idque sæpe intra breue tempus. Iuuat enim peculiariter Deus sic resolutos, & qui se totos ac penitùs illi tradunt ad agenda, patienda, superandáque omnia parati, quæ in via perfectionis occurrunt. De Fernando quodam fabro cæmētario, quem ægrum iussu Beatæ Virginis in festo eius Conceptionis P. Iosephus Anchieta in Societatem admisit, & septiduo pòst moriturum atque in cælum abiturum prædixit, cũ primùm is animam felicissimè exhalasset, idem P. Iosephus adstantib⁹ moriēti dixit, præmium illũ Religionis religiosæq; vitæ multis alijs prærepturũ, qui, cùm multis annis in Religione versati sint, nunquam tamē Deo se totos tradiderunt. Ipsi autē, cùm totâ vitâ fabrilem artem exercuerit, maximamque eius partē Matrimonio coniunctus, ideo, inquit, Deus septem dierum spatio id præmium repræsentauit, quoniam penitùs se toto cordis affectu Deo permisit. Tantum valet resolutus animus Deo perfectè seruiendi, suique integra traditio, cum spe adfuturi semper diuini auxilij. Porrò hæc animi resolutio, siue

inductio

inductio non ideo intepescere, aut remitti debet, si ex fragilitate in aliquem defectum labaris, vt fieri solet; imò verò si millies in die, vel etiam hora te defecisse animaduertas, millies iterum te resolue Deo fretus, ad quærendam magnam perfectionem. Semper enim & tu ex te fragilis ac labilis es, & Deus omnipotens ac bonus. Nihil igitur tibi mirum videatur, si ex te lapsus es, qui non nisi labi ex te potes; idque Deus permittit, vt te humilies, & nihilum tuum agnoscas; interim manet tibi Dei omnipotentia ac bonitas ad te iuuandum semper parata: atque ita, si te attendas, tibi diffides; si DEVM; illi confides; quorum alterum sine altero esse non debet.

VII. Quæres, qua in re potissimùm hoc studiũ continenter proficiendi, & in perfectione progrediendi adhibendum sit? Respondeo, in eo, vt opera, etiam minima (nam Deus non tam quid, quàm quomodo agas, attendit) quæ agis, omni ex parte suam absolutionem habeant, siue, vt quàm optimè fiant, sintque ad quàm maximum beneplacitum & gloriam Dei. Erunt autem, si nihil illis imperfectionis admixtum sit, vitioque omni careant, siue ex amore proprio, siue aliunde nato; si exerceãtur cum omni diligentia in Domino; si cum præstantissima & purissima intentione & oblatione, vniendo illa cum operibus Christi, & per illum offerendo ad infinitum Dei gustum; si ex

si ex se talia sint, vt eo tempore nihil gratius Deo præstare possis, qualia sunt præcipuè, quæ ex obedientia fiunt, quantumuis exigua, quæ *melior est, quam* omnes aliæ *victimæ*; si 1. Reg. 15.
paratus & promptus semper sis, dum hanc actionem, quam Deo gratissimam putas, exerces, aliam quamcunque exercere, si scires, eam fore Deo gratiorem; si omnes & singulas actiones tuas feruentissimo in Deum amore, aliarumque virtutum vsu condias.

Ad hoc autem, præter assiduam diuinæ o- VIII.
pis, & gratiæ implorationem, duo præcipuè conducent. Primùm, vt agenda, & quoad substantiam actionis, & quoad modum prærordines ac disponas. quam ad rem mirè facit meditatio quotidiana, in Societate nostra vsitata, si sit practica, hoc est, si ad tollenda vitia, quæ nos infestant, & in actiones nostras irrepere solent, & ad practicum virtutum vsum, & præsertim amoris diuini, qui, vt ait S. P. Ignatius, *non in verbis, sed in actione consistit*, ordinetur. Plurimum etiam eò conferunt regulæ electionis, ab eodem S. Ignatio in Exercitijs Spiritualibus traditæ, primi & secundi modi; sed præsertim primi, in casibus & rebus agendis quotidie occurrentibus, vt sectemur id, quod optimum est, recedendo quàm longissimè ab eo, quod nos à Deo abducit, & sequendo semper, quod est ad maius eius obsequium & gloriam. *quas regulas vide in citato libello.*

IX. Alterum, quod ad actiones nostras optimè perficiendas iuuat, est, examen cõscientiæ rectè & accuratè facere. Cùm enim eæ actiones si pleræque quotidie semper sint eædem, aut sibi similes, quando illas tot examinibus, velut *lucernis*, semel, aut bis per diem *scrutamur*, idque non obiter & transcursim, sed studiosè & diligenter singulas excutiendo, facilè, quid in eis hîc & nunc, dum occurrunt, repellendum, quid admittendum sit, deprehendimus, simulque duobus posterioribus examinis pũctis, (quorũ in examine potissima debet esse ratio) hoc est, dolore de defectibus, & proposito emendationis, ad tollendum, quod vitiosum est, & procurandum, quod est secundùm virtutem, accendimur; atque ita limando, poliendo, perficiendo actiones nostras, ad insignem breui sanctitatem peruenire possumus; vt non immeritò magnus quidam & magnæ virtutis vir solitus sit ei, qui examina ita exactè, vt fieri possunt, & debent, faceret, polliceri, intra annum fore tam sanctum, vt miracula patrare queat. Nec enim perfectionis cupidus ac studiosus, qui se rite examinat, satis habere debet, si peccata duntaxat, quæ fortè per diem commisit, deprehendat, eaque contritione & proposito deleat; sed indaget etiam, sicubi à perfectione deflexerit, etiamsi id sine peccato vllo factum sit; si quem virtutis actum inter actiones suas exercere potuerit, quem omiserit; si opportu-

portunam patiendi aliquid pro Deo occasionem elabi sit passus; si quam temporis particulam non ita in obsequio, & cultu Dei collocauerit, vt quàm maximum Deo gustum præberet; si non is, qui esse potuit, aut debuit, fuerit actionum feruor, non ea virium, & animæ facultatum ad eas applicatio, non ea intentionis puritas, non hominis interni, vel etiam externi ad ædificationem compositio, non is Dei amor, per quem in suis operibus magis esset amans, quàm operans, non illud diuinæ gloriæ tuendæ, promouendæ, amplificandæ studium ac zelus &c. Hæc & similia, si toties peruigili curâ in se dispiciat, resecanda resecet, curanda curet, an non breui perfectus erit? Quodsi generali examini addat etiam particulare, quod non ad eradicanda duntaxat vitia (quod primò fieri debet) sed & ad inserendas virtutes, earúmque actus crebrò eliciendos valet, siue cùm certæ illius, cui acquirendæ inuigilat, virtutis occasio offertur, vt nè negligatur; siue cùm nulla etiam offertur, vt per temporis spatia, aut consultò definita, aut alioquin opportuna, v. g. cùm inter consuetas occupationes vacui temporis aliquid intercedit, internus eius, vel etiam externus actus eliciatur, frequentetúrque toties, & tamdiu, donec habitus acquiratur; punctis annotatis, si quid illorum temporum per incogitãtiam, aut negligentiam nostram sine illius

virtutis exercitio interno, externóve prætereatur. multò certè hoc etiam pacto propiùs ad perfectionem accedet.

IX. His & eiusmodi modis ac medijs S. P. N. Ignatius ad absolutissimam & excellentissimā sanctitatem peruenit, vt ostendit Orlandinus in fine primæ partis historiæ Societatis. Nam & consideratione præuiâ; quæ, vt ait S. Bernardus, *regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat ac ordinat, postremò diuinarum & humanarum rerum scientiam confert; agenda praeordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens*; hac, inquam, consideratione S. Ignatius plurimùm est vsus, adeò, vt, licèt eius voluntatem continuè & vehemētissimè incenderet flamma cælestis, & in rebus diuinis patienti, quàm agenti propior videretur; ita tamen rationem ad ea, quæ ageret, adhibebat, vt ad studia, quamuis pia, nollet impetu ferri; sed consilio duci, modum & finem & viam inquirens, quâ quàm perfectissimè, etiam in minimis, obirentur. Huic considerationi accedebant frequentia examina, tum generalia, quæ non bis tantùm statis temporibus, pro more Societatis, in die faciebat, sed & singulis horis mentem colligebat, & se super suas actiones reflectebat; tum particulare, quod eo ipso, qui mortem eius antecessit, die accuratè peregisse, animaduersum est. Quibus rebus id consecutus

est,

eſt, vt præſentis diei profectum cum præterito conferens, inueniret, longiùs ſe quotidie progreſſum, & ardentioribus in diuino obſequio inflammatum ſtudijs. quod ad id, de quo nunc agimus, confirmandum ſpectat. Lege Orlandinum, loco illo citato copiosè de his differentem; non enim ſine fructu leges; &, ſi, quæ leges, obſerues, longè etiam vberiorem ſenties. Cùm verò, quæ nunc diximus, Beatiſsima Virgo S. Ignatio in libello Exercitiorum tradiderit, vt colligitur ex ijs, quæ cap. 11. huius libri diximus, ſi ea obſerues, doctrinam Beatiſsimæ Virginis obſeruabis; quin etiam exemplum ſequêris.



LIBER TERTIVS.

Modi & praxes colendi Matrem dolorosam.

MVltas colendæ Deiparæ praxes collegit Pater de la Croix in suo Hortulo Mariano. In eodem argumento alij quoque cũ laude versati sunt; sed id præstitere, vel agendo de cultu Beatæ Virginis in communi, vel sub alio titulo, quàm Matris dolorosæ; de qua qui peculiari opere speciatim, & ex instituto scripsisset, hactenus vidi neminem. Optabam equidem hanc alteri spartam cedere, qui eam meliùs ornaret, vti etiamnum opto, aliquem esse, qui pietate in Virginem mœstam ardens, meum & teporem suo calore, & imperitiam copiâ scientiæ, doctrinæque, in multiplici eius cultu explicãdo, suppleret. Verùm quia, qui me voti compotem faciat, non habeo; tentabo, quod potero. Quodsi quid fortè aliquando occurret, quod titulum Matris dolorosæ videatur excedere, vniuersaliùs dici, nolo, id mihi esse interdictum; & facilem, vt spero, apud te, pie lector, veniam inueniam, qui pro tua in Virginem obseruantia & amore, modos omnes eius

colendæ

colendæ cupidè, sat scio, aues cognoscere. Historijs, atque exemplis praxes, vbi potero, illustrabò, quæ vtilitatem habent iucunditati coniunctam.

II. Suppono autem ante omnia, piam memoriam & venerationem Virginis dolorosæ lōgè & illi esse gratissimam, & nobis saluberrimam. Cùm enim in suis sub Cruce doloribus immensum erga Deum, & erga genus humanum amorem declarauerit, virtutum actus exercuerit excellentissimos, plurimis, & maximis Dei donis sit ornata, diuinæ gloriæ, & saluti nostræ vnà cum Christo cooperata, vt lib. 1. & 2. dictum est; qui dolorum eius piè, & cum veneratione meminit, hæc omnia simul, velut in fonte, comprehendit, illique repræsentat. Similem ob causam, rem CHRISTO acceptissimam, sibique admodum salutarem facit, qui eius cruciatus, pro nobis susceptos, cum pio sensu recogitat: præterquam quod ipsa per se recordatio malorum, olim toleratorum, in mentem ijs, qui ea pertulerunt, reuocata solatium ac iucunditatem adferre solet: nā, vt ait Poëta, *passos grauiora & hæc olim meminisse iuuat*. Confirmat id, quod dixi, historia, quam refert Pomerius lib. 3. de B. V. MARIA p. 4. art. 4. & ex eo alij. Incessit aliquando S. Ioannem Euangelistam ingens cupido videndi Virginem, sibi commendatam, posteaquam in cælum esset assumpta. Igitur ab se abreptus,

spectauit cum Filio Matrem, & audijt æquè de illius tormentis, in cruce toleratis, atque de ingenti sua erga illum commiseratione differentem. Filio deinde supplicauit Virgo, vt cæleste aliquod munus, idque non vulgare, omnibus impertiret, qui piè harum rerum meminissent. Filius mox hæc quatuor dona spopondit. *Primum: Vt quisquis Matrem per eius dolores precaretur, is ante obitum verum de peccatis dolorem impetraret. Secundum: Vt ipsius, maximè instante morte, præsidio muniretur. Tertium: Se eius cordi supplicia sua inscripturum: & ideo mercedem magnam aliquando præstiturum. Quartum: Se Matri omne ius dare & facultatem pro tali quidlibet impetrandi.* En quàm iucunda sit Virgini Matri, quantæque nobis felicitatis ac bonorum, tum in morte (cùm plena periculis salutis sunt omnia) tum in vita ferax vel sola dolorum eius pia memoria. Quid si ei adiungatur cultus, ac veneratio, siue aliquis deuotionis actus? nónne magis illam nobis demerebimur, & oblectabimus magis? Quare studiosè inquiramus, & studiosiùs etiam, vt par est, exerceamus praxes, & modos huius deuotionis, quæ in Matre dolorosa colenda consistit.

PRA-

PRAXIS I.

Sodalitatem sub titulo Matris dolorosæ, vel Reginæ Martyrum erigere, aut illi nomen dare.

INgens est, DEI beneficio, passim per orbẽ Christianum, Sodalitatum Beatæ Virginis numerus. Nam & Rosarij Confraternitas, per S. Dominicum instituta, iam indè à sui primordio vbiq́ue viget ac floret, &, vt alias aliorum Ordinum frequentes taceam, quocunque Societas nostra sedem, siue Domo Professa, siue Collegio constituto, ponit, ibi pariter vel vna, vel plures ordinariè Magnæ Matris Sodalitates eriguntur, magno cum pietatis prouentu. In sola vrbe Neapolitana recenset P. Antonius Spinellus minimũ quindecim, easq́ue frequentissimas, in quibus bis mille & trecenti & eo amplius Sodales censentur. Varijs hæ Sodalitates titulis insigniũtur: Annuntiationis, Purificationis, Visitationis, Assumptionis, Præsentationis, Natiuitatis, Conceptionis Beatæ Virginis; item, Reginæ Angelorum, &c. P. Iacobus Rhem, opinione sanctitatis, & amore Deiparæ in Bauaria celebris, Anno 1594. nouo inuento alium præterea cætum, è Sodalibus Virginis Annũciatæ collectum, instituit, quem *Colloquium Beatissimæ Virginis* nuncupauit, & Sodales I.

Collocutores; quippe quorum præcipuum munus foret, de rebus pijs colloqui. Leges præterea certas sanxit, quarum qui vel vnam violaret, aut peccato se mortifero obstringeret, ipso facto exclusus, omni fructu & meritorum participatione, atque indulgentijs orbatus priuatúsque existeret, quoad apud Sacerdotem animo confessione expurgato, hymnóque *Aue maris stella* pronunciato, sponte rediret in gratiam, iterumque cœtui, quamuis occultè, reconciliaretur, vt testatur Ioannes Bourghesius in libello, cui titulus: *Societas IESV MARIAE Deiparæ Virgini sacra c.* 22. Et hæ quidem Congregationes omnes sanctè admodum, laudabiliterque sunt institutæ, è quibus ingentia in Ecclesiam Dei emolumenta promanarunt & quotidie promanant. Verùm, quod miserere, multis in locis paucæ, aut pœne nullæ sunt, quæ Matri dolorosæ colendæ sint tota dicatæ. Causam esse arbitror, quòd illi potissimùm tituli Sodalitatibus erigendis arrideant, qui certam aliquam & ab Ecclesia vsitatam, ac solenniter receptam festiuitatem Diuæ Virginis annexam habent, qua statis in anno diebus, vt: Annuntiationis, Assumptionis, &c. suæ quique Sodales pietatis specimen edant, & coram populo, ad eius ædificationem, sermone ac clientes Marianos publicè solenni cum apparatu & ritu profiteantur. At verò Ma-

rò Matri dolorosæ, siue Reginæ Martyrum nullus vniuersim talis, tamque aptus, atque opportunus dicatus hactenus est dies.

Sperandum nihilominus est, fore, vt, hoc non obstante, Virgo quoque dolorosa suas Sodales magno numero habeat, qui eius doloribus recolendis, pieque venerandis totos se impendant. Certè erigendæ passim tali Sodalitati multæ causæ rationesque patrocinantur. II.

Primò. Quia prima omnium, & antiquissima est hæc Matris dolorosæ Sodalitas, & à Christo ipso crucifixo erecta atque instituta, cùm dixit S. Ioanni: *Ecce mater tua.* & Virgini: *Ecce filius tuus.* quibus verbis S. Ioannes primus factus est Diuæ Matris (tunc vtique maximè dolorosæ) & Sodalis, & discipulus, & cliens, & filius; *& ex illa hora*, hora, inquam, dolorum & afflictionum, *accepit eam in sua*; quem alij deinceps Sodales meritò sequuntur. Et verò, si, cùm Sodalitijs inscribuntur Sodales, Augustissimam Virginem in Matrem eligunt, vti solemni formulâ suâ profitentur; certè, cùm dolorosa esset Virgo, hoc est, sub cruce, Mater nostra facta est, vt lib. 1. cap. 9. copiosè est ostensum, adeoque sub hoc titulo eam aptissimè, proprijssimeque in Matrem eligent. III. Ioan. 9.

Secundò. Deuotio erga eius dolores est IV.

illi longè gratiſsima, vt ſuprà dictum eſt. His præterea & nos ſibi, & nobis Deum arctiùs deuinxit, vt ex lib. 1. patet, quod illi tanto impendio ſtetit; vt propterea maiorem à nobis gratitudinem, pietatemque meritò exigat, quàm communibus ſtudijs atque officijs in vnum cætum congregati exhibeamus.

V. Tertiò. Amplioris, latiùsque patentis in Diuam Virginem deuotionis hic titulus occaſionem Sodalibus præbebit. Nam reliqua Virginis myſteria, vt: Annuntiationis, Purificationis, Viſitationis, Conceptionis, Natiuitatis, Aſſumptionis, &c. ferè vnica ſunt: at hoc multiplex & varium, ſicut multiplices & varij fuerũt eius dolores, ſeptena particularia myſteria complectentes, durantesque à filij circumciſione vſque ad eius mortem. Multa igitur per annum erunt tempora, quibus nunc hoc, nunc illud doloroſum myſterium Sodales colant (præſertim ſi ea tempora aptè diſtribuantur) magno cum eorum fructu, & religionis incremento.

VI. Quartò. In his varijs Beatæ Virginis doloribus, eorumque circumſtantijs, ſiue adiunctis admodum ferax, & copioſa eſt pro Sodalibus meditandi, cogitandivè, eaque peculiaris materia, vti & Sodalitatis Præſidibus, aut Patribus Spiritualibus loquendi, atque exhortandi, ex qua præſtantiſsimi affectus eliciantur, quam ſuppeditat totus liber primus, cui ingenioſus & eruditus lector plura addere

poterit,

poterit, vel suópte ingenio excogitata, vel alibi inuenta; prræterquam quòd alia quoque motiua generica, quæ adferri solent ad excitandos animos, ad Virginem celebrandam, huic itidem seruiunt argumento. Eiusdem enim Virginis Matris res agitur.

Quintò. Vix, aut nè vix quidem, est aliud Beatæ Virginis mysterium, ex quo tot & tanta virtutum, & sanctè viuendi documenta atque exempla petantur, quæ etiam Sodales, aut sibi ipsi ad imitationem proponere, aut à Patribus Spiritualibus accipere poterunt, cũ eximio in spiritu profectu. Hæc documenta, atque exempla toto lib. 2. adferuntur; & facili negotio amplissimè dilatari queunt. Quàm multi enim sunt Scriptores, qui de virtutibus accuratè exquisiteque agunt? Serenissima Magdalena, Ducissa Bauariæ, Congregationẽ Virginis dolorosæ in sua aula erexit, ex qua, præter alium heroicarum virtutum & egregiæ pietatis fructum, hunc quoque cepit, vt in graui & diuturna tredecim mensium ægritudine nullum pusilli animi signum, aut querentis vocem ederet, Matris dolorosæ exemplo permota, cuius hac ratione Sodalitatem, a se erectam, suis etiam doloribus, & patiẽtiâ honorauit, vt constat ex eius concione funebri, & rugitu leonis 1628. VII.

Sextò. Multa præterea commoda tum in vita, tum potissimùm in morte ex Matris dolorosæ cultu ac patrocinio sperare meritò VIII.

possunt ei deuoti Sodales. Equidem Virginis Sodalem, quocumque sub titulo esse, plurimùm ad bene, feliciterque moriendum iuuat, vt patet ex multis historijs, quæ in Annuis Societatis nostræ referuntur; quarum aliquas, quia ad nostrum, de quo agimus, argumentum faciunt, commemorabo. Anno 1590. Dilingæ adolescens è Marianis Sodalibus, cùm ad supremam luctam Diuam Virginem patronam & adiutricem precibus inuocaret; præsentem illam aspexit, & suum aliorumque Sodalium nomina, charactere aureo tabulæ inscripta, in Virginis manu vidit ac legit, quæ ei migrationem è corpore, & breue purgatorium prædixit. Felices, quos in suo libro scriptos gerit salutis Mater. Anno 1594. Alius quidam Dolæ, postea quam, arreptâ CHRISTI crucifixi imagine, cum Cacodæmone, spectantibus, & audientibus præsentibus Consodalibus, moriens depugnasset; nunc, *Credo, credo*, ingeminans, nunc: *Non est ita, mentiris*, hosti inclamans, crucemque manu circumferens, & in eum quasi intorquens, cùm à pugna victor conquieuisset, tandem vitam hoc dicto conclusit: *Quàm bonum est, Beatæ Matri in eius Sodalitio famulari.* Eodem anno Viennæ Austriæ Sodalis Parthenius moriens, recitato *Salue Regina*, magnâ voce præsentem Augustissimam Patronam sic est suauissimè allocutus: *Et vnde mihi hoc,*

hoc, vt Mater Domini mei veniat ad me? simulque & vocem & vitam abrupit. Nec minùs insigne est illud, quod Bituricensis Collegij Annales referunt, anno 1611. de quodam ex Sodalibus, qui incredibiles dolores, quibus discerpebatur, perpessus, quos aut silentio pressit, aut diuinis verbis condiuit, hoc tandem est effatus: *Quam dulce, quam salutare, ô Virgo Beata, est Sodalitium tuum! Quid egi? quid commerui, vt in illud adscriberer?* atque ita sanctè cum omnium adstantium lacrymis obijt. Cuius defuncti locum ac stationem parens, posteaquam filio splendidum funus curasset, Sodalis & ipse factus, impleuit. Hæc si morientibus auxilia, ac beneficia Beata Virgo suis Sodalibus, sub quocunque titulo illi seruientibus, præstat; præstabit vel maximè ei dolorosæ piè addictis. Nam possitne illa deesse morienti, qui morienti filio summis in doloribus adstantem non modò impensè coluit; sed totum se eius cultui, vel initâ sub hoc titulo Sodalitate, cõsecrauit, vel, vt multi consecrarentur, Sodalitatem erexit. Sed de hoc plura infrà, praxi 6.

Septimò. Neque verò ad priuata tantùm commoda Sodalitas Matris dolorosæ plurimùm facit; sed etiam ad publica, atque ad auertendas communes Reipubl. calamitates. Circiter annum Domini 1482. IX.

cùm

cùm ciuilibus bellis Belgium arderet, & passim inter Primates ac plebem intestinis odijs cruentisque litibus scinderetur, neque porrò spes vlla rem deploratam instaurandi affulgeret; Philippus I. Austriacus, Hispaniarum Rex, Sodalitium in venerationem septē Virginis dolorum instituit. Et ecce illico tumultus publici, seditionesque compositæ, & mores vrbium in melius commutati. Confirmata fuit hæc Sodalitas à viginti quatuor Episcopis, & ab Alexandro VI. & Leone X. approbata. Vtinam simile calamitatibus nostri temporis remedium inueniretur, adhibereturque multis in locis.

X. Octauò. Non paruus ad hanc Matris *dolorosæ* Congregationem sperandus est hominum confluxus, qui ei nomina dent. Nam vel solâ cogitatione tenerrimæ Matris, doloris gladio transfixæ, vnusquisque Fidelium ad pietatem, & commiserationem mouetur. Incredibile dictu est, quantis auctibus, quantóque numero Sodalitas, de qua paulò antè dixi, à Philippo I. Hispaniarū Rege instituta, in Belgio creuerit, quamque vberes pietatis fructus protulerit. Nam post primam institutionem ex sæculari statu duo Imperatores, Maximilianus I. & Carolus V. Reges item, & Archiduces, &c. & ex Ecclesiasticis S. R. E. Cardinales, Nuncij Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, alijque omnis ordinis, & conditionis innumeri ei inscribi voluerunt, breuique

nique per Brabantiam, Flandriam, Hollandiã, Zelandiam est propagata. Et aluit Deus ac Beata Virgo hoc incrementum plurimis editis miraculis, quorum supra ducenta ante annos plùs centum legitimè fuerunt consignata, triplicique idiomate vulgata, & non semel in lucem edita; quibus satis Deipara declarauit, quantopere sibi hæc Sodalitas placeret. Verùm, cùm deinde bellicis tumultibus fuisset collapsa, ingenti omnium studio atque ardore, nostrâ ætate, Societatis nostræ Patribus strenuè, tum concionando, tum alijs modis, collaborantibus, est restituta. Mechliniæ, vbi, populo, cõcionibus disposito, statua primùm in templo est erecta, elegans, & splendida, heroico statu consistentem Virginem exhibens, decoris lachrymis è mœsto vultu fluentibus, septenis pectori infixis mucronibus, singula deinde mœroris Virginei monumenta, septẽ expressa imaginibus, circa templum, vicumque adiacentem certis sunt locata interuallis, vt vicum eũdem circuire populus posset, quoties luberet, iconásque venerari. Tum Archiepiscopus suâ authoritate Sodalitatem firmaturus, quadraginta horarum precationẽ, propositâ Ven. Eucharistiâ, instituit, ac deinde magnifico apparatu & pompâ, multisque cum cærimonijs post insignem supplicationem, & solenne Missæ Sacrificium statuam dedicauit, & ad singulas stationes dierum quadraginta Indulgentias populo est impertitus;

titus; quod beneficium perpetuum ad easdem imagines orantibus, sacrumque illud spatium circumeuntibus, ac statuam honorantibus esse iussit. Atque ita datum postliminiò initium est restitutioni veteris Sodalitij Matris dolorosæ, quam Paulus V. & Gregorius XV. Summi Pontifices iterum approbarunt. Tantus autem mox fuit dantium nomina concursus, vt octiduo octingenti nonaginta vnus supra quatuor millia in id Sodalitium sint cooptati, & intra paucas hebdomadas ad septem millia numerus excreuerit. Libelli, quibus Sodalitatis origo, causa, leges explicatæ, exiguo tempore ingenti numero distracti. *Anno verò* 1630. numerata sunt Sodalium *capita supra* quatuordecim millia. Ex plurib⁹ enim Diœcesibus ac Regionibus plurimi sua nomina trãsmiserunt. Nec defuere nunc quoque miracula, quibus iterum Deus ac Deipara ratam ac gratam sibi esse hanc Sodalitatem testati sunt. Iam Sodalium ardor in venerandis Dei Matris doloribus notatus est esse eximius; hyeme perfrigidâ stationes obeuntium, noctu ante eas sese diuerberãtium, humi repentium, &c. Grauium peccatorum conuersiones factæ, &c. Neque verò vnâ vrbe hic se continuit feruor; sed in alia Brabantiæ, & Flandriæ loca, & multa multorum Religiosorum domicilia est propagatus, quæ Stationes, aut Sodalitium æmulari voluerunt, vt: Duacum, Antuerpia, Bruxellæ, Siluaducis, Gandauum, Brugæ, Cor-

tracum,

traeum, Ostenda, Alostum, &c. Imitati quoq; ante paucos annos hanc Belgarum pietatem sunt Colonienses, simili Sodalitate Matris dolorosæ institutâ, aut potiùs, vt sequenti praxi dicam, restitutâ, ingenti quoque numero ad eam certatim aduolante. Nam intra vnius anni periodum aliquot millia sunt inscripta. Adeò potens est ad permouenda pectora, & ad sui amorem incitanda Mater dolorosa; præsertim cùm eò quoque conferat communis mortalium conditio. Nam, vt nulla ferè est familia, seu humili, seu sublimi in statu constituta, cui non frequenter aliquid triste cótingat, ita aptum natum est fieri, vt quęuis prono impetu se se effundat in sinum & cor Virginis, quæ propriâ experientiâ optimè nouit, quid sit dolere, quid pati: neque mediocriter mitigabuntur sui cuique mœrores, dum perpendet excellentissimam illam simul & innocentissimam personam tam grande, ac tristè pertulisse Martyrium.

XI. Hę mihi occurrerunt rationes, quibus moueri possint, aut ad erigendam (qui suâ authoritate id valent) Sodalitatem sub titulo Matris dolorosæ, siue Reginæ Martyrum, aut ad ineundam, quibus integrum est, aut saltem ad non exiguam erga illam deuotionem concipiendam. Posset autem hæc Sodalitas sic institui, vt vel tota, vel magna ex parte ad iuuandas animas purgatorij ordinaretur. de quo agemus infra praxi 7. §. 14.

PRA-

PRAXIS II.

Festum diem per annum constituere Matri doloroſæ, præcipuâ veneratione colendæ.

I. NVllum hactenus S. Romana Catholica Eccleſia peculiare feſtum cum ſuo officio doloribus Virginis recolendis, venerandiſque inſtituit. Videtur quidem eò ſpectare feria ſexta Paraſceues, & ei adiunctum Sabbatum Sanctum; verùm ij dies Chriſti paſsioni & morti conſiderandæ ita toti impenduntur, vt magnum ſit compaſsionis Matris ſilentium. Vnde, vt dixi, nullum eſt *publicum* de doloribus eius officium, & nè quidem vlla in Horis canonicis mentio. Adde, quòd Sabbato Sancto Miſſa ſolennis cantetur de Reſurrectione. Cur id hactenus vniuerſalis Eccleſia non fecerit, noſtrum non eſt iudicare; ſed potiùs Deum demiſſe ac ſuppliciter precari, vt, cùm Spiritui Sancto, à quo regitur, viſum opportunum fuerit, hunc quoque honorem Martyrum Reginæ decernat. Nam neque alia eiuſdem feſta, niſi pro temporum opportunitate, ætatum decurſu, ſunt per totam Eccleſiam inſtituta. Feſtum Purificationis ſub Iuſtiniano Imperatore cæptum eſſe Conſtantinopoli celebrari, tradunt Nicephorus lib. 17. hiſt. c. 28. & Sigebertus in Chronico anni 542. quod non multis antè annis Gelaſius

Papa

Papa in Occidentalibus Ecclesijs instituerat. Festum Natiuitatis tempore Caroli Magni Imperatoris, & Ludouici Pij Gallicanæ Ecclesiæ ignorabant, vt patet ex Concilio Moguntino, celebrato Anno 813. Assumptionis item festum in Gallijs non nisi circa tempora eiusdem Caroli Magni receptum est. Conceptio immaculatæ Virginis posteriùs etiam suæ festiuitatis sumpsit exordium. Visitationis Deiparæ solennitas ab Vrbano VI. Pontifice, anno 1389. cæteris eiusdem festiuitatibus est annumerata; idque ad tollendum ope Dei genitricis schisma, quo tunc lacerabatur Ecclesia. Alia ergo alijs temporibus instituta sunt Deiparæ festa. Porrò multa ex ijs, priusquam in totam Ecclesiam inducerentur, in priuatis quibusdam Ecclesijs, & Diœcesibus, vel Religiosis ordinibus suam celebritatem primùm habuerunt, vt constat de festis eiusdem Gloriosissimæ Virginis, Conceptionis, Natiuitatis, Præsentationis, &c. Sic etiam S. Oddo Abbas Cluniacensis primus instituit inter suos Religiosos, vt Commemorationem omnium fidelium defunctorum die post festum Omnium Sanctorum peragerent; quod institutum totus deinde Christianus orbis amplexus est.

Neque verò etiam aut olim defuerunt, aut hodie desunt, qui festum diem Matri dolorosæ agant. Nam, vt ait Petrus Antonius Spinellus in suo opere de Deipara, in tractatu de festis: II.

festis; Festum dolorum Deiparæ, quos, cùm puerum IESVM sisteret in templo, Simeon ei vaticinatus est, à Cisterciensibus, quemadmodum ex eorum Breuiario colligitur die 16. Aprilis; ab alijs verò plurimis in locis; præsertim in Atrebatensi diœcesi feria sexta ante Dominicam Palmarum solemni ritu celebratur. In eiusdem Virginis dolorum memoriam, apud Traiectensem Diœcesim, in Diui Ægidij, vbi Canonicorum Collegium erat, Societas quædam erecta est, quo in loco complura signa, ægrotis reddita valetudine, mortuis ad vitam reuocatis, diuinitus sunt exhibita, quemadmodum libellus quidam, de ea Societate latinè editus, testatur. Hæc Spinellus. Hæc Societas sine dubio die aliquo per annum suâ festiuâ solemnitate non caruit.

III. Anno 1423. sub Theodorico Coloniensi Archiepiscopo celebrata est Synodus, cui interfuerunt Episcopi, Leodiensis, Osnaburgensis, Monasteriensis, Mindensis, & Vltraiectensis, cum alijs Ecclesiasticis, Diœcesi Coloniensi subiectis. In hac Synodo 22. Aprilis decretum est ac mandatum, vt in omnibus his Episcopatibus, eorumque templis Collegiatis & Parochialibus, intra & extra vrbes, quotidie manè ante ortum Solis signum ter campanis daretur (eo modo, quo datur ad AVE MARIA) in memoriam ac venerationem dolorum, & compassionis

passionis maternæ Gloriosissimæ Virginis MARIAE. Super hæc factum est in eadem Synodo hoc decretum, quod est numero vndecimum, his verbis: *Ad gloriam Sanctæ, & intemeratæ Virginis DEI Genitricis, pro miseris peccatoribus Filium suum assiduè deprecantis, & orantis, cuius laudes etiamsi omnes arenulæ maris in linguas conuerterentur, depromere nequirent: nec non ad honorem illius angustiæ, & doloris, dum Redemptor noster IESVS CHRISTVS expansis manibus in ara crucis pro salute nostra immolatus, Matrem suam benedictam dilectissimo discipulo suo Ioanni Euangelistæ commendauit, & præsertim vt profanorum hæreticorum Hussitarum perfidia, qui imagines ad laudem CHRISTI crucifixi, & gloriosæ Virginis dedicatas ausu sacrilego comburere, & deuastare minimè formidarunt, statuit, & ordinauit, vt festum Compassionis, seu Commemorationis præfatæ angustiæ, & doloris Beatissimæ Virginis deinceps singulis annis feria sexta post Dominicam Iubilate (nisi aliquod festum eodem die interuenerit) & ex tunc prima feria sexta, proximè subsequentii, in vtrisque Vesperis, Matutino, Sacro, Horisque aliis in choro tantùm celebretur, vt Dominus noster IESVS CHRISTVS velamina de cordibus eorum auferat, & eosdem ad Sacrosanctam fidem Catholicam reuocare; & CHRISTI* fideles

fideles de erroribus, & omni malo per pijssimam suam misericordiam præseruare, & custodire dignetur. Idem præclaræ memoriæ Archiepiscopus Theodoricus ijsdem ex causis in suo Archiepiscopatu Coloniensi Sodalitatem Matris dolorosæ erexit, ex qua non modò pietas Fidelium, & fiducia erga Virginem magna sumpsit incrementa; sed etiam multis in locis statutæ sunt passim imagines, septem dolores mœstæ Matris repræsentantes, per quas innumera miracula Dei & Deiparæ benignitate patrata sunt, & plurima beneficia hominibus collata; quarum miraculosarum imaginum aliquæ hodieque extant. Quam ob causam Sodalitas Matris dolorosæ aucta vehementer propagataque est, seque in Archiepiscopatum Treuirensem & alios circumiacentes Episcopatus diffudit, & pluribus deinde post annis, hoc est, circa annum 1482. in Belgium à Philippo I. inducta est, vt praxi præcedenti est dictum. Indè quoque consecutum est, vt, quemadmodum de Coloniensi Archiepiscopatu ante commemoraui, non modò in publicis templis, celebribusque locis, sed in omnibus pœne vicis ac plateis, priuatisque domibus, similes in Belgio quoque & alibi Matris dolorosæ collocarentur icones, luminibusque, vel statis temporibus accensis, vel perpetuis honorarentur. Quam pietatem in omnibus ijs, quæ attulimus, æmulatus est nostrâ ætate, æmulaturque etiam-

etiamnum Sereniſsimus Imperij Elector, & Co[illegible]ienſis Archiepiſcopus Ferdinandus Dux Bauariæ &c. per omnes ſuæ Diœceſis Epiſcopatus Sodalitatibus Matris doloroſæ vbique erigendis, ſtatuis, atque imaginibus collocandis, officio diuino, quod olim in vſu fuit, rite ordinando ac reſtituendo, & omni alio religionis cultusque genere.

IV. Hæc igitur tam latè olim fuſa, quæque noſtrâ etiam ætate latè ſe porrigere atque explicare incipit in Matrem doloroſam deuotio, & feſtus dies, varijs iam in locis illi dicatus ſpem non friuolè conceptam facit ac fouet, fore, vt ſimiliter atque aliæ Deiparæ feſtiuitates, à paribus initijs ortæ, in totam deinde Eccleſiam introductæ ſunt, & ſolemni officio cultæ; hæc quoque mœſtæ Virginis ac Reginæ Martyrum memoria, luce aliquâ feſtiuâ, peculiarique officio vniuerſim per Eccleſiam celebretur. Interim quibus poſſumus priuatim ſtudijs fructum tam ſanctæ lucis præcipiamus præcerpamusque: & ſicubi cōmuni conſenſu ac ritu hæc feſta lux inſtituta iam eſt, ad eam omni pietate venerandam ſinguli collaboremus: ſin', vbi degimus, nulla adhuc eiuſmodi eſt feſtiuitas; eam ſibi quiſque aliquo per annum die conſtituat, ſiue is ſit aliquis ex hactenus memoratis, vel 16. Aprilis, vt apud Ciſtercienſes; vel feria ſexta ante Dominicam Palmarum; vel feria ſexta poſt Dominicam Iubilate; ſiue alius quiſpiā,

vt Dominica, aut feria sexta ante Virginis Assumptionem, quemadmodum Palmarum Dominica colitur ante Christi Resurrectionem; vel denique quilibet alius pro cuiusque affectu. Et fortasse expediret, non esse nimis vicinum alijs eiusdem Deiparæ festis, vt sacra Communione, quam multi ob vicinitatem alterius festi fortè omitterent, posset commodius honorari. Multæ autem sunt rationes, quæ suadeant, talem aliquem per annum Matri dolorosæ diem festum dicare.

V. Primò. Nam quatuor ob causas dies festos in Ecclesia celebrari, docent Authores; nempe propter mysterium, rei videlicet, quæ in memoriam reuocatur, sub qua persona, quæ honoratur, sanctitas virtutesque ac consummatio intelligitur; deinde propter beneficiorum, quæ accepimus, gratam recordationem; tùm propter exemplum, *vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat*; & deniq; vt Diuorum, quos festis diebus colimus, apud Deum patrocinia experiamur, vel Dei ipsius nobis demereamur beneficentiam. Hæc omnia ad celebrandum festum Matris dolorosæ eximiè concurrunt. Primùm enim non minùs videtur hoc dolorum Deiparæ mysterium mereri celebrationis, quã quæuis alia Virginis festa. Nã, si in his ponderetur admixta œconomia redemptionis (vt in festo Annuntiationis, Purificationis, Visitationis) certè sub cruce vel maximè cooperata est saluti nostræ dolorosa

S. Aug. serm. 47. de Sanctis.

Mater,

Mater, vt lib. 1. c. 9. est explicatum, & tunc sanguinem suum, quem in incarnatione Christo contulerat, in passione per Christum effudit. Quodsi autem in festis eius consideretur potissimùm ipsamet Virgo (vt in festo Conceptionis, Natiuitatis, Præsentationis, Assumptionis) sanè in Martyrio suo vt plura & acerbiora perpessa est, pluresque heroicos actus exercuit; ita pluris æstimanda sunt eius merita. Iam, si ob recordationem quoque beneficiorum celebranda sunt festa, quænam memoria, vel gratitudo potest esse par illi beneficio, quo nos, vt filios dolorum, per Christum in eius passione peperit, omnium nostrum effecta Mater? Et sicut ingrati essemus Christo, si tantùm Natalitia, aut Resurrectionem eius festiuè recoleremus; ita non sat bene mereri videbimur de Virgine, si eius duntaxat gaudiorum, non autem dolorum, ac gladij memores, illis, non his, festos dies, aut memoriam aliquam pro se quisque dicemus. Exempla item virtutum, ad quorum in Sanctis imitationem instituuntur festa, nullibi vel plura, vel maiora, quàm in Virgine dolorosa reperiemus, vt ex dictis est manifestum. In illo enim dolorum incendio omnes eluxerunt. Petrus Abbas Cluniacensis, dictus Venerabilis, qui vixit tempore S. Bernardi, lib. 2. de miraculis cap. 30. refert, cereos Romæ in æde S. MARIAE Maioris à primis

 Vespe-

Vesperis festi Assumptionis incensos, vsque ad secundarum finem totis viginti quatuor horis continenter ardere solitos, nihil penitùs imminutos. *Et hoc*, inquit, *tam nobile, & antè nusquam auditum miraculum ad commendandam mortalibus gloriam Matris Domini non in quolibet ignoto, vel humili locó, non in qualibet, vel quantalibet ciuitate; sed in ipsa Vrbe, orbis capite, non semel tantùm, sed aßiduè recursu annuo diuina pietas, & potentia operatur.* Illustre equidem est hoc miraculum; sed longè illustrius illud; quòd Virgo Deipara dolore tota sub cruce, & reliquo passionis Christi tempore, quin etiam post eius mortem ac sepulturam arserit, nec tamen consumpta sit; sed animi virtute ignem illum doloris, qui ad ossa & medullas penetrauit, sustinuerit, fideque, & cum diuina voluntate conformitate, Dei & hominum amore, atque omni perfectionis genere in immensum resplenduerit. Atque vtinam hoc lumen *supra candelabrum ponatur, vt luceat omnibus, qui in domo* Ecclesiæ *sunt*, hoc est, festo die, vel ab Ecclesia vniuersaliter indicto, vel à singulis priuatim instituto, celebretur: Facilè alij Sancti omnes, quorum dies festos anniuersariâ memoriâ colimus, de præstantia exempli Virgini dolorosæ concedent. Denique si ad impetrandum efficax patrocinium Diuorum festa colimus, vel ad demerendam nobis diuinam beneficentiam, quanta sit patrocinij

Matth. 5.

Doloro-

Dolorosæ Matris efficacitas, constat ex dictis, & ampliùs constabit ex dicendis. Ex quibus efficitur, omnia, quæ ad constituendam Sanctis festiuitatem aliquam requiruntur, aut opportuna sunt, in Dolorosa Matre summa esse ac prorsus eximia.

Secundò. Aliorum quorundam Sanctorum Martyria singulari affectu & pietate, festoque eis dicato celebrantur, tametsi sub alio etiam titulo ijdem Sancti alia festiuitate honorantur, vt patet in Decollatione S. Ioannis Baptistæ, in festo S. Ioannis ante portam Latinã, in SS. Apostolis Petro & Paulo, &c. quidni æquissimo quoque iure singulariter & peculiari festo colatur acerbissimum Martyrium Mœstissimæ Matris ac Reginæ Martyrum; præsertim cùm S. Ecclesia videatur cupidè & studiosè amplecti titulos, quibus magis ac magis honor eiusdem Virginis dilatetur? VI.

Tertiò. Huc faciunt rationes illæ, quas praxi præcedenti attulimus, ad instituendas Sodalitates Matris dolorosæ. Eædem enim suadent & festum aliquod eidem Sanctissimæ Matri constituendum. Et certè, si Vrbanus VI. ad tollendum schisma instituit festum Visitationis Virginis, non minùs nunc bellis atteritur, hæresibus scinditur, Græco Ruthenicoque schismate laceratur, calamitatibus affligitur Ecclesia, vt è re futurum sit, si solemni ritu, communibusque multorum votis in festo aliquo, saltem per particulares Diœceses VII.

& Ecclesias, aut priuatas deuotiones ei dicato, Mater dolorosa inuocetur, vt, cui magnam dolorum partem hæc mala præuisa sub cruce crearunt, eisdem nunc doloribus, Filij morti & passioni iunctis, & per se, perque Filium Deo oblatis, remedium adferat ac medelam.

VIII. Quæres, quibus modis eiusmodi Matris dolorosæ festum, si publicè vel priuatim instituatur, celebrandum sit? Respondeo. Præmittenda primùm est præparatio, quemadmodum ante alia eiusdem Virginis festa præmitti à multis solet, & meritò debet. P. Didacus Martinez, è Societate nostra vir eximiæ sanctitatis, & altissimæ contemplationis, per nouem dies se ad quælibet Beatæ Virginis festa præparabat. Consistit autem hæc præparatio in ardenti desiderio colendi Virginem, eiusque cultum promouendi, in animo vitijs expurgando, tollendisque impedimẽtis deuotionis, in obeundis maiore cũ cura & perfectione ordinarijs actionibus, in suscipiendis aliquibus internis externisq; mortificationibus. Fridericus III. Imperator Austriacus in profesto Assumptionis Beatæ Virginis omni ferè cibo & vino abstinuit. Pleni sunt talium exemplorũ, etiam in maximæ dignitatis viris ac fœminis, libri. Ipse verò festus dies, sumptâ, debita & quàm exactissima cùm dispositione ac pietate, Eucharistiâ, totus, quoad fieri potest, religionis, siue deuotionis actibus

actib⁹ est cōsecrandus. Henricus VII. Imperator, quantumuis mole curarum Imperij pressus; in festo tamen Assumptionis Deiparæ, omnibus alijs negotijs sepositis, vni rerum cælestium contemplationi vacabat, quo etiam die anno 1313. feliciter obijt. Contemplandi & deuotionis materiam abundantem suppeditat Virgo, stans sub cruce Filij. Et possunt obiri eæ deuotiones, quas deinceps multas & nos afferemus, & alij afferunt. Nec erit abs re, opera Misericordiæ in honorem, & quasi solatium Matris Mœrentis exercere, tum spiritualia tum corporalia. Sunt, qui in honorem Sanctissimi nominis, MARIA, quod amaritudinem sonat, & quinque literis, vti & Sanctissimum nomen IESVS, constat, quinque pauperes inuitant, eosque, pro sua facultate & benignitate, cibo potuque reficiunt, vel aliter iuuant, &c. Has, aliásve pietatis exercitationes suus cuique in dolorosam Matrem amor atque ardor suggeret. Neque enim singulis omnia conueniunt, & decet, quemque in excogitandis, feruidéque vsurpandis, quæ sibi sunt aptissima, cultuique Virginis maximè opportuna, esse solertem.

PRAXIS III.

Diem Sabbati singulari pietate transigere.

§. I.

Sabbatum vnde B. Virgini sacrum?

Etsi nullum peculiare festum cum suo officio Matri dolorosæ ab vniuersali Ecclesia hactenus est constitutum; habet tamen diē Sabbati per totum ferè annum, extra Aduentum, & Quadragesimam, sibi suoque cultui atque honori ab eadem consecratum. Et, placere sibi hunc diem, ostendit sæpe Deipara; vt ex multis historijs constat. Gulielmus Durandus in Rationali diuinorum officiorum lib. 4. c. 1. existimat, originem colendi singulariter B. Virginem in Sabbato, ex miraculo quodam fluxisse. Verba eius referam. *In septima, inquit, feria statutum est, vt Missa diceretur de Beata Virgine. Quod initium habuit; quoniam olim in quadam Ecclesia Ciuitatis Constantinopolis erat imago Beatæ Virginis, coram qua dependebat velum, quod totam velabat imaginem: sed hoc velum in sexta feria post Vesperas recedebat ab imagine, nullo mouente, solo Dei miraculo, quasi deferretur in cælum, vt ad plenum posset imago à populo prospici; celebratis verò Vesperis in Sabbato, descendebat ipsum velum ante eandem iconem, siue imaginem, & ibi manebat*

nebat

nebat vsque ad Sextam feriam. Hoc viso miraculo, sancitum est, vt semper illa feria de Beata Virgine cantaretur. Hæc Durandus. Videtur sanè sibi Sanctissima Virgo hunc speciatim diem elegisse, quo benigno vultu nos aspiciat, seque præsentem sistat, ad postulata nostra & preces audiendas; quemadmodum Imperatores & Reges, cùm audientiam die & horâ ad id præstituta dant, reductâ intra conclaue cortinâ, se coràm visendos præbent. Eundem diem Angeli quoq; cælesti hymnodiâ, Deiparæque laudibus celebrem reddiderunt. Nam, vt refert Alphonsus Villegas 2. p. eius operis, qui Flos Sanctorum dicitur, c. 23. circa annum Domini 890. cùm in Hispania in monte Serrato (sic dicto, quòd vertices habeat multiplices, & diuersas in partes quasi serrâ dissectos) septem pastores pueri, sua pecora simul pascerent, singulis diebus Sabbati sub noctem, intendentibus se tenebris, obseruarunt, ingentia cælo delabi lumina, & certæ montis speluncæ incumbere; ac deinde ex eadem spelunca audierunt quasi choros modulatè, ac suauiter concinentes. Id cùm pueri suis quisque parentibus retulissent, resque deinceps ad Episcopum Barcinonensem permanasset; is proximo pòst Sabbato, magno cũ comitatu locum adijt, suisque ipse & oculis lumina, & concentum Angelicum auribus hausit; atque altera die propiùs ad antrum accedens, odore quoque suauissimo indè afflatus,

tus, inuenit Deiparæ effigiem pijssimam, quã, indicta supplicatione cùm ad vicinum pagum deferri curaret, qui statuam portabãt ad certum locum progressi, eam indè nulla vi dimouere potuerunt; vbi, quod hodie visitur, præclarissimum extructum est templum, concursu peregrinantium frequentissimum, & Lauretanæ ædi celebritate proximum. Pendent in eo ante dictam Deiparæ Statuam quinquaginta ex argento lampades, & vsque collucent, Regum, Imperatorum, Pontificũ munus. Miracula edita ingentia, idoneis testibus probata, 382. conscripta recẽsentur. Sed illud eximiũ, quòd qui Sacrosanctũ huius tẽpli limẽ intrant, illico mollescãt animo, ac tenerescãt, & quasi adiectis pectori facibus ad studiũ pietatis accendantur. In hac eadem AEde S. P. Ignatius Societatis IESV Fundator, Anno 1521. Cõfessione generali peracta, ante Virginis simulacrũ positis sæcularis militiæ armis, Christo auctoratus est miles; vel potiùs sub Deiparæ præsidio nouæ cohortis, ac Societatis Dux est designatus. Sabbatũ igitur sibi delegerũt Cælites, sine dubio Deiparę nutu, & volũtate, in quo quothebdomadis eius concinerẽt laudes: & Sabbatini Angelorũ cõcentus ad eam quæ nunc est in Mõte Serrato, tantam tãque eximiã in Virginẽ pietatem homines exciuerunt. Vnde mirum non est, hunc diem ab Ecclesia, ex Spiritûs Sancti directione, honori Virginis dicatum. Nam Anno 1094. in Cõcilio

Claro-

Claromontano sub Vrbano II. statutum est, vt Sabbatis Officium Deiparæ, & Missa de eadem solenniter celebraretur: quod tunc factum est, ad eiusdem Deiparæ patrocinium implorandum, pro expeditione ad recuperãdam Terram Sanctam; quæ expeditio in eo Concilio decreta erat. Quanquàm longè etiam antè Sabbata Mariano cultui consecrata, ex Veterum monumentis constat.

Imò verò non desunt, qui vel iã inde à Conceptione, aut Natiuitate Virginis Sabbatũ ei aut Sacrum fuisse, aut fore aliquando sacrum, iam tũ præsignatum esse velint; existimantes, Virginem vel conceptam, vel natam in Sabbato. Et eò referunt miraculum illud Sabbatici fluminis, quod cũ alijs dieb⁹ omnibus suũ teneret fluxum, solo Sabbato fluere desinebat, atque exarescebat. Meminit eius Plinius li. 31. c. 2. *In Iudæa*, inquit, *riuus Sabbatis omnibus siccatur.* Et magis meminerunt Iudæorũ scriptores, inter quos Elias Thesbites, in voce Sãbation: *Fluuius*, inquit, *est, de quo dicunt, quòd per singulos dies hebdomadis tanto impetu currat, dempto Sabbato, vt lapides magnos moueat, & nullo modo pertransiri possit; ex quo Sapientes vocarunt Sabbatum, ab eo, quòd cesset, siue quiescat in Sabbato.* Ob hunc impetum & celeritatem dictus fuit etiam Goza, quæ vox celeritatem significat. Iosephus tamen libro 7. de Bello Iudaico cap. 24. contrarium asserere videtur, nempe hunc Palæstinæ fluuium

Sabbatis duntaxat fluxisse, diebus reliquis exaruisse. Quam ab alijs Auctoribus Iosephi dissensionem & discrepantiam, vel amanuensium, vel translationis deprauationi quidam attribuunt. Porrò quòd Sabbato non flueret, ideo id factum putant, quòd Sabbatinas ferias Virgini ab Ecclesia dicandas præmonstrarit; præsertim cùm hoc Sabbatici fluminis miraculum putetur incepisse in ipso conceptu, vel ortu Virginis; sumpto indè argumento, quòd ante hoc tempus neque in Scriptura, neque in Græcorum, AEgyptiorum, aut Romanorum historijs vlla sit eius memoria, aut vestigium. Desijt verò hoc prodigium paulò post euersionem Hierosolymæ per Romanos factam, quæ octaua Septembris contigit, eo ipso anniuersario die, quo nata est Deipara. Præterea insinuasse aiunt, hoc singulis Sabbatis siccatum & arens flumen, quasi attonitam & hærentem aquarum naturam, dum quodammodo Cõceptionis, vel Natiuitatis MARIÆ gratiam contemplatur. Confirmari id, quod dictum est, ex eo potest, quòd Brochardus I. tin. r. & Bartholomæus Salignianus tom. 9. c. 10, qui vniuersam Palæstinam perlustrarunt, asserant, Hortorum fontem, de quo Cant. 4. ab ipso Libano monte in tria secari flumina, & horum tertium alluere regionem Nephthalim & Zabulon, vbi sita est Nazareth, vicus, in quo concepta est Virgo. Et hunc fluuium, tradunt ijdem Auctores, & cum illis Vitriacus

ac Bre-

ac Bredenbachius, esse, qui olim Sabbaticus dicebatur; vt proinde circumstantiæ loci, & temporis fidem coniecturæ adstruere videatur. Hæc ego cur inficias eam, aut probabilitate carere dicam, non habeo; maximè cùm S. Anselmus de Excell. Virg. c. 2. ita loquatur: *Illud conijcio apud me, Natiuitatem Deiparæ magna quædam, atque miranda Diuinorum signorum indicia precurrisse.* Hoc tantum addo, quòd, si, vt dicere videtur Iosephus, flumē illud Sabbaticum sex diebus aridum, solo Sabbato magno cum impetu fluxit; indicare voluerit Deus, gratiæ & cælestium donorum abundantiam tum in Virginem promanasse in eius ortu; nam *fluminis impetus lætificat* hanc *ciuitatem Dei*: tum à Virgine in Ecclesiā, quæ itidem est ciuitas Dei, promanaturam. idque (vt ad rem nostram veniam) potissimùm in Sabbato, ei dicato, quo ab Ecclesia culta, flumina gratiarum, velut mare MARIA, Mater gratiæ, in eam sua apud Filium deprecatione esset effusura. Ps. 45.

§. 2.

Sabbatum Virgini sacrum vt dolorosa est.

Et hæc quidem, quæ diximus, ostendunt, Sabbatum Virgini & sacrum esse, & meritò omni cum pietate ab eius clientibus consecrari debere. Sed nunquid, inquies, dolorosæ? Etiam verò. Nam, qui causas Sabbati Deiparæ

dedicati adferunt, has præcipuas adferunt: Primò. Quòd in Sabbato Sancto, quod passionem & mortem Christi consecutum est, fides in ea sola, tunc dolorosa remanserit. Ita sentiunt S. Antoninus, Gulielmus Durandus, Abulensis, Turrecremata, Caietanus, & Author libri de Passione Domini apud S. Bernardū, qui c. 2. hæc habet verba: *Passionis tempore omnes, relicto eo, fugerunt: sola illa, quæ benedicta est in mulieribus, per illud triste Sabbatum stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola: propter quod aptissimè Sancta Ecclesia in laudem & gloriam eiusdem Virginis diem Sabbati per totius anni circulum celebrare consueuit.* Porro quòd dicitur, in ea sola remansisse fides, id intelligendum existimat Abulensis, in præfatione in Matth. quæst. 14. de fide explicita Resurrectionis Christi, siue Messiæ; non tātùm in communi, sed etiā in particulari, eius videlicet, qui tunc erat mortuus. Putat enim, eo Sabbato aliquos ex Iudæis, per orbem dispersos, credidisse quidem, Messiam, in lege promissum, moriturum & resurrecturum, licet ante sufficientem Euangelij promulgationem ignorarent, in particulari eum aduenisse. De quo consuli etiam potest Bellarm. li. 3. c. 17. controu. de Concilijs, & Ecclesia. At Mater dolorosa explicitè, & in particulari in illo triduo credidit perfectissimè omnia; adeoque & resurrectionem huius Christi Filij sui, quem norat esse verum Messiam. Quanquam, si

etiam

m absolutè dicamus, in sola Virgine remansisse fidem, & saluatam esse Ecclesiam, hu- dignitati non magnopere per hoc derogitur. Sicut enim nox plus luminis accipit à a luna in plenilunio, quàm ab omnib' stellsimul sumptis; ita Ecclesia magis splendet in nocte illa mortis Christi in sola Virgi-, quàm in omnibus Fidelibus, qui vel antè erunt, vel futuri pòst erant. Secundam caum dicati Deiparæ Sabbati adfert cum alijs uthor Sermonum Discipuli, serm. 164. vbi t: *Optimo autem ordine sequitur, vt, cùm die eneris Filij mortem planxerimus, die insequē- Matris lugeamus solitudinem, vt die Dominicâ possimus & de huius consolatione, & de llius Resurrectione exultare.* Matris ergo dolorosæ solitudo; imò & cordis Martyrium, quod à die Parasceues per totum etiam Sabbatum perseuerauit, causa est, vt, sicut alij Martyres dies sibi dicatos habent, quibus Martyria sunt passi; ita hunc diem Reginæ Martyrum singulis hebdomadis dicaret Ecclesia, quo Martyrium super omnia aliorum Martyrum Martyria est passa. Alias rationes vide apud Spinellum c. 29. à n. 19.

§. 3.

Quibus modis in honorem Matris dolorosæ Sabbatum transigendum sit.

Sed iam videamus, quonā modo, & quibus pietatis

Pietatis officijs Sabbatum Matri dolorosæ cõsecratum transigendum sit. Mihi hæc occurrunt. Primò. Vt mortificationes aliquæ, siue corporis asperitates suscipiantur. Neque enim hic Reginæ Martyrum dies ita, vti aliorum Martyrum, festiuis gaudijs, aut lætitiæ signis celebrandus est; sed potiùs pœnitentia & voluntaria suimet afflictatione; quandoquidem in eo recolitur acerbissimus dolor, ac mœror mœstissimæ Virginis, omni humano solatio vacuæ. Et, sicut feriâ sextâ, cùm Christi passionem mente versamus, corporis iucunditatibus nobis interdicimus; ita par est, aliqua etiam ratione fieri die Sabbati, cùm Matrem lugentem consideramus. *Hinc est*, quòd Occidentalis Ecclesia iam indè ab Apostolorum temporibus feria sexta & Sabbato ab esu carnium abstinuit; cuius abstinentiæ S. Innocentius I. in epistola ad Decentium causam reddit, quòd vtroque die Apostoli (& multò magis Virgo Sanctissima) ob Passionẽ Domini in mœrore fuerint. Orientalis tamen Ecclesia in Sabbato sine eo ieiunio fuit, ne videretur hæreticis, ibi exortis, qui Sabbato ex prauo dogmate ieiunabant, consentire. *Cæterùm* multi deuoti Deiparæ cultores eo cõtenti non sunt, quod præcipit Ecclesia; sed strictiorem sibi ieiunij legem indicunt. S. Elizabetha Lusitaniæ Regina Sabbato ieiunabat in pane & aqua; idemque faciebat in omnibus peruigilijs Festorum Beatæ Virginis, quod

multis

multis alijs, quos recensere longum esset, solenne fuit. Nec defuit pietati fructus. De Patre Petro de Anasco, è Societate IESV scribitur in Annuis, anno 1603. singulis diebus Sabbati, quibus ad honorem Deiparæ ieiunare solebat, præcipuum aliquod à Deo beneficiũ accepisse. Alij sua corpora inclementer habuerunt, & nunc habent, siue gestandis cilicijs, siue flagellis adhibendis, siue alio asperitatis, aut humilitatis genere. S. Thomas, Cantuariensis Archiepiscopus, cilicium diebus Sabbati gestare solitus, laceratum cùm reficeret, à Beata Virgine in eo opere adiutus est; vti habetur in eius vita. Ioannes Berckmans, è Societate IESV, Angelicis moribus adolescẽs, & Beatæ Virginis apprimè studiosus, Sabbato natus, Sabbato in Societatem receptus, Sabbato sepultus, eodem in culinæ ministerijs pœnitentiæ simul & humilitatis quodpiam opus peragebat.

Secundò. Misericordiæ, siue eleemosynæ aliquid in pauperes erogare Sabbato in honorem benignissimæ Matris, quam Matrem misericordiæ meritò appellat Ecclesia, conuenit; siue vt eius benignitatem, tanquam veri eius filij, æmulemur; siue vt eam nobis demereamur, &, quod ventri per abstinentiam subtrahitur, id egentibus cedat. *Fiat,* inquit S. Leo, serm. 2. de Ieiun. *refectio pauperis abstinentia ieiunantis.* Spartani cùm ab eis Samij pecunias ad recuperandam patriam peterẽt,

ciuibus

ciuibus suis omnibus, vnà cũ eorum familijs, ac iumentis, vnius diei ieiunium indixerunt; quantum autem vnusquisque, si non ieiunaret, insumeret, tantum Samijs tribueret. En ieiunij Sabbatini simul cum misericordia in pauperes iungendi ideam. Plus etiam fecit Sanctus ille Deusdedit, de quo S. Gregorius 4. dial. c. 36. qui quidquid in sutrina per hebdomadam lucrabatur, die Sabbati largiebatur pauperibus. Quidam in more habent, singulis diebus Sabbatinis, quinque mendicis quinque panes distribuere in honorem Sacratissimi nominis MARIA; aut, quod dicebam præcedenti praxi, quinque pauperes ad prandium, cœnámve inuitare.

Tertiò. Esset hoc quoque valde & animæ proficuũ & Deiparæ gratum, ab omni deliberato, præsertim grauiore peccato, in eius honorem die Sabbati cum diuina gratia diligentissimè cauere, vt, cùm *corpus ab alimentis abstinet, mens, sectando iustitiam, à culpa ieiunet.* Imò haud paulò magis placet Virgini purissimæ abstinentia à culpis, quàm ab escis. Et saltem elige tibi vitium aliquod, in quod aliàs frequenter labi soles, à quo te vel die *Sabbati* contineas; aut, si quam habes peccandi consuetudinem, v.g. iurandi, blasphemandi, imprecandi, &c. peculiari studio minimùm die Sabbati, ob reuerentiam & amorem Matris dolorosæ, eam tollere satagas, nè sis illi vnguis in vlcere, & afflictissimæ afflictionem

nem tuis peccatis quodammodo superaddas; cùm ei peccatum omne aduersissimum sit. Hoc pacto fieri non magno admodum negotio potest, vt quis è peccatorum sordibus, in quibus natat, emergat. Nam inprimis Sanctissima Virgo hunc sibi suo Sabbati die habitum honorem, & studium puritatis, in sui gratiam susceptum, irremuneratum esse non sinet; sed à Filio gratiam vberem impetrabit, quâ te prorsus è cœno expedias & purges. Deinde hinc gradum ad vlteriora facere potes. Si enim in animum inducas, die Sabbati in gratiam Deiparæ, quam diligis, non peccare, aut certum aliquod, & tibi familiare vitium non committere; idem à te impetra feriâ sextâ in honorem CHRISTI patientis; qui vtique magis id, quàm B. Virgo meretur; idem feriâ quintâ, ob amorem SS. Sacramenti; idem feriâ quartâ ad obsequiũ Beatorũ Patronorum tuorum; idem feriâ tertiâ in venerationem S. Angeli Custodis, & omniũ Angelorum, purissimorum spirituum; idem feriâ secundâ ad iuuandas animas Purgatorij, quas, si peccata vites, magis sine dubio iuuabis: idem denique die Dominico ad laudem & gloriam Sanctissimæ Trinitatis. Quodsi quando vel die Sabbati, vel horum dierum aliquo ex naturæ, vel consuetudinis impetu in peccatum labaris, statutâ tibi aliquâ pœnâ, id quàm primùm vindica, & exomologesi,

primo

primo opportuno tempore institutâ, dele. Simili praxi S. Bernardus quendam à pessima vita reuocauit. Simili etiam modo, & erga Beatam Virginem deuotione mulier quædam ex impurissima vita, cui inueterata consuetudine tenaciter fuerat illigata, sese extricauit, vti refert Augustinus Mannus in histor. rerũ memorabilium, in Ecclesia gest. c. 80. Anno 1601. Hoc enim honori & amori Beatissimæ Virginis dedit, vt die Sabbati fœdare se, aliósve flagitio constantissimè nollet. Qua re id die quodam Sabbati consecuta est, Deiparæ haud dubio beneficio, vt perpetuum, ac firmum deinceps in omnes dies & vitam hoc animi decretum foret. Nam cùm die *illo* ab impuro lenone ad scelus solicitaretur, respõdit, esse diem Sabbati, seque sic repentè animo iam esse commutatam, vt non modò hoc die, sed nec deinceps vnquam, idque ad honorem Virginis peccare velit: imò fixum sibi esse, Religionem ingredi; modò sumptus ad id necessarios habeat. Mouit ea oratio hominem. Itaque & à flagitij patrandi voluntate destitit, insuper pecuniam subministrauit, vt non tantùm pudica, sed & Religiosa fieret.

Quartò. Neque hoc nobis satis sit, vt ipsi, in honorem Matris dolorosæ, die Sabbati, peccati, quantum humana conditio fert, expertes simus; sed ad hoc omni studio connitamur, vt alios quoque, quos possumus, & saltem vnum aliquem quolibet die Sabbati ab eo ab-

eo abducamus: v. g. ab esu carnium; quod peccati genus in multis Germaniæ locis frequēs est, siue id ex hæreticorum consortio, siue ex infirmitate fidei, siue ex intemperātia proueniat. Complura huius pietatis exempla suggerunt Annales Societatis, tum aliorum, tum etiam puerorum, qui non modò nullis parentum vel minis, vel sæuitie ad edendas die Sabbati carnes adduci potuerunt; sed eos ipsos demum parentes, vetitis dapibus diu assuetos, suis & exemplis & monitis ad frugem & abstinentiam reuocarunt. Et profuerunt hæc monita aliquando, tum ad æternam animæ salutem, tum etiam ad prosperitatem temporalem. Bonifacius histor. Virginal. lib. 3. refert, cuiusdam, qui inter eos adolescentes sub disciplina Societatis, quos Conuictores vocamus, educatus fuerat, vxori sterili, nec satis firmæ in fide, cùm cibis illicitis vesceretur, quendam è Societate suasisse, vt si liberos habere vellet, hunc saltem honorem haberet Deiparæ, vt Sabbato carnibus abstineret. Credidit mulier, & fidei respondit euentus. Nam vno partu geminos, marem & fœminam enixa est. Et agnoscens beneficium diuinum vterque coniux, dona deinde magnifica ac pretiosa Deiparæ ex voto obtulit. Hoc igitur edendarum carnium, & alia quæcunque peccata in honorem Matris dolorosæ diebus Sabbati impedienda tollendaque sunt. Sed & ad virtutis, & pietatis studium exercitationem-

tionemque, quotquot possunt, inducamus, idq; eâ mente, vt quasi imminuamus dolores Beatæ Virginis, quos sub Cruce potissimùm ex peccatis hominum habuit; & illam dolorosam consolemur, bona opera procurando, quibus delectetur.

Quintò. Quodsi hac mente in alijs quoq; pietatis studia procuranda sint, magis perfectò decet, vt ea nos ipsi die Sabbati sedulò vsurpemus. E re igitur erit, statas aliquas pias deuotiones indicere, easque ad exhilarandum cor mœrens Matris mœstissimę accuratè obire. Sebastianus Lusitaniæ Rex, Matri augustissimę impensè addictus, cuius imaginē semper pectori applicitam gestabat, Rosarium quotidie decurrebat; singulis insuper diebus Sabbati in eius honorem duobus Missæ Sacrificijs, piè intererat, eorumque alteri ipse ministrabat, vti refert Antonius Vasconcellius Anno 1578. Præstantissima sanè pietas; neque enim Sacrosancto Missæ Sacrificio quidquam potest esse excellentius, aut sanctius. S. Gerardus Episcopus Canadiensis in Pannonia, quolibet die Sabbati cum nouem lectionibus, vt in festo Assumptionis, magnisque laudum præconijs deuotionis suæ officium in templo S. Georgij ad aram Virginis explebat. P. Ioannes à Campis, Societatis IESV, nullum diem Sabbati præterire sinebat, quin aliquam de Beata Virgine historiam narraret. Cuius pietatis hunc fructū tulit, vt sub mortem ad quendam conuersus

diceret:

diceret: *O si nosses, mi Pater, quantum in morte afferat animo solatium, Deiparam singulari studio coluisse!* Alij alia præstabant. Tu vide, vt simili modo, seu Missa audienda, dicendáve; seu Rosario, aut Officio persoluendo; seu alijs precationibus tuum in Matrem dolorosam affectum, amoremque Sabbato testeris. Quæ inter hæc te monitú velim. Primùm, vt sis cõstans in statis deuotionibus obeundis, néve illas ex ignauia, aut sine iusta causa, qualis esset obedientia, charitas, aut alia magis vel necessaria, vel præstans virtus, intermittas: nè tibi contingat, quod S. Edmundo, Cantuar. Archiep. qui quotidie in honorem Beatiss. Virginis, & S. Ioannis Euangelistæ orationem illam, cuius initium est: *O intemerata*, &c. recitare solitus, cùm aliquando studijs immersus, per obliuionem omisisset, sequenti nocte ei adstitit S. Ioannes cum minaci ferula, iã iamque percussurus, & in ictum suspensus. Sed terrere demum contentus, blandè monuit, in posterum nè obliuisceretur. Deinde, vt non tã de precum multitudine, quàm de sensu pietatis, quo eas absoluas, sis solicitus. Satiùs est enim parum bene, quàm multúm malè orare. Cauenda denique est in eiusmodi deuotionibus quædam coacta seruitus cum animi angustia & defatigatione. *Hilarem enim datorem diligit Deus*, cum sancta spiritus libertate. 2. Cor. 9.

PRA-

PRAXIS IV.

Matri dolorosæ condolere.

§. I.

Debita Matri dolorosæ & grata condolentia.

HOc præcipuum est obsequium, quod illi potest exhiberi. Quid enim patienti impendas opportuniùs, quàm compassionem? *Flere* nos vult *cum flentibus* Apostolus, Rom. 12. quiqui tandem illi sint; & non fleamus cū flente Matre, & tali Matre? Quò maior est dolor, eò magis crescere par est condolentiam: quis igitur ponat huic modum, cùm ille propè immensus, infinitusque; idque in Matre sit? Et cùm Mater doleat de Filio, qui & maxima patitur, & Maximus, Optimus, hoc est, Deus est, Matri condolere, est, simul cum illa de Deo, summa & acerbissima pro nobis patiente, dolere; quo quid iustius est? quid Matri acceptius? Et *quis est homo, qui non fleret*, vt canit Ecclesia; *Christi Matrem si videret in tanto supplicio? Quis non posset contristari, piam Matrem contemplari dolentem cum Filio?* Quin igitur & illud ex eodem hymno syncerè addas: *Iuxta crucem tecum stare, Te libenter sociare In planctu desidero*; vt, quod æquum & illi placitum est, id libenter & cum desiderio agas. Sanè gratissimum ei esse hoc obsequij genus, ex multis historijs constat. Anno 1233. septem

septem Mariani Sodales, in ea, quæ iam tunc Florentiæ florebat, Sodalitate, magna cum virtutis ac pietatis laude Deiparæ seruiebant. Ij dum ipsa Assumptæ in cælos Virgini sacra luce eius præconia pro se quisque insigni cũ animi sensu celebrarent; vox cælo delapsa ad singulos, quantumuis subsellijs ac locis in AEde sacra disiunctos, eosque solos (nam alij, qui aderant, nihil audiebant) eadem peruenit, qua ad perfectius vitæ genus, & Deiparæ famulatum vocabantur. Die deinde Parasceues, cùm Christi cruciatus, vnaque Matris eius dolores piè recolerent; apparuit illis, Angelis comitata Virgo, passionis instrumenta ostentantibus, ferens vestem atri coloris, quã in suorum memoriam dolorum gestarent, ijsque colendis totos se consecrarent: & : Hic, inquit, *vester erit habitus, & Serui* MARIAE *Virginis vocabimini*. Itaque, vt Virgo prædixit, euenit. Nam illis per vrbis plateas incedentibus, etiam infantes, fandi acceptâ diuinitus facultate, clara voce his verbis acclamabant: *Ecce Serui Beatissimæ* MARIAE *Virginis*. Atque hi ipsi sunt, à quibus Ordo Religiosus originem sumpsit, qui Seruitarum ideo nomen habet, quòd se Matris dolorosæ seruos, adeoque eius dolorum ex instituto cultores profiteantur. Vbi obserua, Sanctos hos viros fuisse quidem priùs in Mariana Sodalitate, seruitio ac cultui Virginis impensè addictos; titulum tamen Seruorum eius tunc demum ab eadem

ipsis promissum ac collatum, cùm se Matris dolorosæ doloribus, omni affectu colendis, deuouissent. Tum enimuerò vel ex ore infantium ac lactentium hæc perfecta laus eis est tributa, vt Serui Beatissimæ Virginis MARIAE nuncuparentur. Adeò grata est Virgini dolorum suorum cum condolentiæ affectu recordatio, vt ei deditos in suis intimis & singularibus seruis numeret, & hoc illos titulo, tanquam sibi acceptissimos, peculiariter insigniat.

§. 2.

Primus condolendi modus in solo affectu consistens.

Petes, quibus tandem modis hæc condolentia possit practicari? Respondeo primò, Si vel aliud nihil agas, quàm vt affectu solo eam internè concipias, vehementer & Virginem Matrem, & eius Filiũ IESVM tibi demerebere. Præclarum præter id, quod iam diximus, de hoc habemus exemplum in reuelationibus S. Brigittæ l. 6 c. 97. vbi refertur de quodam magno Domino, omni flagitiorum genere cooperto, qui per 60. ipsos annos nunquã scelera sua confessus, insuper Dæmoni se mancipa-rat, eiusque familiaritate frequentibusq; colloquijs vsus, in desperationis denique barathrum seipse coniecerat. Ad hunc, morbo iam ad extrema deductum, & morti vicinum, cùm Christi monitu S. Brigitta suum Confessarium

misisset; is semel, atque iterum ad eam adiens, cùm suæ eum salutis curæ commonefecisset, & ad pœnitentiam esset hortatus; semel, iterumque, infecto negotio, reiectus est, quòd sibi nullam salutis curam esse posse diceret æger, qui eam diu desperauerit. Verùm tertio die, cùm recta monere perseueraret, Confessarius, repentè animo commutatus, solutus in lacrymas est, quas scelerum acer expresserat dolor, magnoque cum contritionis sensu quater eo die pœnitentiæ Sacraméto sese expiauit, & sequenti etiá die Confessione iterum peractâ, sumptâque Sanctissimâ Eucharistiâ, ad obitum se comparauit, quem sexto pòst die felicem ingenti Dei beneficio est sortitus. Causam tam insperati & prosperi exitûs, & piæ post tam improbam vitam mortis, Christus ipse, S. Brigittæ apparens, exposuit, his eam verbis inter cætera affatus, quæ, vt ibi ponuntur, referam. *Sed potes quærere; Quare meruit contritionem homo, qui tantis sceleribus inuolutus erat? Respondeo tibi: Hoc fecit dilectio mea, qui vsque ad vltimum punctum expecto hominis conuersionem; & meritũ Matris meæ. Nam, licèt iste homo non dilexit eam corde; tamen quia consuetudo sua fuit, cõpati dolori eius, quoties eam considerabat, & audiebat nominari; ideo compendium salutis suæ inuenit, & saluatus erit.*

Duo circa hanc historiam obserua: Alterũ, ex ea non debere sumi occasionem sceleratè

 viuendi,

viuendi, aut in scelerata vita persistendi. Fieri enim potest (atque vtinam non fiat) vt improbæ mentis quispiam, audiens, certo aliquo pietatis in Deiparam genere aliquos beatam sibi mortem obtinuisse, apud se decernat, idē sibi euenturum, si eidem pietatis exercitationi se dedat, posse interim se tutò in omni voluptatum & cupiditatum ac vitiorum cæno volutare. Pessima hæc conclusio est, & periculi plenissima. Nam, quod ait Christus, ex sua dilectione factum esse, vt homo ille côtereretur in fine vitæ, & saluaretur; ea dilectio efficax non contingit omnibus. Sicut enim, vt ait S. Paulus Rom. 9. ex Propheta Malachia: DEVS *Iacob dilexit*: *Esau autem odio habuit*: hoc est, (qui literalis est sensus huius loci,) post commissa multa peccata, tam à Iudæis, qui descendebat à Iacob, quàm Idumæis, qui originem ducebant ab Esau, cùm vtrumque populum in Babylonicam Deus captiuitatem tradidisset; illum quidem ex ea eripuit; per quod illum dicitur dilexisse; hunc autem, ortū scilicet ab Esau, in ea reliquit, ob quod is populus dicitur odio habitus, id est, neglectus: Ita facit etiamnum Christus, vt quosdam post peccata malè de se meritos è Dæmonis captiuitate eripiat, & in libertatem æternam filiorū Dei afferat, media salutis efficacia eis in fine vitæ tribuendo, per quod dilectionem suam in eos manifestet; alios autem in suis peccatis, & captiuitate Diaboli esse sinat ac negligat.

Moysi

Moyſi enim (vt addit S. Paulus) *dicit: Miſerebor, cuius miſereor; ſiue, cuius voluero miſereri. Ergo, cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat*: quod indurare, iuxta interpretum ſententiam, nihil aliud eſt, quàm peccatoris non miſereri, eumq; in peccato relinquere. Quænam igitur erit inſipientia, velle in criminibus ſponte. deditaque opera hærere, ea confidentia certò concepta, quòd in fine vitæ ſaluãdus ſis, cùm Chriſtus hanc dilectionem, & gratiam non omnibus impendat; imò multis neget; & vt neget, ij maximè merentur, qui ex hac præſumptione cum peccandi libidine coniuncta flagitiosè vixerunt. Sed neque eſt vera vllæ in Diuam Virginem pietas, quæ peccandi licéntiam nutriat ac foueat, peccatorumque multiplicandorum anſam præbeat: neque Beata Virgo aut patrocinari ſceleri poteſt, aut præſumptuosè ſceleratis fauet. Alterum, quod circa hiſtoriam illam obſeruari debet, eſt: quantum ſibi polliceri habeant, quibus cùm vitæ innocentia cæteraque pietas cordi ſit, huic quoque pietati ſedulam dant operam, vt Matris doloroſæ doloribus interno affectu condoleant. Nam ij demum talibus exemplis in ſpem paris felicitatis, beatæq; mortis prouocãtur, quam etiam improbæ vitæ homines Virginis patrocinio pro impenſo ſibi cultu, condolentiæque affectu ſunt adepti.

Quanquàm non tam præmij ſpes, commodique noſtri & felicitatis inuitamentum,

 quàm

quàm Deiparæ gratificandi studiũ, & debitus ei amor nos ad id excitare debet. Magno certè illa, & impendendæ sibi huius commiserationis tenetur desiderio, & impensæ obsequio delectatur, vt ex suprà memoratis S. Brigittæ reuelationibus constat, vbi illa Dolorosa Mater sæpe nunc Filij sui, suosque dolores patheticè proponit expendendos, ad hũc videlicet commiserationis ciẽdum affectũ; vt li. 1. reuelationum c. 18. vbi sic loquitur: *Considera, noua Sponsa, passionem Filij, quæ omnium Sanctorum passionẽ in amaritudine superauit. Sicut enim Mater, si Filium suum viuum incidi videret, amarissimè turbaretur; sic ego in passione Filij mei, visa amaritudine eius, turbabar.* Et li. 2. c. 21. *Cogitare*, inquit, *debes, filia mea, quòd omnia membra Filij in morte diriguerunt & frigescebant: qualem autem tristitiam tunc tẽporis habui, non est, qui valeat dicere.* Nunc illa apertè hortatur ad hanc condolentiam. Nunc queritur, paucos in mundo esse, qui eam sibi præstent. Nam lib. 2. reuel. c. 24. loquens de passione Filij futura, ex qua maius compassionis præstãdæ sumitur argumentũ de passione præsenti, aut præterita. *Ego*, ait, *habui oculos meos plenos lacrymis, quando considerabam in membris Filij mei loca clauorum, & passionem eius futurã. Sed nunc respicio omnes, qui in mũdo sunt, si fortè sunt aliqui, qui cõpatiantur mihi & recogitant dolorem meũ, & valde paucos inuenio, qui cogitans tribulationem & dolorem meum.*

I. Ideo, filia mea, (ait porrò ad S. Brigittã) *multis oblita & neglecta sum; tu tamen no scaris me. Vide dolorem & imitare, quanes: considera dolores meos & lacrymas, &* adem mœstissima Mater lib. 6. reuelat. c. net S. Brigittam, vt sicut tẽpore illo pasomnia creata turbabantur, ita ipsa quocum doleat. *Ego,* inquit, *quæ tunc eidem teo adstabam Virgo & Mater eius, qualẽ m tũc patiebar, nullus potest considerare. lia mea, recordare paßionẽ Filij mei.* Porod hîc ad recordationem passionis Filij rtetur, non aliud èst, quàm si ad sibi cõlum hortaretur. Nam, cùm, vt initio huitis insinuaui, dolor Matris fuerit de ne Filij, eiusque adiunctis, qui ei cone velit, siue simul doleres de eadẽ quoq; assione simul doleat, necessè est; ita, vt dolentia in Filium pariter & Matrem ; præsertim cùm nec Mater cupiat Filij es à suis doloribus recordatione & cõtiæ affectu separari, & Filio gratissimũ qui condolet sibi, condoleat & Matri. S. Clara de Monte Falco, postquã Chrir suũ cordi eius appressisset, viuaciter odò vitam, & mortẽ ipsius; sed etiã Viratris compassionẽ ante oculos habuit. ; enim beneficio eã voluit Christus non bili beneficentiã cõdecorare. Et hęc de modo compassionis Matri dolorosæ endæ, qui in solo interno affectu cõsistit.

§. 3.

Alij condolendi modi patiendo similia.

Secundus est: vt codolentia non tantùm in commiserationis affectu sistat; sed, vt, qui condolet, similem quoque reipsa dolorem eius dolori aliqua ratione sentiat. Potest enim quis afflicto bifariam condolere; vel ei duntaxat animo commiserescendo, ærumnarum interea illius penitùs expers; vel earundem afflictionum atque ærumnarum sponte se participem faciendo, vt, si in eundem carcerē ac tenebras cum amico se includat, ijsdem laboribus ac difficultatibus socium atque asseclam se præbeat. Atque hoc posterius compatiendi genus priore præstantius est, per quod amor in amicum magis declaratur. Ita compassi sunt Dauidi serui eius, fugienti Absalonem, vt habetur 2. Reg. 15. vbi cùm dixisset sacer textus v. 30. *Porrò Dauid ascendebat cliuum oliuarum, scādens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite*; subdit deinde: *Sed & omnis populus, qui erat cum eo; operto capite ascendebat plorans.* Compatiebatur nempe Regi suo populus, similia patiendo, hoc est, flendo, caput operiendo, ad montis ardua cum labore, & defatigatione ascendendo. Maximè autem hoc modo condolebat Dauidi Ethai Getheus, cui cùm ille fide & interno eius cōmiserationis affectu contentus, dixisset, vt reuerteretur, nè fortè ijsdem

ijſdem ſecum inuolueretur ærumnis; nequaquam id admittere voluit: ſed: *Viuit*, inquit, *Dominus, & viuit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, ſiue in morte; ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus.* Voluit ſcilicet Ethai perfectiſsima ratione Dauidi compati, ad eoſdem caſus & miſerias, vbiuis locorum cum eo perferendas ſe offerens; quin etiam ad ipſam mortis ſocietatem, ſi illa Dauidi ingrueret. Vnde priùs mortem nominauit, quàm vitam. Simili etymologiâ compaſsionis vtitur etiam S. Scriptura Rom. 8. cùm ait: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Compati enim ibidem ſignificat, quod eadem cum Chriſto pati; adeoque compaſsio eſt idem, quod *Societas paſsionum Chriſti*; vt ad Philipp. 3. appellatur: & idẽ cum eo, quod 1. Petri 4. dicitur: *Communicare Chriſti paſsionibus.* In hoc igitur ſenſu, & ſecundò, eoque præſtantiore modo Matri doloroſæ compati eſt, præter condolentiæ affectum erga illam patientem animo conceptum; ſimile aliquid etiam pati, quod illa paſſa eſt. Cùm autem varia fuerint genera eorum, quæ Virgo paſſa eſt, variè quoque hoc altero modo illi compaſsio præſtari poteſt, & præſtita à ſanctis hominibus, eius deuotis cultoribus, eſt.

Nam primò, ſi cui detur, vt amaritudinis animi, & gladij doloris illius, qui eius animam ſub cruce pertranſiuit, partem aliquam ſentiat; is hoc ipſo ei compati dicetur. Sic lib. 1.

c. 10. ex Brouio retulimus, B. Margaretham cùm petijsset fieri particeps dolorum Sanctissimæ Virginis, eamque gratiam impetrasset, tanta fuisse tristitiâ obrutam, tamque debilem effectam, vt longo tempore semianimis iacuerit, & pænè sit mortua. Tale quid videtur etiam contigisse S. Brigittæ, quæ de se lib. 7. reuelat. cap. 15. posteaquam Dei Matrem in summa amaritudine & dolore conspexisset, sic scribit: *Dolor igitur nouus compassionis illius Sanctissimæ Matris in tantum transfixit me, quòd quasi sentiebam, quòd cor meum pertransibat gladius acutus importabilis amaritudinis.* Præsertim cùm illa sancta pariter videret immensum dolorem, quẽ CHRISTVS Dominus ex Matris suæ dolore hauriebat. Vnde subdit: *Quam* (nempe Matrem suam amantissimam) *cùm Filius aspexisset, cernebatur in gestu eius ac voce, quòd cor eius ex compassione Matris penetrabatur acutissima sagitta doloris immensi;* &c. Verùm hæc gratia talis compassionis paucis obtingit, & in multis præsumptio ac temeritas esset, eam petere. Multi enim per talium sentimentorum desideria, vt notat S. Vincẽtius in tract. de Vita spirituali, Dæmonis fraude in magna incommoda & perniciem inducuntur.

Secundò. In corpore quoque dolores aliquos, vel afflictiones in honorẽ Matris dolorosæ, vel sponte susceptas, vel ab alijs illatas, pati, est, ei compati. Licèt enim illa corporeos dolo-

dolores, præsertim per vulnera, & plagas, propriè passa non sit (nisi fortè eos, qui ex animi angoribus atq; cruciatibus redundantes corpus quoque ita afficiebant ac debilitabant, vt, nisi diuina vi sustentatũ fuisset, morti concessisset) tamen cũ dolores Christi eius dolores fuerint, &, quæ Christus vulnera & plagas in suo corpore cruciatúsque pertulit, eosdẽ ipsa corde exceperit, vt sæpe lib. 1. dictum est, qui Christo conformia in suis membris sustinet, Matri quoque conformia sustinebit. Atque ita Franciscus Binãs, Ordinis Minimorũ, vt Christi, & MARIAE passioni compateretur, cultello suprà cor incidit sibi profundè nomina IESVS, & MARIA; vt refert Anton. Baling. ex Chronicis Minimorum. Quanquàm id etiam mirandum magis, quàm imitandum est.

Tertiò. Hoc potiùs & ad imitationem, & ad compassionẽ Virginis spectabit, si quas tibi immittit Deus animi, corporisque molestias, v.g. infirmitates & morbos, patiẽter, constãter & libenter feras, vniendo illos cum eius & Filij afflictionibus. Sicut enim Beata Virgo cum Christo, qui languores nostros pertulit super lignum, & erat *vir dolorum, ac sciens infirmitatem*, & ipsa in anno illo ætatis suæ climacterico septies septimo infirmata est, & languores doloresq; vnà cum illo sub cruce tulit, vt lib. 1. cap. 2. dictum est, cùm ageretur de sympathia: ita si tu quoque tuas infirmitates, languores, dolores, in eius & Filij

gratiam, & eamdem passionum societatem perferas; sympathiam quoque cum illis & cõpassionem exercebis. Ita Magdalena Ducissa Bauariæ pertinaci & graui 13. mensium ægritudine pressa, in Virginis dolorosæ honorem generosè fortiterque se gessit, vt praxi 1. retuli. Porrò plura de imitatione Beatæ Virginis in patientia in morbis, alijsque aduersitatibus lib. 2. c. 7. de siti patiendi, &, c. 10. de conformitate cum voluntate Diuina inuenies.

Quartò, In hoc etiam 2. compassionis perfectæ modo reponi debet tolerantia iniuriarum, contumeliarum, contemptuum, contradictionum & opprobriorũ, præsertim si cum Matre dolorosa non modò hæc æquo & *hilari* animo pro Deo toléres, sed etiam eos, qui sic tibi, quasi ad mortem vsque, aduersantur, teque oppugnant, ames, pro eis ores, bene illis facias, vti fecisse Beatam Virginem lib. 2. c. 8. de Mãsuetudine, commemoratum est. B. Margarethæ, celsissimæ nobilissimæque stirpis fœminæ, vt refertur lib. 3. de viris Illustr. Dominic. Anno 1464. cùm ab alijs multa pateretur, Beata Virgo apparens, dixit: *Ille solus meus & Filij mei seruus est,* (quia videlicet patiendo & sic compatiendo Christi & Matris eius insignib⁹, veste, &, vt barbaro, sed noto vocabulo vtar, liberiâ induitur) *qui semper paratus est tantum pati, quantum homo moribũdus.* Christus verò, dans ei tria spicula in manum, addidit: *Elige vnum horum.* In primo autem

scriptum

scriptum erat aureis literis: *Meræ iniuriæ*. In 2. *Meræ infirmitates*. In 3. *Mera verbera ab hostibus*. Cui illa, à Virgine Deipara iam animata: *O Domine*, inquit, *si vis concede omnia.* Tum Christus; *Accipe*; *& cum his vires, vt fortiter pugnes*. In Speculo dist. 9. n. 22. narratur de Euphemia Virgine nobili; quæ post votum Virginitatis cùm ob eximiam venustatem, & formæ præstantiam Comiti cuidam inuita ac renitens esset desponsata; Sacellum Beatæ Virginis ingressa, eiusque ope implorata, nasum sibi, & labia præcidit; ob quod ab irato patre, vili homini & rustico in ancillam data, postremis seruitijs addicta, plagis insuper, & laboribus onerata, læto animo perferebat omnia, Deo gratias agens, quòd aliquid pro eo pateretur. Septennium in hac humilitatis, & sui contemptûs, & patientiæ palæstra, perfectæque cum Christo & Beata Virgine compassionis exegit; post quod cùm nocte Natiuitatis Christi stabulum fuisset ingressa, inuisit eam Virgo Sanctissima, Angelorum & Virginum stipata choro, nasumque & labia restituit. Quo in stabuli loco Pater deinde, mitior iam hoc miraculo factus, & ex eo alijsque indicijs filiæ sanctitatem metiens, Deo sacratarum Virginum Monasterium extruxit, in quo Euphemia Deo seruiens; breui beata morte defuncta est, Christo & Sanctissimæ eius Matri in æterna cæli gloria associata, vt verum fieret illud: *Si cōpatimur, & conglorificabimur.* Rom. 8.

Sed nullum est exemplum, quod magis ad nostrum propositum faciat, quàm id, quod lib. 2. c. 8. ex Osorio cómemoraui de Matrona, quæ in honorem Virginis dolorosæ, cuius dolores singulari pietate & veneratione colebat, filij interfectorem, à lictoribus ad pænã quæsitũ, non mòdo domûs suæ latebris texit, & aduersùs vim tutata est; sed etiam veste, pecuniâ, rebusque alijs iuuit. quo tam heroico facinore filium ex purgatorij flammis subitò eripuit. Hoc nimirum erat, reuera Deiparæ compati, hoc est, illi, si parua licèt componere magnis, similia pati, filium vnicum crudeli morte interemptum (quemadmodum Virgo Christũ) nefario scelere amittere, & nihil [illegible] beneuolentissimo ac benignissimo [illegible] Dei Matris, in malefactorẽ ferri. Vnde minùs mirum videri debet, si hac tam insigni & extraordinariâ compassione mulier illa consecuta est, vt nihil vel ipsa, vel filius in Purgatorio pateretur. Nam, vt obseruarunt quidam ex historijs fide dignis, vix vllum est medium efficacius ad satisfaciendum Deo pro reatu poenæ, peccatis debitæ, quã ijs, qui nobis malè faciunt, bene precari & facere. Refert M. Auila ep. 6. Elisabeth Hungariæ Regis filiam orasse aliquando Deum, vt singulos, qui eam iniuriâ affecissent, singulari aliquo beneficio afficeret, vt iniuriæ beneficium responderet, diuinumque ad eam factum responsum; nunquam orationibus suis Deo sic placuisse, vt

nunc

tunc; pro eaq; oratione vniuersorũ peccatorũ indulgentiã ac remissionẽ ei cócedi. Atq; hęc, quæ hactenus recensui, ferè sunt, per quę (si ex virtute cum peculiari erga Matrẽ dolorosam deuotione patiamur) ei compati dicimur.

Cum quibus congruit hæc quoque quorũdam deuotio, qui, vt à nonnemine audiui, non in particularibus tantùm casibus singillatim, cùm quid illis aduersi accidit, Deiparæ se passioni conformant, & in eius gratiam ferunt; sed pietatis atque amoris in eam ardore succensi, vno actu generatim (qui tamen sæpius repeti ac renouari potest) vniuersa, quæ deinceps tota vitâ quocunq; in genere passuri sũt, ei ita offerunt ac donant, vt ad eius cultum, honorem, imitationem, obsequium, amorem, cuncta libenter, & quoad eius fieri poterit, cũ gaudio ferre velint. Itaque si quid deinde patiendum occurrat, vt, si asperiore & aculeato verbo perstringantur; iniuria, aut contumelia afficiantur; si in casum sinistrũ & difficilẽ incidant; si mẽtis, aut corporis dolore aliquo & afflictione, aut alia molestia tangantur: confessim donationis, Virgini vniuersaliter factæ, memores, id ei ad eius obsequium & gustum, vnáq; Filij eius gloriam atq; amorẽ repræsentant. per quod robustiores in virtute patiẽtiæ euadũt, cũ non audeãt, quę semel Magnę Matri & Filio eius donarint, retractare; & per eã vberiorẽ gratiã consequũtur ad quæuis perferenda. Bona & vtilis est hæc praxis, modò nè temerè quis hanc donationem sic faciat, vt

per illam votum edere, & eius obligationem subire velit; sed intra propositi, sed serij atque efficacis limites eam contineat. Nam alioquin multis seminarium scrupulorum & multiplicationis peccatorum ansa praeberetur. Sicut nonnulli Christo se non modò offerunt & donant; sed etiam, quod plus est, dedicant ac cõsecrant, sacrificant & in holocaustum exhibent; sine vllo tamen voti vinculo.

§. 4.

Dolor de peccatis spectat ad condolentiam Virgini maestae exhibendam.

Vltimò tandem ad compassionem quoque mœstissimae Virgini, hoc secundo modo praestandam, pertinere potest, actum contritionis quàm amarissimae & vehemẽtissimae de peccatis nostris, & detestationis ac tristitiae de alienis saepe elicere; praesertim si ad id eius mœstitia & animi amaritudine excitemur. Nam flere cum flentibus, gemere cum gemẽtibus, tristari cum tristibus, est, eis compati. At Dei Mater sub cruce peccata nostra fleuit, deque eis gemitus inenarrabiles, & tristitiam immensam concepit; idque ex purissimo & ardentissimo in Deum & Filium suum amore, cui summè, & plus quàm ad mortem peccata aduersantur; vt lib. 1. cap. vltimo fusè est ostẽsum. Si igitur & nos idem pro modulo nostro de nostris, alienisque peccatis (nam omnium

omnia

omnia illa detestata est) & ex eodem Dei & Christi puro atque ardenti super omnia amore faciamus; optimè & congruentissimè illi compatiemur. præsertim cùm sic agendo, peccata nostra per contritionem deleamus; adeoque materiam tristitiæ illi quodammodo subtrahamus, &, aliena deflendo, solatium illi præbeamus, Est enim miseris, & afflictis solatium, socios habere tristitiæ. Præterquā quod etiam propositum serium vitandi quodlibet peccatum, quod in contritione includitur, solatio illi est; quippe opus bonum & Deo placitum, ex amore eius profectum. Quæ omnia ad syncerani compassionem spectant. Porrò vt & materia tristitiæ magis mœstæ Matri subtrahatur, & maius sit illi solatium, nè simus contenti, peccata tollere tātùm quoad culpā; sed etiam reatum pœnæ penitùs extinguere adnitamur. Sic enim & à peccato, atque adeò à tristitia illi causanda longiùs aberimus, purioresque erimus, & voluntarijs pœnis illud castigando, dum eas patimur, illi cum filio patienti compatiemur. Exempla, quibus hanc per dolorem de peccatis compassionem sibi probari, placereque Virgo testata est, multa passim extant. Quin & miraculosè in sua effigie cum lacrymantibus pœnitentibus vel ipsa lacrymari, vt communem cum eis suum dolorem, & mutuam compassionem testaretur; vel humorem aqueum, lacrymásve illis communicare aliquando visa est. Atque, vt vetera

vetera taceam, referam ex Annalibus Societatis, quod nostra penè ætate, Anno 1583. contigit. In ora Trauancoris miles inter nauigandum ex myoparone desiliẽs, omni spe salutis abiecta, quoniã Diabolo reipsũ addixerat, ingressus est templum, & coram SS. Dei Matris imagine prostratus in genua, auxilium ab ea multis lacrymis implorabat. Cùm ecce tibi ex amplexu Virginis puer IESVS visus est cum milite lacrymari; è Matris autẽ manibus emicare fons aquæ, quæ totã perfudit aram. Admoniti de re tota comites, accurrerũt, vt, quò plures oculi conspexissent, eò maior prodigij fides foret. Qui quidẽ imbutũ aqua illa sudariolum partiti sunt inter se; miles verò cùm ad Societatis IESV Religiosum venisset, vniuersæ vitæ flagitia confessus, Religionem vouit, vt, quantò iniquiùs se deuinxerat Dæmoni, tãtò arctiùs se adstringeret Deo. Quid hic aquę fons è manibus Deiparæ emicans denotarit, varia est coniectura atque interpretatio. Alij, id voluisse Deũ hoc prodigio putant, vt intelligeret miles, quãta sibi spes veniæ esset ab ea, quæ totius misericordiæ fons est, &, quàm nõ difficilis sit Filius ad Matris preces, qui cũ lacrymis perditum hominem ad se redeuntem accepit. Rectè illi quidẽ. Ego verisimile quoque esse arbitror, Dolorosam Virginem amaritudine & lacrymis sub cruce Filij ob hominum peccata olim plenam suarum illarũ lacrymarum amarissimarũ partem cõmunicare homini

homini illi pœnitẽti, & quasi manu porrigere ac subministrare voluisse, & in sui doloris cõsortiũ vocare, quo mutua inter illũ & Virginẽ cõpassio nasceretur. Quò referre licet illud Cant. 5. *Manus meæ stillauerũt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Quid enim sunt aliud lacrymæ pœnitentium cum dolore de peccatis, quàm succus myrrhæ amaræ, quẽ peccatoribus manus & digiti Deiparæ distillant. Hæc enim eis amarorẽ illum myrrheum pœnitudinis, siue myrram probatissimã ortæ ex amore Dei contritionis à Filio obtinet, & quasi manibus offert, vt doloris sui & passionis Filij faciat participes, & quasi compatientes. Hinc tot sunt exempla grauissimorum peccatorum, qui vel in sceleribus, velut *iumenta, computruerunt in stercoribus suis*; vel, Ioel. 1. Christo abiurato, Dæmoni se, traditis chirographis, deuouerunt; quibus Deipara contritionis lacrymas impetrauit, & quasi manibus suppeditauit, suaq; solummodo deprecatione saluti & gratiæ amicitiæq; Filij restituit: vt Mariam Ægyptiacã, Theophilũ, & eos, quorum meminit Horatius Tursellinus in Historia Lauretana, & Ferdinandus de Castillo, qui 1. p. Histor. Gener. Ordin. Prædicat. l. 2. c. 72. memorabile & stupendum in hoc genere refert exemplum. Cuius rei typus videtur fuisse piscina illa probatica, de qua Ioan. 5. in quam *qui prior descendisset, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* Ita nimirum qui

accedit

accedit ad piscinam lacrymarum, quas subministrat, & velut manibus præbet ex misericordiæ fonte Virgo Deipara, cuius oculi sub cruce Filij fuerunt *velut piscinæ in Hesebon*, Cant. 7. lacrymarum pleni, quocunque & quátumcunque mortifero peccati morbo teneatur, sanus abscedit. Hoc solum est discrimen, quòd ibi in piscina probatica vnus tantum sanabatur; hîc omnes, qui volunt. Et sanè sunt, qui dicant, Deiparam Hierosolymis natam esse iuxta probaticam illam piscinam, circa illud tempus, quo illius piscinæ miraculum, seu vis sanandi coepit, eamque vim in gratiam Virginis illi esse concessam. Nec enim, quod existimare aliquis posset, à pecoribus, quæ ibi lauabantur in sacrificia, eam habuit. Nam alioquin fuisset illa vis sanandi antiquior & diuturnior; sicut antiqua & diuturna fuit pecorum lauatio. Atqui coepit miraculum illud sanationis sub tempora natæ Virginis, cùm ante illa nulla à Scriptoribus fiat eius mentio. Non ergo in lauationem pecorum, sed verisimiliùs in Virginem referendum est.

Quod si ita est, clarior euadit is, de quo paulò antè dixi, typus.

PRAXIS V.

Erga Matrem dolorosam fiduciam, velut Matrem nostram concipere, & in necessitatibus ad eam confugere.

§. I.

Beata Virgo verè Mater nostra, cur sub cruce cùm dolorosa esset, Mater constituta?

MAgna est Dei Optimi erga nos benignitas, qui non contentus, esse Pater noster, quo tam dulci vocabulo in Oratione Dominicâ vult appellari: non contentus, dare nobis Filium in fratrem; voluit insuper nos habere Matrem, cui hoc officium committeret, vt erga nos Matrem se gereret, & *tanquã electa Dei, indueret viscera misericordia*, maternóque nos foueret affectu. Filius quoque Dei, cùm posset, velut primus Adam, sine fœminæ conceptu esse homo; matrem tamen sibi delegit, quam eandem constituit & nostrã Matrem, vt, si etiam sua sponte & charitate, quæ alioquin infinita est, nobis benefacere ob causam aliquam nollet; matris tamen, quæ communis nobis cum illo esset, interpositâ authoritate, cui solas clementiæ & benignitatis, hoc est, Matris partes reliquit, quodammodo cogeretur; & ad eam nobis, cui in illũ pariter,

pariter, & nos maternum ius foret, cùm liberet, liceret quasi prouocare. Quin etiam, vt magis aduersùs nos charitatem suam dulcissimus hic & amantissimus frater noster ostenderet, tempus & modum excogitauit, quo ita Mater nostra fieret, vt maximè Mater esset, hoc est, in nos, & nostra, tanquam filiorũ, commoda, propensissima, effusissima, misericordissima, liberalissima. Tunc enim ei potissimùm Matris in nos & nomen, & rem, & munus dedit, cùm ille in acerbissimis crucis tormentis moreretur. ad quod eum multæ causæ impulerunt.

Primùm enim, cùm cuperet, nos ab ea ardẽtissimè amari, nos in sui vicem substituit. Nã moriendo se illi subtrahebat, &, cùm viuere desineret, filius etiam esse quasi desinebat. Verè enim hæc Mater per mortem suum hũc IESVM Filium amittebat. Tunc igitur ei dixit:
Ioan. 19. *Mulier ecce Filius tuus*: quilibet scilicet hominum fratrum meorum. Cùm enim vnà cum D. Ioanne omnes ei homines commendaret, & in filios traderet, vt est concors SS. Patrum sententia, non dixit: *Ecce filij tui*, quos cõmuni tantùm cunctos simul atq; vniuersos materno complectare affectu; sed: *Ecce filius tuus*, & hic, & ille singillatim, vt singulos, velut eorũ Mater, ames sic, quemadmodum vniuersos, & vniuersos, vt singulos; & in eorũ quemlibet totam curã maternam, beneuolentiamq; expromas, ac si præter illũ alius non esset. Non etiã nobis

nobis dixit: *Ecce Mater vestra*; sed: *Ecce Mater tua*: vt quasi singulos nos alloqueretur, & quemuis ex nobis talem erga illam optaret, vt ad veram Matrem habere fiduciam, ac si ipse vnicus esset, totam Matris suæ dulcissimæ prouidentiam, charitatemq; modò filius esse vellet, experturus. Porrò hoc ipso, quòd nos sibi Christus, ex hoc mundo discedens, ac moriens, substituebat, filiosque nos ei, vt Matri, in sui vicē tradebat, infinitum propemodū eius in nos maternum amorem exigebat, & pæne parē nostrā in eam fiduciam. Cùm enim Mater illa sibi vnico suo Filio, & simul Filio Dei amorem omnem omnibus titulis deberet, eo ipso, quòd nos, vt eius filios, loco sui moriens cōstituebat, in huius amoris ius ac possessionem vocabat, cùm Filius IESVS quod nobis Mater affectûs materni, hoc est, summi, impenderet, hoc sibi, qui nos sui loco duceret, ac moriens relinqueret, impensum putaret.

Deinde ideo etiam sub sua cruce sibi, passioniq; suæ ac morti proximam, Matrē nostrā eam fecit, vt ei ostenderet sui aduersùs nos amoris immensitatem, quam æmularetur: quasi dicere vellet: Vide, Mater, quantopere homines, fratres meos, diligā, vt ex nimia charitate tradam me pro eis in mortē, mortem autē crucis: aspice per hiantia vulnera prorumpētem vndique in eos amorem meum: cor meū patens atque apertum introspice, quantis flāmis, incendijsque in eos æstuet. Hæc ego

eis,

eis, vt fratribus meis præsto; quorum tu vltimâ meâ voluntate, ac decreto Mater esto: eos, vt fratres meos, & filios tuos, ama: & cogita, quantus tuus Maternus affectus erga illos esse debeat, erga quos fraternus meus tantus est. O! quantos hic tam immensus Christi erga nos amor in Virginis pectore excitauit ignes. Cùm enim id vellet, quod volebat ille; id summè amaret, quod ille similiter amabat; quò potuit magis erga nos crescere amor Virginis, cùm Christi amor, quò cresceret, non haberet? Quàm illa cupidè desiderabat, quàm volupe illi fuisset, vitam quoque pro nobis, ad amoris testificationem per vulnera profundere, pro quibus suam Christus profundebat! Sed, quia id fas non erat, flammas interea charitatis ex Filij incendio erga nos intra suũ pectus colligebat, quas suo tempore effunderet; præsertim cùm ad cætera amoris incentiua, titulum etiam Matris, obligationemque sibi Materni affectûs superaddi videret.

Præterea hoc quoque ex potissimis & maximis causis fuit, cur Virginem Matrem suam & cruci, passioni, ac morti suæ adesse, & Matrem tunc nostram vellet, iuberet esse Christus; quia tunc maximè immensos meritorum suorum thesauros nobis sui sanguinis, dolorũ & mortis pretio comparabat. Horum thesaurorum dispensatricem illam creabat, quos in suos, quorum Mater fiebat, filios erogaret; eos præsertim, qui eam diligerent,

qui

qui ad eam vigilarent quotidie, & obseruarent ad postes ostij eius, tanquam aliquid accepturi. Prou. 8.
Est igitur constituta vt Materfamilias in Domo Dei, & per manus eius omnia transeunt; *nec quicquam*, vt ait S. Bernardus, *nos habere voluit Deus, nisi per MARIAM*; quæ in hoc attentissima est, *vt ditet diligentes se, & thesauros eorum repleat*. Ibid. Atque, vt sciret, quàm ex liberali penu promere posset, quod suis filijs Mater largiretur, cominus & coràm illam cernere voluit Christus tunc, cum Matremfamilias creabat, quàm amplas opes ei dispensandas relinqueret, tanto impendio emptas: vt videret, quàm copiosè totus effunderetur sanguis, vt nè gutta quidem restaret: quot & quanta essent cruciamentorum genera, ex clauis, ex flagris, ex spinis, ex gestatione crucis, ex omni denique suppliciorum continuâ serie: quàm ingentes externi, & his maiores interni cruciatus: quàm acerba mors ipsius Dei, cuius, cùm vnica gutta sanguinis, minimus dolor, aut opus, ad satisfaciendum pro nobis, promerendaque omnia bona diuina, humanaque sufficeret; tanta tamen tam prodigè sustinuerit, vt *& copiosa esset apud Deum redemptio*, & superabundans donorum cælestium procuratio ac persolutio. Ps. 129. Esset igitur Mater in suos filios munifica, quandoquidem, vnde & mala depellere, & bona prouidere posset, affatim abundeque suppeteret.

Neque ea ratio in minimis est reponenda,

qua factum est, vt Virgo Mater, cùm maximè dolorosa esset, nos sibi filios, Christo sic volente, nancisceretur; nempe vt quò maiore cũ dolore nos pareret, eò magis amaret. Solent enim Matres, proles, in quibus magnam difficultatem partùs sunt expertæ, impensiùs diligere; quippe quæ magno illis steterunt. Itaque, cùm salus & vita nostra, ad quam cum Christo per immanes dolores cooperata est, tanti illi fuerit; dubitandum non est, quin eam sedulò sit curatura, & nulla ratione, quãtum in illa est, neglectura, in qua perdita suus quoque tantus, tamque difficilis pariendi labor frustretur ac pereat. Denique sub cruce Filij, quando omni omnium dolorum ac calamitatum tristitiæque mole obruta est Virgo, Mater nostra effecta est, vt filiorum miserijs ærumnisque, quas propriâ experientiâ experta est, proniùs & benigniùs subueniret, & non ignara mali miseris succurrere disceret. Est igitur Virgo dolorosa, vt ex dictis colligere est, sub cruce Filij ita facta mater nostra, vt verè esset *Mater pulchræ dilectionis*, quam à Filio suo CHRISTO hausit, nobisque vt Mater nostra totam ac penitùs addixit: *& agnitionis* tantarum operum ex eiusdem CHRISTI passione ac meritis, quibus nos, vt Mater filios, iuuare ac ditare possit; & denique *Mater Sanctæ spei*, quam in nobis pariat, quamque nos erga illam, vt ad Matrem nostram, concipia-

Eccl. 24.

cipiamus, & per eam fidentissimè ad illam in omnibus necessitatibus nostris recurramus.

§. 2.

Honoratur, cùm pro Matre à nobis habetur.

Est autem hæc fiducia ac recursus magno illi honori & voluptati, per quem se coli vehementer auet & gaudet. Supponit enim hic recursus, illam nobis, vt Matrem nostram, in tantis suis & Filij sui doloribus constitutam, opitulari posse & velle; quæ opinio perhonorifica illi est; imò sine illa, quam CHRISTVS elegit Aduocatam, Matrem, dispensatricem meritorum suorum, &, vt loquuntur SS. Patres, cooperatricem salutis nostræ, hanc aliter nobis non obtingere. *Nullus* (inquit Sanctus Germanus, Homil. de Zona) *est, qui saluus fiat, nisi per te, ô Sanctissima: nullus est, qui liberetur à malis, nisi per te ô purissima: nemo est, cui donum concedatur, nisi per tè ô castissima: nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, ô honestissima.* Et S. Bonauentura lib. 1. Phar. cap. 5. ex S. Anselmo sic ait; *Sicut, ô beatissima, omnis à te auersus, & à te despectus, necesse est, vt intereat; ita omnis ad te conuersus & à te respectus*

 impos-

impoßibile est, vt pereat. Sanctus item Bernardus serm. 1. de Assumpt. *Aduocatam*, inquit, *præmisit peregrinatio nostra, quæ, tanquam Iudicis Mater, & Mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractat.* Huiusmodi igitur hominibus, qui eã pro Matre sua, & Matre misericordiæ habent, quæ ad miserendum benefaciendumq; sit promptissima, & pro ea, *quæ salutis nostræ negotia efficaciter pertractat*, tanquam potens ad eam procurandam, in eaque secundùm Deum fiduciam suam collocant, *obuiabit*, vt ait Ecclesiasticus c. 11. *quasi Mater honorificata*, magno scilicet ab illis honore affecta; siue, vt loquitur Sapiens c. 6. *Præoccupat qui, se concupiscũt, vt illis se prior ostendat*, anteuertens ex magnitudine benignitatis suæ materniique affectûs, eorum postulata ac desideria, ob eum honorem sibi habitum, quod ab se opem vel implorarint, vel implorare concupiuerint. Contrà verò diffidenter timideque erga illam se gerère, cùm in ea nihil sit, nisi suauitas & materna charitas; est, non satis illam æstimare ac colere. *Quid ad* MARIAM, inquit S. Bernardus, *accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suauis est. Reuolue diligentiùs Euangelicæ historiæ seriem vniuersam; & , si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in MARIA, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis.* Adhæc

cùm

cùm ad eam, tanquam Matrem nostram, confugimus opis indigi, miseri, infirmi, inopes, multis calamitatibus pressi, auxilium, tutelã, patrocinium, beneficentiamque eius postulantes; submittimus nòs illi, agnoscentes nostram indigentiam; quod ad cultum eius pertinet. Est enim quoddam reuerentiæ genus, sic se alteri inclinare, ac submittere, vt apud eum præsidium, opemque reperias.

§. 3.

Filiali, & tenero affectu Mater compellenda atque inuocanda.

Neque verò celsissima, & propè infinita Dei Matris dignitas, cui nos miseros homunciones infimè subdamus, necesse est, impedire debet, quò minùs eam Matris nostræ loco habeamus, Matrem appellemus, ad eius sinum, vt Matris, accurramus. Nam, si Deum appellamus Patrem, sine Maiestatis eius præiudicio; quidni & illam Matrem? Et cupit illa haberi & dici, quod est, nempe Mater nostra. Vnde eximij eius cultores, qui summo in eam reuerentiæ affectu ferebantur, vel eam in Matrem fidentissimè eligebant; vt S. Theresia post mortem suæ Matris, semper perinde ac filia patrocinio illius perfruens; vel hoc eam nomine compellabant. Ita de B. Stanislao Kostka in eius vita scribitur, quod in omni sermone Matrem eam appellarit, magno cum

 sensu

sensu & gustu, quo etiam alios afflabat. Ioannes Berchmans non modo suam Matrem vocitabat; sed tantam etiam erga eam fiduciam concipiebat, vt per illam omnipotentem se fore existimaret. Sic enim aiebat, vt refertur in parte altera vitæ eius: *Si amauero MARIAM, securus sum salutis, perseuerantiæque in arrepto Religionis statu: impetrabo, quidquid libuerit à Domino; adeoque omnipotens ero.* Neque id cuiquam nimium dici videatur. Sicut enim Virgo per Filium quodammodo omnipotens est, quia quod vult, pro nobis ab eo impetrat, cũ ille sit propensissimus ad gratificandum Matri, & omnipotentiam illi suam totam quodammodo addicat, vt quidquid potest, in eius gratiã faciat, idque cum gaudio præstet. Nam, vt ait Theophilus Alexandrinus in lib. de Incarnatione: *Gaudet Filius, orante Matre: quia omnia, quæ nobis, precibus suæ genitricis euictus, donat, ipsi Matri se donare putat, & accepta ab illa sine patre humanitatis vices reddere*; ita si Matrem Dei pro nobis habeamus, per illam, quæ per Filium omnipotens est, nos quoque consequenter omnipotentes simus. Blandiùs adhuc & teneriùs tanquam cum Matre sua videtur egisse Alphonsus Rodriquez, Societatis IESV Coadiutor temporalis. Quadam enim die eius amore vehementer incensus, ausus est ex teneritudine affectûs in has voces erumpere: *O Domina,*

ego

ego te impensiùs longè, quàm meipsum amos immò te ampliùs diligo, Mater mea, quam tu me diligas. Non displicuit hæc teneritudo tenerrimæ Matri. Cæterùm superari se passa non est; sed cùm se se illi visendam præbuisset, dixit: *Non ita est, vt sentis, mi Alphonse; sed ego te impensiùs amo, quam tu me diligas.* O suaue certamen amoris, addit Bourghesius, qui hanc historiam refert, in quo & vinci, & vincere sit æquè optabile & gloriosum! Sed vincat oportet, quæ plùs in amando potest.

Et quid attinet de eius suauitate & materno ac blandissimo affectu dicere, omnibus notissimo, quo filios suos, sibi dilectos, complectitur, solatur, recreat, fouet, suauissima pietatis dulcedine demulcet, iuuat, è periculis & malis eripit, bonis omnibus cumulat, vt aptè de illa dici possit illud Isaiæ 49. *Quomodo si cui Mater blandiatur, ita ego consolabor vos: ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Verè *fauus distillans labia eius mel, & lac sub lingua eius: Oleum effusum nomen eius: meliora sunt vbera eius vino, fragrantia vnguentis optimis.* Dum nos parturiret, ac pareret hæc dulcissima MATER nostra, sub cruce IESV dolorum omnium in se acerbitatem exsorbuit, atque exsuxit, *repleta est amaritudine,* *inebria-*

Cant. 4. &c.

Thren. 3.

inebriata absynthio; at pro nobis nihil habet, nisi fauum distillantem, mel, lac, vnguentorum, atque aromatum fragrantiam, solatia, blanditias, dulcitudinem, suauitudinem, delicias, bona omnia.

Quin igitur fidentissimè ad hanc Matrem accurrimus in omnib⁹ necessitatibus nostris, quæ & tam blanda, ac benigna est, & ad succurrendum parata ac prompta? *Duo vbera eius sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis*, Cant. 4. v. 5. Super quæ verba Richardus Victorinus: *Adeò*, inquit, *pietate replentur vbera tua, ô Virgo, vt alicuius miseria notitia tacta, lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subuenire.* Tam prætereà potens est, vt omnes alios Sanctos, simul sumptos, auxilij efficacitate superet. Vnde Suarez to. 2. in 3. p. d. 23. docet, Si sola Beata Virgine aliquid orante, tota curia cælestis in contrarium precaretur, vti apud Danielē Prophetam c. 10. *Angelus Princeps Regni Persarum restitit alteri Angelo*; plus haberet efficaciæ apud Deum solius Beatæ Virginis oratio ad impetrandum, quàm contraria omnium Sanctorum simul sumptorum. Nec deest huic Matri nostræ notitia miseriarum nostrarum quarumcunque. Hinc S. Epiphanius, in oratione de eius laudibus, eam appellat *Multoculam*, & ob id comparat Cherubinis, quos Ezechiel c. 10. & S. Ioannes Apoc. 4. plenos oculis describunt; ad significandam non solùm multitu-

titu-

tudinem rerum, quas in Deo videt; sed etiam miseriarum, quibus in terra prouidet, perspicacissimè & exactissimè cognoscens filiorum suorum necessitates, & remedia prospiciens, quibus medelam adferat ac leuamen. Rectè igitur S. Bonauentura in epistola 25. memoraliũ, in memoriali 13. monet: *Vt gloriosam Reginam, Domini nostri Matrem* (adde & Matrem nostram) *in summo habeas omni tempore venerationis affectu, & in cunctis ad eam necessitatibus & periculis ac pressuris, tanquam ad refugium tutissimum, te conuertas, ipsius tutela præsidium flagitando, eámque in tuam suscipias Aduocatam, deuotissimè ac securè tuam ei causam committas, quia Mater est misericordiæ, quotidie studens ei specialem & singularem reuerentiam exhibere.*

§. 4.

Omnibus Mater est, ac primùm Mater peccatoribus.

Et sanè multis illa in omni genere exemplis ostendit hanc in suis iuuandis & benignitatem & efficaciam; quæ infinitum esset recensere. Non possum tamen, quin aliquid ad roborandam fiduciam tuam, quacunque in difficultate positus sis, in particulari adferã.

In peccata lapsus est confide; illa te subleuabit, vt solet Mater filiolum, cùm cecidit, modò illam inclames, instar infantis, posteãquam in terram ruit: illa veniam impetrabit:

illa misericordiæ lacte reficiet ac sanabit. Richardus Victorinus suprà citatus, super memorata verba Cantic. 4. vers. 5. ait, Beatam Virginem duo habere vbera, quibus gemellos infantes alit, iustos scilicet, & peccatores; his veniam, illis gratiam impetrando. Comparatur autem hinnulis; quia, vt hi veloces sunt ad currendum; ita illa ad succurrendum. Solent pueri, cùm sibi à patribus metuunt (qui filios non solùm amant, sed subinde etiam seueriùs habent ac castigant) quando pœnam meriti sunt, currere ad matres. Tu igitur etiam ad Matrem tuam sanctissimam festina, nè te manus Æterni Patris, quæ iam est extenta, ob tua peccata, feriat. Sed de peccatoribus, quomodo à Matre dolorosâ iuuentur, dictum est satis præcedenti praxi in fine. P. Sebastianus Barradas dicere solebat, se, & cæteros peccatores (quorum se in numerum referebat, cùm esset vir sanctissimus) intuitu Sanctissimæ Matris tolerari à Deo.

§. 5.

Mater tentatis & à Dæmone oppugnatis.

Tentaris, & Dæmonum insidijs, atque insultibus impeteris? Bono ac forti esto animo. Ad sinum & vbera Matris confugito: ibi

ibi tutus eris. Nunquam se securiores putant infantes, quàm cùm sunt in sinu Matris, & ex eius vberibus pendent. *Ego murus*, inquit ipsa de se Cantic. 8. *& vbera mea, sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Murum igitur in eius vberibus, & turrim illam Dauid inuenies, *quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium aduersus Principes, & Potestates, & aduersus mundi rectores tenebrarum harum.* Cant. 4. Ephes. 6. Vnde à Sancto Ignatio Martyre, vt refert Marc. Michaël presb. Corton. lib. de vir. Illustr. Virgo inter cætera vocatur *munitissimum in bello versantibus propugnaculum.* A Sancto Bernardo, *omnibus firmamentis firmius firmamentum*: A Sancto Damasceno, *Fidelium turris.* Imò vel solo MARIAE nomine terrori hostibus eris, & eos fugabis. *Non enim*, vt ait Sanctus Bonauentura in Spec. cap. 3. *Sic timent hostes visibiles quamlibet castrorum aciem copiosam, sicut aëreæ Potestates MARIAE vocabulum.* Solenne est puerulis, cùm quid eis aduersum, aut per modum iniuriæ fit, Matrem minari: Dicam, inquiunt, Matri. Quo vno omnem se terrorem aduersarijs incussisse, aut incussuros censent. Certè tu, si Dæmonibus te oppugnantibus MATREM tuam dolorosam mineris, Matrem opponas; nihil

terribilius illis esse potest. Quæsiuit aliquando S. Dominicus ex malis illis genijs, qui hominem insederant, ecquem Sanctum in cælo maximè timerent, quique ab hominibus maximè honorandus sit? atque vt veritatem edicerent, coëgit. Dixerunt igitur inuiti, Beatissimam Virginem esse valdè potentem ad conseruandum suos famulos, nè damnentur; patefacere Dæmonum insidias; vnicum eius suspirium apud SS. Trinitatem superare preces omnium Sanctorum, plusque se illam timere, quàm omnes reliquos in cælo; nil se posse contra deuotè ipsi famulantes; multos in agone per illam saluari: si MARIA non restitisset, pridem se Ecclesiam eradicaturos fuisse: nullum damnari, deuotè in exercitio eius psalterij perseuerantem, eò quòd impetret suis famulis verum dolorem, vt veniam suorum peccatorum consequantur. *Ita refert Bzouius Annal. Ecclesiast. tom. 13. Anno 1213. num. 15.*

Hanc igitur ob causam homines Sancti in spiritualibus pugnis, Dæmonumque conflictibus ad MATREM hanc, velut murum ac turrim munitissimam, se recipiebant, arma, præsidiúmque, ac tutelam, & victoriam, ac pacem sibi certò pollicentes. S. Antonius de Padua in omnibus tentationibus recitare solebat hymnum, cuius initium est: *O gloriosa Domina, &c.* S. Xauerius Meliaporæ in India à Dæmonibus in tẽplo (in quo pernoctabat) grauiter

cæsus,

cæsus, inter verberum crepitus non alia voce pro clypeo vsus est, quàm ; *Domina, opitulare: Domina, non opitulaberis?* Neque deinceps Lemurum illorum terriculamenta vel flocci fecit; sed Magnæ Matris præsidio fretus, iterum atque iterum noctem in templo, precando exegit, quantumuis terrere & importuni esse pergerent. Idem in nauigatione, quam in Iaponiam prædicandi Euangelij causa instituerat, Dæmone omnibus machinis contrà nitente, & per responsa, ex idolo data, eum in vitæ discrimen vocante; portum tamen feliciter tenuit primus Iaponiæ Apostolus, ipso Assumptæ Virginis festo die, vt sciret, cuius ope Dæmonis machinamenta vicisset, & saluus, quò intenderat, appulisset. S. Gertrudem, vt de se ipsa narrat lib. 3. reuelat. c. 1. Christus aliquando monuit de imminente graui tribulatione; cùmque diffidentiæ spiritu concuteretur, eam solatus, dedit ei in Magistram, & Matrem, misericordiæ Matrem, vt ad eam, velut Matrem, in omni anxietate & aduersitate recurreret; fore, vt iuuaretur. Idque experta est, præsertim in quadam grauissima desolatione circa festum S. Bartholomæi, quam inuocata Virgo Deipara luce suæ præsentiæ dispulit. Rursum l. 2. c. 7. narrat, se corpore & magis animo valde afflictam ab ea, sibi apparente, adiutam. Vnde lib. 6. reuelat. c. 21. ait: *Quamuis auis prædatricis ad instar Diabolus animam Christianam celeri volatu insequens,*

iam iam præda immineat, ac vngues fatales exerat, vt miseram dilaceret; si tamen mentio fiat B. MARIAE, cogitur prædam deserere. Operæ pretium autem est, audire, quid Beata Virgo S. Gertrudi suprà lib. 2. ca. 7. apparens, dixerit: *Hoc scias,* inquit, *filia, quemadmodum nullo vnquam corporis, vel animi labore exercitata fuisti, qui superaret istum, ex quo me nunc inclamasti; ita nullam vnquam fuisse in te dispositionem ad recipienda singularia, quæ tibi Filius meus præparauit, munera, maiorem ista, quam nunc tibi comparasti.* Quod valde notandum est. Neque enim in tentationibus, & internis afflictionibus nostris id semper agendum nobis apud Matrem dolorosam est, vt eas effugiamus, vel non sentiamus, cùm sæpe ad profectum nostrum, dispositionemque ad magna Dei dona consequenda faciant, vt ex verbis Beatæ Virginis, paulò antè allatis, liquet; sed, si ad maiorem Dei gloriam, & nostrum spirituale bonum est, vt durent, in ijs neque succumbamus, & cum fructu pugnemus. Quod patrocinio Matris nostræ consequemur, quæ nobis impetrabit, vt *neque tentemur supra id, quod possumus, & fiat cum tentatione prouentus.* Ita fiet, vt in nos quoque aliqua ratione quadrent tituli illi, qui Beatæ Virgini à S. Chrysostomo Homil. 2. de patientia, & in Liturgia tribuuntur, dum ab eo vocatur *Columba in medio accipitrum, Ouis in medio luporum, Lilium in medio spinarum,*

1. Cor. 10.

Stella

Stella in medio nubium, Germen iustitiæ in medio iniquitatis. Et hæc de tentationibus. Pergamus porrò.

§. 6.

Mater ad perfectionem nitentibus.

Vis ad perfectum Dei amorem & sanctitatem pertingere? Per hanc purissimam Matrem te illam consecuturum confide. Illa *Mater est pulchræ dilectionis*: in illa *est gratia omnis viæ & veritatis*: *in illa spes vitæ & virtutis*. Per illam virtutum & donorum cælestium charismata, tanquam Spiritûs Sancti, qui amor est, Sponsam, Dei Matrem, quæ communem cum Deo Patre habeat Filium, adeoque Matremfamilias cælestis Hierusalē, distribuuntur. Vnde ipsa de se ait: *Et in Hierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato*, honorificato ait; siue quia ad maximum sanctitatis gradum, atque honorem populus ille euectus est; siue quia maximis à Deo muneribus affectus. Nam honorare in S. Scriptura aliquando significat, munere, vel donis ornare. *Et in parte Dei mei hæreditas illius*. Nam qui *hæredes* sunt *Dei*, *cohæredes autem CHRISTI*, illique perfectione proximi, in illis ipsa quoque suam partem habet, *Et in plenitudine Sanctorum detentio* eius. Illa *quasi terebinthus extendit ramos suos, & rami eius honoris, & gratiæ*; *Eccli. 24.*

Sum-

Summus enim honor est, esse sanctitate Deo quàm simillimum, & ei gratia atquè amicitia coniunctissimum. Illa *quasi vitis fructificat suauitatem odoris*, vt fructus, siue filij eius, sint *bonus odor Christi, & flores eius fructus honoris, & honestatis*. Vnde à Chrysippo Presbytero Hierosol. in serm. de S. MARIA vocatur *Totius fragrantiæ pratum; Vitis vuas pulchras producens: Radix omnium bonorum*. A Methodio Martyre, Tyri Episcopo, in orat. habita ob Hypapant. Dom. *Vberrimus totius sanctitatis fons: Diuinæ charitatis promptuarium*. A Ruperto Abbate: *Virtutum operatrix, Sancta Religionis Magistra, & Magistra Magistrorum*. Et quid pluribus opus est? *Pro patribus* (quos voto Virginitatis emisso, *& populum suum, & domum patris sui*, vt ait Psalmista ps. 44. *oblita est*) *nati sunt ei filij*, quorum sub Cruce facta est Mater: *Constituet eos Principes*. Certè qui sunt in Ecclesia in sanctitate principes ac summi, ij sunt filij huius Matris, qui eam tenerrimè dilexerunt, & tenerrimè ab ea dilecti sunt, eiusque ope ad fastigium sanctitatis peruenerunt. Lege Sanctorum Noui Testamenti vitas, & recentium, & veterum, &, ita esse, reperies. Quis enim hic eorum exempla referat, cùm ad ea recensenda non vnum, sed plurima volumina vix satis forent?

§. 7.

§. 7.

Mater, Dei gloriam & animarum salutem quærentibus.

Animarum Christo lucrandarum per prædicationem Verbi Dei, & Apostolica munia, Diuinæque gloriæ propagandæ studio teneris? En tibi Matrem, quæ auxilio tibi sit, *sub cuius lingua lac, & mel: diffusa est gratia in labijs eius; & labia eius, sicut vitta coccinea,* ad illigandas virtuti hominum mentes, Christoque adducendas; *& eloquium eius dulce.* Illa è Cant. 4. maternis suis vberibus, suaque dulcedine lac, & suauiloquentiam tibi propinabit, qua populos ad Deum pellicias, & potentiùs, quàm Hercules aureis vinculis, trahas. Hoc lacte S. Bernardum impleuit, vt esset lacteus ac mellifluus: hoc S. Augustinum, in medio, inter vulnera & vbera positum lactauit, vt ex illo plus, quàm ex doctrina, suópte ingenio & labore parta posset. *Meliora enim sunt vbera eius vino* humanæ scientiæ. Hac adiutrice S. Cant. 1. Vincentius Ferrerius ex Dominicana familia eum animarum fructum fecit, vt 25000. Iudæorum, & totidem ferè Saracenorum Christo conciliarit, Christianorum centum viginti millia reconciliarit; publicis criminibus infamium, 40000. ad innocẽtiam reduxerit; cuius etiam castimoniam dæmonis insidijs in periculum adductam, sua tutela ei assistens, materna

terna cura & affectu seruauit, nè malo exemplo perderet, quos voce erat lucratus. Huius ope S. Antonius de Padua ex D. Francisci Ordine suis ad confertissimam concionem verbis quàm plurimos à flagitiosâ vita reuocauit; quod cùm Dæmoni vehementer doleret, decumbenti in lectulo Antonio, faucibus interceptis, spiritum ac vocem illam elidere conatus est, per quam tot Orco animæ eriperentur; sed vnum Magnæ Matris MARIAE nomen inuocatum, & viam loquelæ retinuit, & hostem in fugam dedit. Per hanc S. Xauerius, Indiarum Apostolus, præter innumerabiles alias animas, CHRISTO lucrifactas supra millionem Gentilium ad Sanctum baptisma adduxit, & sacro fonte lustrauit. S. Bernardinus Senensis, vt refert Pelbartus in Stellario lib. 2. p. 2. art. 3. imaginem Virginis supra ciuitatis Senensis portam, quam Camolliæ dicunt, elegantissimè depictam per multos annos quotidie inuisebat, ac flexis nudisque genibus preces eidem offerebat; recitabat idem quotidie coronam 63. Salutationum Angelicarum. Quod sibi adeò gratum esse ostendit Sanctissima Mater, vt ei inter recitandum apparens diceret: *O mi deuote famule, multùm mihi complacui in tua deuotione: ecce quia me hac corona quotidie honorasti, impetraui à Filio meo tibi gratiam miracula faciendi, & prædicandi: & tandem*

dem scias, te in cælo mecum sine fine lætaturum, participem meorum gaudiorum. Vides, vt inter cætera bona etiam gratiam prædicandi sui studioso famulo Mater admirabilis impetrauerit, & sine dubio impetrat eandem etiamnum multis eius clientibus; præsertim qui ex vocatione sua ad Apostolicum munus sunt destinati. Quin ipsi etiam primi Christi Apostoli plurimum ad conuersionem animarum, & felicem sui muneris successum in eius patrocinio momenti posuerunt. Vnde ei adhuc viuenti templa erexerunt, vt de S. Petro, & S. Iacobo in Hispania scribitur; & quòd S. Paulus Hierosolymam adeò properarit, vt habetur Act. 20. causam hanc putat esse Cornelius à Lapide, vt Deiparæ ante eius obitum (nam post paucos menses ab eo itinere, & Pauli aduentu defunctam esse arbitratur) suos agones & labores commendaret & prosperum Apostolatus sui cursum exoraret.

§. 8.

Mater doctrinarum cupidis.

Ad Dei gloriam promouendam multùm quoque sæpe conferre potest, multiplici doctrinarum genere instructum, atque exaggeratum pectus habere. Hic quoque beneficium non rarò suis cultoribus ac filijs Deipara cõfert. Est enim Matrum, filios docere atque instrue-

instruere. Exempla huius beneficentiæ multa suggerit antiquitas. Notum est de Hermanno Contracto, ex familia Comitum de VVeringhen in Sueuia, Ordinis S. Benedicti, qui circa annum 1060. claruit, cùm sanitatem à Beatissima Matre petijsset, eius loco ingentem scientiarum copiam obtinuisse, vt narrat Trithem. lib. 2. de viris Illustribus S. Benedicti c. 84. Huic Hermanno auctori debemus aureã illam, & melle dulciorem Antiphonam: Salue Regina. B. Albertum Magnum ex rudi atque hebete ingeniosum ac doctum repentè Diuæ Matris ope euasisse, nemo est, qui nesciat. Historiam describit Ferdinandus de Castillo 1. p. Chronici S. Dominici cap. 45. Rupertus Abbas Tuitiensis tardi primùm & plumbei ingenij, ab apparente sibi Virgine ita in alium commutatus est, vt ingenio & doctrina similem inter Theologos Germanos ætas illa ei non haberet, qui deinde viuus & mortuus multis claruit miraculis. Hæc antiqua. Nec recẽtia desunt. Quòd Frãciscus Suarez ijs sciẽtijs Philosophicis ac Theologicis abundarit, quas in eo sæculum nostrum admiratur ac stupet, Doctorisque sui ac Magistri titulo compellat; id vni, secundùm Deum, Beatæ Virgini acceptum ferre debemus. Neque enim initio statim studiorum mentis acumine pollebat. Habebat ille hoc in more etiam tunc, cùm ingẽtes illos suos omni eruditione & subtilitate refertos tomos conscriberet, vt difficiliores

quosque

quosque Theologiæ nodos, quos haud facilè exsoluere posset, Beatæ Matri velut consultandos & explicandos, factâ prece, proponeret. Quæ in prælectionibus, aut elucubrationibus incidissent dubia, ea omnia cum optima parente & Magistra conferebat; & non semel in ipso palàm ambulacro coram Beatæ Virginis effigie visus est extemplo genua flectere, & ei gratias agere de ea, quam diuinitus acceperat, illustratione, dubitationisque, quam mente tractabat, solutione. Quanquàm & à Christo crucifixo mentis lumen hauriebat, adeoque Matrem cum filio patiente iungebat. Accidit enim aliquãdo, vt Ianitor eum ad colloquium viri grauis euocaret, cumque tertiò iam pulsasset fores, nec vllus respondere; intrauit, apertâ ianuâ, & ecce Patrem eleuatum à terra conspicit duobus ferè cubitis, totumque cubiculum diuino lumine collustratum. Sed eximius quidam radius in faciem Patris è Crucifixi vulneribus sacris euibratus conspiciebatur. Habemus & aliud in Societate nostra illustre exemplum, quod ad hoc caput pertinet, & narratur ibidem à Bourghesio in libro de Societate IESV Deiparæ Sacra c. 28. his verbis: Henricus Delsom, Audomari temporalis Adiutor, cùm primùm Societatem inijt, adeò rudis erat & hebes, nullaque memoria, vt magnopere lugeret, se nihil rerum spiritualium ediscere, ac memoria complecti posse. Quare vehementer afflictus die quadam,

quadam, coram imagine SS. Virginis prostratus, corpus, animum, corporis sensus, animi vires ac facultates Sacratissimæ Virgini ad perpetuum eius offert obsequium. Ex eo tẽpore ita rerum spiritualium euasit intelligẽs, vt conciones integras memoria retinere, easdemque multis post annis reddere ac recensere posset, tantoque animi sensu de B. Matre, diuinisque rebus loquebatur, vt graues ex Ordine nostro Theologi dicerent, eum velut è puteo profundissimo iugiter haurire sensus rerum cælestium admirandos. Quare velut è fonte ex eius ore suauissimè scaturiebant & sponte prosiliebant ad Sanctissimam Matrem, aut augustissimum Sacramentum, in quo similis eum æstus pietatis *abripiebat*, aspirationes, cuiusmodi Theologi nec meditando, nec pios authores voluendo, fuerant assecuti. Ad extremum vitæ, instar S. Tobiæ cæcitate purgatus, ac probatus, summa tranquillitate obijt, pridie Sanctorum omnium, Anno 1615.

§. 9.

Mater etiam in temporalibus.

Neque verò in ijs solùm, quæ ad animum pertinent, cura ac prouidentia SS. huius Matris erga suos filios versatur; sed etiam ad corporum salutem atque incolumitatem curandam Maternus eius amor se porrigit. Itaque

que publicè priuatimque omnibus, qui eius implorant opem, subuenit ac prodest. Si bella Respublicas & regna quatiant, victoriam suis ac pacem largitur. Exemplis id confirmare longum esset. Vide Baronium tom. 7. annalium ad ann. 568. & tom. 8. ad annum 625. & tom. 9. ad annum 718. & tom. 10. ad annum 886. & ibidem ad annum 971. & Thomam Bozium de notis Eccl. lib. 9. cap. 10. vbi mirabile & recens exemplum adfert. Et verò, vt olim à Iabin Rege Chanaan miserè vexati, oppressique sunt Hebræi, *donec*, vt ait Scriptura Iud. 5. *surgeret Debora, surgeret Mater in Israel*: Ita ab hac Matre vnicum ac potissimum est in bellis, secundum Deum, præsidium. Si fames, aut pestis, vrbes & prouincias populatur, Matrem illa se in his calamitatibus exhibet. Anno 1470. Romæ in Conuentu Patrum Augustinianorum cùm pestis grassaretur, Prior, voto edicto, quo Religiosos illos adstrinxit, vt ex ijs vnus quotidie recitaret quinque psalmos ex S. Bonauenturæ psalterio, qui literis initialibus nomen Beatæ MARIAE describunt, malum illud penitùs auerruncauit eliminauitque. Similem historiam sui temporis, cum pari successu ob aliā quandam deuotionē narrat Pelbartus in Stellario lib. 1. p. 5. a. 1. c. 3. his verbis. *Cùm pestis valida in regno Hungariæ quamplurimos depasceret, audiui à quodā mihi refe-*

referente, quod contra istam pestem inquinariam non esset melior medicina, quàm postquam aliquis se sentiret infectum, statim ipsum apostema signo crucis signando diceret nouem Aue Maria, per singula crucem faciendo super apostemate. Dicebat enim ipse referens, se hoc modo euasisse. Quod cùm ego audiuissem, firma memoria tenui, & confiteor, quòd cùm essem ipse peste percussus, pluribus vicibus hoc dignissimo remedio prædicto euasi, nec vis ipsius apostematis præualere mihi potuit, quotiescunque dictũ remediũ exhibui. Ipsissima sunt verba Authoris. Multa consultò prætereo, quia passim in libris inueniũtur huiusmodi Diuæ Matris in suos beneficia corporalia, quos nunc pecunia in egestate, nunc alijs rebus mirabiliter iuuit. Vide S. Gregorium lib. 1. Dial. c. 9. & Gregorium Turonensem lib. 1. de gloria Martyrum c. 11. & plurimos alios. Ad hanc igitur Matrem nostram in necessitatibus nostris omnibus

Heb. 4. confugiamus: *adeamus cum fiducia*, vt verbis Apostoli accommodatè vtar, *ad thronũ gratiæ eius, vt misericordiam consequamur in tempore opportuno:* cum fiducia, inquam, *Nun-*

Is. 49. *quid* enim *obliuisci potest mater infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui?* Est illa, vt eam meritò quidam vocant, *Ecclesiæ vber*; vel, vt ait Idiota de Contemplatione Virginis in proloquio, *Thesauraria gratiarum Saluatoris.* Hoc enim illi munus, vt suprà dixi, cùm sub

cruce

cruce in doloribus facta est Mater nostra, commissum est. Nihil igitur est, quod per eam sperare non possumus.

PRAXIS VI.

Pro hora mortis Matrem dolorosam patronam sibi optare ac legere.

ETsi in omnibus necessitatibus prouidentissimæ & benignissimæ Matris erga sibi deuotos famulos & filios munere Virgo dolorosa fungitur; peculiaris tamen est eius cura atque amor in illorũ extremo agone ac morte. Vnde nulla ferè alia in re tot benignitatis eius & beneficentiæ exempla proferuntur, & omnes Ecclesiæ Fideles eam in Salutatione Angelica inuocant, vt *oret pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis*. Et sanè nullum est tempus, quo opportunius sit eius auxilium, quàm illud, quo salus nostra in acie nouaculæ est sita, & ab vno momento pendet vel infelicissima, vel felicissima æternitas neque vnquam aliàs tot & tantis difficultatibus exponimur ac pugnis: nam & nos maximè infirmi tunc sumus, & hostes validissimi viribus omnibus collectis acerrimè nos pertinacissimeque inuadunt; quandoquidem de summa rei agitur. Hæ autem sunt præcipuæ in eo articulo nostræ difficultates.

§. I.

Agonis vltimi, & mortis difficultates atque incommoda.

Primùm, morbi vis, quàm aliàs, maior; quippe qui tantus est, vt ad mortem vsque (quod ante non fecit, aut potuit) hominē deducat: cui accedit grauissimus sæpe dolor, sæuissimusque in membris cruciatus: accedit & sensuum defectio, qui suo officio aut fungi planè desinunt, aut vix, & ægerrimè, minimaque ex parte funguntur. Secundò. Angustiæ internæ moribundum tantæ occupant, vt frigidum ex toto corpore sudorem expellant, cum incredibili naturæ horrore, separationem animæ à corpore toto nisu refugientis, quam tamen vitare nequeat. Hic naturæ horror atque angustia, ob quam vel solam *mors omnium terribilium* dicitur esse *terribilissimum*, corporis dolores, quantumuis acerbos, atrocitate superat. Videre hoc est in ijs, qui aquis mersi cum morte luctantur, quibus si cultrum, aut nudum ensem porrigas, auidissimè arripiunt, tenentque strictissimè, nullam vulneris, aut doloris rationem habentes; vti & in alijs, qui in simili lucta membrorum abscissionem, aliaque cruciamenta perferunt, aut aliquando etiam sibi inferunt, dummodo eas angustias, quas ex mortis vicinitate patiuntur, euadant. Et hæ quidē angu-

stiæ

stiæ ex naturæ horrore ortæ, omnibus, seu Fidelibus, seu Infidelibus, seu Bonis seu Malis, sunt communes: quin etiam in brutis, ex solo naturæ instinctu, quamuis cognitione intellectûs, aut reflexione super id suum malum careant, se produnt; quas CHRISTVS quoque in se voluit experiri, quando *factus in agonia*, sanguinem copiosè sudauit. At in ijs, qui futuræ vitæ supplicia, aut præmia, morientibus decreta credunt, multò sunt auctiores; præsertim si aliquarum noxarum sibi sint cōscij, quarum expiationem aut nullam factam esse sciunt, aut, factáne sufficiens sit, nesciunt. His imminentis iudicij rigor & ineuitabilis necessitas; Iudicis, ex eo, qui antecedente vitæ nostræ tempore mitissimus clementissimusque fuerat, nunc repentè in seuerum ac terribilem mutati exactissimâ iustitiâ ad *vltimum quadrantem* rationem reposcentis, & nè hilum quidem pœnæ debitæ remittentis: his flammarum infernarum immanitas, & nūquam finienda, nunquam vllâ quacunque sui parte ablatâ minor, semper sibi constans, atq; integra post omne post duratura æternitas: his peccatorū, qui non magna ante censebāt, suo pondere æstimata grauitas (audiuimus certè quosdam prope mortem dicentes, grauia sibi nunc apparere, quæ leuia antè ducebant) his alia, aut ijs, quæ dicta sunt, similia, aut cum illis connexa moribundis animo occursantia, intolerabile multiplicium

Luc. 22.

Matth. 5.

anxietatem angustiarumque augmentum pariunt. Tertiò. Super hæc, tentationum, vt suprà insinuaui, vis omnis ingruit & agminatim irruit, conflictu, vt periculosissimo, ita atrocissimo. *Va terra, & mari*, ait S. Ioannes Apoc. 12. *quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.* Modicum igitur etiam tempus, quod habet, vt moribundum in suas partes & perniciem trahat; illum in iram & extremam audaciam conatumque excitat, vt nihil intentatum relinquat, quò victor euadat. Fidem tunc maximè oppugnat, vt vel Deum, futuramque vitam non credas (quod obtrudit vitandæ anxietatis remedium) vel de aliquo *Fidei* articulo dubites. Quòdsi id efficere nequeat, alias machinas à fronte & à tergo, telaque inter se contraria adhibet. Nam, si peccatis tuis metuas, in diffidentiam & desperationem pellicit; sin ex concepta Dei misericordia in spem te erigas, ad præsumptionem trahit. Multas præterea fraudes, prout hominem dispositum videt, vel ex rerum terrenarum stultissimo tunc amore, nè v. g. quod debes, restituas, quod tecum auferre non potes, vel ex superbia, vel ex tui amore proprio, aut aliorum inordinato concinnat ac nectit, quibus te capiat: remedia salutis, vt Sacramentorum vsum, si impedire nequit, vitiare conatur defectu aliquo, v.g. debiti doloris, aut diligentiæ. Et quis omnes eius artes & pugnandi

modos

modos enumeret? Quartò. Sola infernalium illorum monstrorum ac spectrorum, quæ tunc in horribili forma se visenda præbere aliquando solent, apparitio (iuxta illud Isaiæ 14. *Infernus subter conturbatus est in occursum aduentus tui, suscitauit tibi gigantes*) & imaginatio tenebrarum, ad quas moriens, ex hac luce subductus, iturũ se apprehendit, summũ atque vltimũ horribilitatis videtur esse. Ex his colliges, quanta sit insania, præparationem ad morte differre ad vltimũ eius articulũ, tibiq; persuadere, satis tunc & temporis & opportunitatis ad eam fore. Quænam, oro, potest esse opportunitas, quãdò nec sensib⁹ suus potest esse vsus, à quib⁹ depẽdet intellectus, nec, si esse posset, dolor, aut ægritudo permittit, vt mens sua munia, vt aliàs, obeat, quam *corpus, quod* tunc maximè *corrumpitur, aggrauat*, & angustiæ impediunt, atque aliorsum trahunt, & ea, quæ nunc enumeraui, omnia in varias partes dissipant, ac pœne discerpunt. Si quando grauem morbum es passus, expertus es, quàm alius nunc sis ad vsum mentis, quàm tunc fueris, quàm illa cum ægro corpore ægriat, quàm difficulter ad seria voluenda, & agitanda, præsertim diuina, se tollat: aut si passus non es, eos, qui passi sunt, consule. Sap. 9.

§. 2.

Mater dolorosa sæpe inuocata ac culta, conuenientißimum his malis leuamen.

Restat igitur, vt, quàm diu sani sumus, eam

curam præparandi nos ad felicem ex hac vita exitum suscipiamus, cauendo studiosè, quæ ei obstant, puta, peccata & imperfectiones; & omni studio procurando, quę prosunt, in pia opera incumbendo, inter quę hoc sit primariũ, vt ad Matrem nostrã Sanctissimã sæpe recurramus, eamque multis nobis obsequijs demereamur, quæ cùm sciat, *nos* tunc *pro humana fragilitate non posse subsistere*, gratiam, & robur nobis impetret, vt Dæmonum oppugnationes, angores & omnia ea, *quæ pro peccatis nostris patiemur, illa adiuuante, vincamus, & bonũ certamen certantes, cursum consummantes, fidem seruantes,* adipiscamur *coronã iustitiæ, quam reddat nobis in illa die iustus Iudex*, & misericors pater. Porrò cùm Mater nostra facta sit sub cruce primogeniti Filij sui IESV, in summis eius, & suis doloribus, in extremis vtriusque angustijs, animiq; amaritudine immensa, in eius, quem plùs se diligebat, pauore, tædio, & tristitiâ vsque ad mortem, in desolatione tanta, vt clamaret: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me;* inter crudelissimos hostes, ad acerbissimam vsque crucis mortem plùs, quàm ferinâ rabie, eum persequentes, qui, vt verbis Iob c. 16. vtar, *falsiloqui suscitati sunt aduersus faciem eius, contradicentes ei collegerunt furorem suum in eum, & comminantes infremuerunt contra eum dentibus suis, terribilibus oculis intuiti, aperuerunt super eum ora sua, & exprobrantes percusserunt*

2. Tim. 4.

maxil-

maxillam eius, satiati sunt pœnis eius, conciderunt eum vulnere super vulnus, irruerunt in eum, quasi gigantes. Et quid dicam amplius? *Hæc erat hora* eorum, *& potestas tenebrarum*; Luc. 22. cùm, inquam, in hoc rerum statu Virgo dolorosa Mater nostra facta sit, quando Filio suo morienti adstitit; nónne conuenientissimè eã inuocabimus, vt nobis quoque adstet (nobis inquam, tunc in filios ei traditis, & fratres suos à primogenito fratre nostró IESV) quãdo in similem statum in mortis agone deueniemus, quando & dolore summo atque ægritudine, & extremis angustijs, & animi amaritudine, & pauore, & tædio, & tristitiâ, & desolatione obruemur, quãdo crudelissimi hostes nostri Orcinâ rabie nos persequentur, colligentésque furorem suum in nos, partim cõminantes & exprobrantes peccata, quæ verè commisimus; partim contradicentes ijs, quæ in nostrî defensionem poterimus adferre; partim falsiloqui aduersus faciem nostram insurgentes, falsa pro veris obijcientes, vt nos quoquo modo in desperationem & interitum adducant: vti obiecerunt quibusdam viris, etiam probis, quorum agonizantium auditæ sunt aduersùs falsiloquum hostem voces: *Mẽtiris, Non est ita*, &c. quando præterea terrificæ illæ laruæ terribilibus oculis nos intuebuntur, & irruent in nos, quasi gigantes, infrementes dentibus suis, nec aliud quærent, quàm vt satientur pœnis

 nostris,

nostris, concidantque nos vulnere super vulnus. Verbo; quando erit eorum hora, & vltima potestas tenebrarum. Quis obsecro, nobis in his malis adstet benigniùs, quàm Mater nostra? quæ cùm similes afflictiones in Filio suo viderit, eique vehementissimè, plùs, quàm ab vllo hominum cogitari potest, sit compassa, si in nobis quoque videat; nónne pristina illa compassio quodammodo reuiuiscet, par obiectum nacta? Et cùm ideo Mater tunc nostra constituta sit, vt nos in nostris miserijs affectu materno iuuet, quod erit tempus aptius iuuandi nos, quàm cùm miserias videbit, quas velut in idea vidit, quando constituebatur Mater? quasque cùm eam, velut Matrem nostram, inuocamus, ei reuocamus in mentem, quandoquidem illi Matrem nostram esse, est, talibus miserijs, afflictionibusque adstitisse.

Adhæc illam, vt Matrem dolorosam, pro mortis agone inuocare, est, ei amorem, quo nos dilexit tunc Christus, repræsentare; dilexit, inquam, talia ac tanta pro nobis patiendo, declarandoque tam admirabili modo amorem suum: dilexit, tam liberaliter merita sua in nostrum bonum cumulando, & infinities in infinitum exaggerando: dilexit vel hoc ipso, quòd eam tunc nobis Matrem constitueret, quam sciret & sui esse, & nostri fore amantissimam. Quis igitur dubitet, eam sic inuocatam nobis in morte præstò fore, tanto

amore

amore prouocatam atque impulsam, tantis filij meritis ad succurrendum subnixam & instructam, tali officio insignitam, tantâ nostrâ indigentiâ motam, tantis miserijs ad misericordiam, ad quam sponte alioquin propensa est, inclinatam atque incitatam.

Denique dolor immensus, quem ipsa quoque sub cruce pertulit, & animi angustia, atque amaritudo, & gladius, qui pertransibat animam illius, & agonia interna inexplicabilis, & illa demum, quæ cum Filio patiente ac moriente communia passa est (quandoquidem vt lib. 1. ex SS. Patribus sæpius dictũ est, passio Filij fuit passio Matris) faciunt, vt, etiamsi non hoc spectaremus, quòd illa ad patrocinandum præ omnibus Sanctis sit potentissima; peculiariter tamen pro mortis articulo eius opé præ cæteris imploremus. Sicut enim (*vt dicere solebat B. Aloysius*) si quam virtutem deprecatione alicuius Sãcti vis obtinere; ad eum recurrendum tibi est, qui in ea virtute maximè excelluit; vt, si humilitatem consequi cupias, eam petas à Sancto humillimo; si Zelum animarũ, à Zelosissimo; & sic de reliquis: ita pro mortis angoribus & difficultatibus superandis ad eam supplex adi, quæ maximos, præ omnibus alijs, angores & afflictiones in Filij morte sustinuit ac *superauit*. Insuper cùm eas superando, virtutum actus exercuerit excellentissimos, ijsque plurimũ meruerit; hæc præterea merita, & tu apud illam

allegare potes, & illa apud Filium vnà cum eius meritis, in quae illi & maternum quodammodo ius est, & dispensandi distribuendique facultas ab eo fuit collata, vt proinde ex vtroque capite patrocinium eius sit pro morte nostra efficacissimum.

§. 3.

Exemplis ostenditur, praestitum ab hac benignissima Matre moribundis auxilium; et primùm aegritudinis ac dolorum lenimen.

Haec sunt, quae cuique suadeant, pro hora mortis Matrem dolorosam patronam sibi optare ac legere. Sed non minorem *persuadendi* vim habet materna eius cura & *charitas* (quae sub cruce illi potissimùm commissa fuit) plurimis moribundis reipsà exhibita, adeoque exemplis testatissima, quorum ego aliqua pauca ex innumeris deligendo, & quasi delibando, afferam singulis, quae mortem circumstant, incommodis, initio enumeratis, singularem eius prouidentiam, opem charitatemque opponendo. Primum, in moribundis incommodum est ex dolore atque aegritudine, quae tunc se intendit, viresque (si tamen aegritudini vires esse possunt) maximè exerit, quandoquidem hominem ad extrema deduxit. O quam facile est huic Matri, languorem corporis aut tollere aut mitigare. Vnicum bolum panis cùm in os S. Alberti indidisset, tan-

tum

tum roboris ei vnà indidit, vt viginti annos sine vllo potu, duos & viginti sine vllo cibo transegerit; quantumuis cilicio à vertice ad calcem tectus esset, scamno, solóve somnum exciperet, cēties quotidie procumberet, Angelicâ salutatione Virginem colens, præter alia aspera, vt refert Surius & Lippel. Quid igitur opis præstabit filijs ægrotis, si talia præstat sanis? Solent enim Matres ægrotantes filios magis fouere. Vis, dicam, qualem se his exhibeat? Lacte Virgineo ex maternis vberibus infirmitates eorum subinde subleuat, dolores lenit.

Sancto certè Fulberto, Episcopo Carnotēsi, Deiparæ addictissimo, in cuius laudem librum conscripsit, basilicamque extruxit, encomia cecinit ægrotanti, & ad vltimam vitæ metam perducto benignissima hæc Mater adfuit, tanta cum charitatis dulcedine, vt etiam lacte Virgineo morborum æstum restingueret, & eadem, quæ olim Dei Filius puer vbera suxerat, ei quoque sugenda, præberet, teste Baronio to. 11. Anno 1028.

Similem ferè historiam refert Belluac. in Specu. lib. 7. c. 84. de Clerico quodam, cæteroquin vano; sed qui hanc haberet deuotionem, vt nunquam templum præteriret, quin Christo & Sanctissimâ eius Matre, salutatis, diceret: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Hunc morbus eò iam deduxerat, vt morti propinquus, Luc. xi.

 linguam,

linguam sibi, ac labia dentibus miserè laniaret. In hac calamitate Angelus eius custos supplex Virgini pro cliente factus, ita illam est affatus: Meminisset, quæ nunquam suorum non memor est, Mater benignissima, hæc esse illa labia, hanc illam linguam, qua miser homo in IESV & MARIA salutandis toties vsus fuisset. Satis fuit, Misericordiæ Matri id suggessisse. Itaque illico adfuit, & ex vberibus illis, quæ ille sæpe beata prędicauerat, expresso in eius os (ô charitas!) sacratissimo lacte, linguam, labia, totum denique hominem integræ sanitati restituit. Neque hoc contenta beneficio, maius longè adiecit, gratiam illi impetrando, vt, spreto mundo, Religioni se daret, cum dulci pietatis, & vitæ sanctioris sensu deinceps victurus, quem ex vberum illorum dulcedine traxisset. Deum immortalē! quanti tandem est, hanc sibi Matrem habere, vt eius teneri amatores Christi IESV collactanei fiant!

Alexandrum Bertium, vt habetur in eius vita, dum adhuc infans esset, dormientem floribus Beata Mater solita conspergere; febrientem aurâ floridâ recreabat; eidem morienti corollam per Angelos misit, qua Victorem coronarent. Huc quoque spectat memorabile illud, quod narrat Pelbartus lib. 12. Parochus aliquis ad quendam, vt diuitijs, ita vitijs & flagitijs onustum hominem, periculoso morbo decumbentem, euocatus, confestim aduolarat,

farat, & confessione eius audita (qualis hæc fuerit, & quàm accurata ac vera, euentus docebit) verbis solari pergebat. Interim accurrit alius, qui ad viduam quoque pauperculam iã pœne cum morte luctantem eundem Parochum, vt venire nè grauaretur, rogabat. Sed (quòd à quibusdam, prô dolor! aliquando fit, qui diuitias potiùs in hominibus, quàm animas considerant) abnuit ille. Iuit tamen eò eius Sacellanus, & ecce rem miram; videt Sanctam viduam super vile stramẽ humi decumbentem; Augustissimam verò Dei Matrem cũ splendido Virginum comitatu viduæ ministrantem, & sudorem mortualem sudariolo abstergentem. Quid magis maternum? quæ dignatio maior fingi potest? Sed & Sacerdoti, viduæ confitenti aures daturo sellam Cæli Regina obtulit, & allatum in Venerabili Sacramento Deum Filium Mater cum omni Virginum choro adorauit. Ita vidua, sumpto piè vltimo viatico, inter Deiparæ Sanctissima brachia expirauit. At non eadem sors diuitis illius, cuius potior à Parocho habita est ratio, fuit. Nam dum Sacellanus stupore ac lætitiã plenus, eius morientis domum repetit, plenã Dæmonibus cernit, felium speciem indutis; illum verò clamantem audit: Abigite cattos, abigite: misero mihi subuenite. Adfuit tandem infernus AEthiops, qui iniecto in os expirantis diuitis vnco ferreo, sceleratam animam ex infelici corpore extraxit, socijsq; dæmonibus

cruciandam dedit. Et quantum est discrimen inter mundi, vitiorumque, & Dei Matris clientes ac filios.

Verùm non ea solùm æstimanda est SS. Matris in suos benignitas, si corporis circa mortem dolores ægritudinesque leniat, abstergat, minuat; sed quæ non minor, imò haud paulò maior est, si ad eas sine vllo leuamento tolerãdas gratiã inuictamque patientiam impetret. Id enim & ad meritorũ cælestisque gloriæ incrementum, & ad viciniorem, magisq; expressam cũ Deipara, & Christo moriente similitudinem; præsertim si dolores nostros cũ illorũ doloribus vniamus, eisque & per eos offeramus, & ad cõtestandum nostrum in *vtrumq;* amorẽ facit. Vnde maximi eius cultores hoc maximè eligunt. Alphonsus Rodriquez Soc. IESV Coadiutor in summis doloribus, vt à B. Virgine & Christo doctus erat, exclamabat: *IESVS, MARIA, dulcissimi mei amores, patiar ego, moriar ego vestri amore.* de cuius beata morte hoc additur. Triduo ante illam ecstaticus iacuit, nil locutus, nisi aliquãdo intermortuis vocibus: *Ah IESV dulcissime! O MARIA Mater mea*: clausis oculis, vultu Angelico & rubenti. B. Felix Capuccinus in acerbissimo & diuturno cholicæ cruciatu nullum sibi remedium adhiberi postulabat; Virgini Matri adeò dilectus, vt suum ei Filium IESVM in manus & amplexus daret. Vide lib. 1. caput de Patientia. S. Lidvvina SS. Matri colendæ deditissima, ad cu-

ad cuius imaginem salutandam adhuc septē-nis itabat, ibique ei ardenter precanti illa arridebat, cū castitati à corporis venustate metueret; morbos petijt, qui formam tollerent ac deturparent: & à Christo, fauente etiā Deiparâ, impetrauit. Nam per triginta octo annos omnium ægritudinū ac dolorum facta est diuersorium; quos nō modò libenter tolerabat, sed eorum insuper augmentum exposcebat, vt post mortem ignibus nihil esset piandum. Quāquàm in hac etiam dolorum congerie eā sine spiritualibus solatijs esse materna Deiparæ viscera ferre non poterant. Itaque ægre cū Christo Filio assidebat, amoris sui & patientiæ symbola per Angelos, lectulum ambiētes, ostentante, quorum recordatione Lydvvina, quantumuis incredibiles cruciatus, facilè omnes redimebat. In agone verò inter suauissima cum Christo & eius Matre habita vltro citroque colloquia, Christus eius animā è corpore, velut è viuo cadauere eductam, in suos primùm amplexus accepit, deinde Matri exosculandam dedit, quam illa dulcissimo basio exceptam Angelo tutelari tradidit. Quid iam amplius maternum à Matre requiras, si in extremis tuis morbis, & ex vberibus lac, & auram floridam, & sudoris ac doloris vel abstersionem, vel lenimen, & solatia, & amplexus, & oscula habere possis?

§. 4.

Angustiarum leuamen.

Alterum caput, ex quo mortis agon terribilis est, sunt angustiæ, quæ totum tunc hominem peruadunt, atque occupant, ortæ, siue ex naturæ horrore, disiunctionem animæ à corpore vehementissimè reformidantis, eiq; obluctantis; siue ex rebus futuræ vitæ, horrorem incutientibus, fide Christianâ apprehensis. Huic quoque malo leuamen simili ratione adfert clementissima Mater. Nam vel robur impetrat, quo naturæ angores constanter ac fortiter sufferantur, vnitæ eius angustijs, cruci adstantis, Christique morientis. Ita S. Carolus Borromæus, pro felici è vita migratione, quotidie Filium per Matrem precatus, tria, vt sibi concederentur, rogauit. Primò. Lacrymosus aspectus, & dolorosum suspiriũ Christi morientis. Secundò. Vnum ex dolorosis suspirijs & lacrymosis aspectibus & gemitibus cordis MARIAE sub cruce Filij stantis. Tertiò. Vt in Angelo Dei sibi Virgo succurreret in eo mortis articulo, quando cor eius rumpendum & anima à corpore separanda erat. Et factus est votorũ compos. Vel certe mœrorem in lætitiam, angores vertit in iucunditatem. Huc spectant innumera exempla eorũ, quibus morientibus cùm adesset Virgo, non modò sine aliqua animi perturbatione, aut

naturæ violentia; sed cum ingenti etiam tripudio & gaudio mortui sunt. S. Opportunam Virginum Abbatissam, vt memorat Surius 22. April. ægrotantem inuiserunt Sanctæ Cæcilia & Lucia, quibus illa salutatis dixit: *Quid præcipit ancilla sua gloriosa Virgo MARIA, cælestis Regina & omnium Virginum Domina?* Cui illæ: *Vt eas obuiam Sponso & Sponsæ*; dumque cum Clero & Monialibus psalmos decantaret; respiciens ad ostium, dixit cantantibus: *Ecce aduenit Domina mea Beata Virgo MARIA, cui vos commendo, quos in hoc sæculo ampliùs non videbo.* Et cùm extenderet brachia, quasi Matrem Dei vellet amplexari, sancta eius anima carne soluta est. Quid hîc angoris esse potuit, vbi cantica, materni amplexus, iubila erant? Plurima alia exempla prætereo, quorum pleni passim sunt libri. Quodsi de alta illa anxietate loquamur, quæ ex imminente extremo iudicio, æternæque salutis incertitudine nascitur; huic vel maximè occurrit, prouidetque dulcissima Mater; vt meritò diceret P. Ioannes Gerardinus è Societate IESV, anno 1606. moriens, & ita Sanctissimam Virginem compellans: *O MARIA, tribularer nimium, si nescirem tuum patrocinium.* Ita Bourghesius in Societate Beatæ Virgini sacra. Ex eadem Societate P. Ioannes à Campis Deiparæ inprimis studiosus, sub mortem ad quendam conuersus: *O si nosses,* inquit, *mi Pater, quantum in morte afferat animo solatium, Deiparam sin-*

gula-

gulari studio coluisse vt dictum est praxi 3. Adulpho, qui Principatum Alsatiæ in D. Francisci paupertatem atque ordinem commutauerat, in hora mortis trepidanti Angelis stipata Virgo apparens: *Quid times*, inquit, *fili? aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus, quoniam Filius meus, cui fideliter seruiuisti, dabit tibi coronam gloriæ.* Ita refert Platus. Accipe aliud ex spec. dist. 7. num. 56. Quidam ex S. Dominici familia religiosissimus concionator conciones suas omnes narratione aliqua de B. Virgine claudere solebat. Hic, morte imminente, amaris lacrymis mersus, nullum admittere posse solatium videbatur. Sed non deseruit suum encomiasten Virgo. Itaque ei se visendam præbens, omnem mœrorem momento abstersit, & in torrentem suauissimæ voluptatis commutauit, dulcissima cum illo miscens colloquia, vt, qui antè angore penitùs obrutus erat, modò exundantem pectore lætitiam capere non valens, in voces erumperet, quibus nunc Dominam salutabat, nunc ad confidendum inuitabat, nunc spiritu ac voce psallebat ac iubilabat; hac denique cantui adiectâ coronide: *Congaudent Angelorum chori gloriosæ Virgini:* & cùm diceret: *Omnis spiritus laudet Dominum*; suum quoque spiritum, cælestium spirituum, Deum laudantium, choro moriens addidit. Non dissimile huic est aliud ex Io. Her. de B. Virgine cap. 89. Ex S. Augustini Religiosis

giosis Canonicis quidam, cùm prope vltimam illam lineam rerum, Iudicem, cui mox sistendus erat, vehementer formidaret; Virginem item vultu serenissimo sibi habuit conspicuam, quæ sic eum est allocuta: *Confide, fili, tu mihi toties & tanto affectu, Salue Regina, decantasti, faciam, quod illic petebas quotidianis & assiduis precibus; &, vbi te ex hac lacrymarum valle eduxero, aduocata tua ero, & IESVM benedictum fructum ventris mei tibi (nullas Purgatorij flammas passo) post hoc exilium ostendam.* Sed illud est eximium, quod commemorat Surius 15. Aug. de S. Arnulpho Suessionẽsi Antistite, ad quem moribundum Diua Virgo primùm præmisit S. Petrum, Apostolorum Principem, qui ei significaret, peccata esse remissa, & cælum patêre. Comes aderat ingens Beatorum cætus, suaue modulantium. Misit deinde S. Michaëlem cum multa Angelorum caterua, qui se Ducem ad beatas cæli sedes fore spondebat. Demum ipsa cæli Regina cum Virginum choro aduenit, quæ eodem ipso die, quo ipsa cælo recepta fuit, recipiendum quoque Arnulphum nunciabat.

§. 5.

Aduersùs Dæmonum insultus munimen ac tutela.

Tertiũ, q̃ moribundis & periculũ ingẽs creat & mo-

& molestiam, sunt tentationes & acerrimæ oppugnationes insultusque Dæmonum. Hîc verò potissimùm beneficam se auxiliatricem suis præbet Dei Mater, *velut castrorum acies* Cant. 6. *ordinata* Dæmonibus *terribilis*. In lib. 7. reuelat. c. 13 narrat ipsa S. Brigittæ de eius filio Carolo, his verbis: *Ego, inquit, steti prope filium tuum Carolum paulò antè, quàm emisit spiritum, nè aliquid Deo contrarium cogitaret: ego iuui illum in exitu animæ, nè tam duram pœnam in morte sustineret: ego custodiui animam eius à Dæmonibus, nè animam ipsius tangere possent, & statim egressam ex corpore accepi eam in meam custodiam & defensionem. quo facto tota turba Dæmonum euanuit.* In ijsdem reuelationibus narratur de anima quadam, cuius iam sibi Dæmones possessionem vendicabant, per impetratam contritionem ex eorum rabie à Diua Virgine erepta. Huc spectare possunt aliæ quoque historiæ, in quibus refertur, quod SS. Mater suos clientes, nè in Dæmonum potestatem venirent, mori, etiam miraculo, non permiserit, priusquam peccatorũ veniam confessione obtinerent, qualis fuit ille, à multis passim decantatus, cuius meminit Antonius Bonfinius lib. 3. rerum Hungaricarũ, decade 3. Anno Domini 1415. qui post pugnam contra Turcas & Valachos in Hungaria commissam in solo capite, à reliquo corpore resecto, inter cæsorum cadauera atque ossa per biennium vixit, & demum post tanti tẽporis moram,

moram, cùm fortè præsentes aliqui adessent, Confessarium inclamauit, à quo Virginis ope, quæ eum seruarat, absolutionem accepit. Simile quid recenset Pelbartus lib.12. p.2.a.1. de alio, cui abscissum à trunco caput, Confessionem, Confessionem inclamabat, & adducto Sacerdote, adstantibus: *Iam*, aiebat, *resecto prorsus capite, aderant Dæmones, qui migrantem animam meam secum ablaturi erant; sed Virgo Mater mori me non permisit priùs, quàm Sacramento pœnitentiæ anteactæ vitæ scelera expiem.* Expiauit; & confestim feliciter expirauit. Idem Pelbartus eodem loco commemorat aliud, quod ab ocul[illegible] fide dignis se audiuisse affirmat, de q[illegible], qui in silua à transeunte cum Sigismundo Imperatore exercitu eiulare auditus, & inter vepres repertus, iam cadauer putridum ac tabidum, per cuius membra iunci, ac spinæ excrescebant; quippe qui ante aliquot annos bello ceciderit. Hic quoque Sacerdotem postulabat, ad cuius aduentum se in viuis à B. Virgine seruari asserebat, eoque accersito, exomologesin simul & vitam absoluit.

Quin etiam vitæ aliquando restituit suos clientes Virgo, nè Dæmonum præda fierent. Refert Surius to.6. in Vita S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis lib. 1. c.35. quòd, cùm hic Sanctus Anno 1070. brachium S. Cæsarij Martyris Româ Coloniam attulisset, hanc in habita de illo concione historiam narrarit:

Fuisse

Fuisse Romæ Andream quendam, qui in vita flagitiosa hoc saltē pietatis habuerit, vt S. Cæsarij aræ frequens accideret, & eius sacris lipsanis sæpe cereum accenderet. Hic ita repētè extinctus est, vt nullum pænitendi spatium haberet; iamque à Dæmonibus diuino tribunali sistebatur, vtique condemnandus, nisi S. Cæsarius ad pedes B. Virginis prostratus, eius opem implorasset impetrassetque. Nam hæc, S. Cæsario, alijsque Martyribus atque Apostolis assumptis, Filium Iudicem adijt, effecitque, vt Andreas vitæ postliminiò restitueretur. Mediâ ergo nocte sarcophago egressus, rem, quæ sibi conti[illegible]t, enarrauit. Sed quid opus est multis com[illegible] Patrocinium B. Virginis in suorum agone contra Dæmones, cùm ei, vel ut Reginæ Angelorum, cælestes illi spiritus pareant, quibus administris in suorum defensionem quoque vtitur. Affirmat hoc S. Bonauentura lib. 3. Spec. vbi sic ait: *Michaël Dux & Princeps militiæ cælestis tuis, Virgo, paret præceptis, in defendendis in corpore & suscipiendis de corpore animabus Fidelium, specialiter tibi, Domina, & die, & nocte se commendantium.* Hi igitur cum Dracone pugnantes ad victoriam iuuant. Anno 1598. vt est in Annuis Societatis IESV, quidam Deiparæ Sodalis Pizuntinus moriens, post IESVM & MARIAM inuocatos, crucē manu vibrabat, inclamatáque ter, *Victoria, victoria, victoriæ*; Angelos præeuntes aiebat se aspicere; quos & comitatus est.

§. 6.

§. 6.

Et aduersus spectra præsidium.

Eandem opem, vel per se, vel per Angelos ab se missos, præstat morientibus Deipara contra infernales laruas & spectra tunc apparētia. E multis exemplis hæc accipe. P. Emmanuel Fernandus, egregiæ vir pietatis ex Societate IESV, prope obitum monuit quēdam, vt signum crucis circa locum, quem designabat, efformaret: illîc ostentare se voluisse, aiebat, Cacodæmonem; sed à Deipara repulsum. Tū quoad poterat elatis intermortuis vocib⁹: *Ah! Sanctissima Domina, Sāctissima Domina. Video,* (inquit ad Socios) *Sacratissimā Dei Matrē diuina pulchritudine admirabilem: Sinite me abeuntem sequi. Et secutus mox est.* Verùm haud paulò admirabili⁹ narratur in spec. dist. 9. c. 22. Religiosus quidam, in extremis positus, repēte (haud dubiè ex perturbatione non satis mentis compos) exclamauit: *Maledicta hora, qua Religiosus factus fui.* At serenatus pòst paulò, subiecit: *Imò benedicta hora, qua intraui Ordinem; & benedicta Mater Christi, quā semper dilexi!* Tum rem omnem lecto adstātibus exponens, aiebat, Dæmones ad se rapiendū aduenisse, vsq; eò formâ & visu horridos, vt ab ea hora, qua hæc agebantur, ad extremū vsq; mundi diem ac terminū, diceret, malle se per ignem, ære & sulphure colliquatum transire, quàm

quàm illos iterum aspicere. Ac tandem Dei Matrem sibi adfuisse, addidit, quæ, fugatis Dæmonibus, plenum se solatio reliquisset. Neque hæc, quæ dicta de spectris illis sunt, incredibilia videantur. Scimus enim, quosdam etiam nostra ætate, quibus Dæmon, aut damnatus aliquis apparuit, in mentis insaniam ex rei horribilitate incidisse, in eaque vel per aliquot annos perseuerasse, vel post paucos dies obijsse.

§. 7.

Beata mors eorum, qui peculiariter SS. Matrem vt dolorosam coluerunt.

Et hæc quidem exempla, quæ pauca ex multis hucusque commemorauimus, ostendunt, quàm pium & maternum affectum atque opem Mater illa nostra benignissima, sub cruce Filij constituta, morientibus, sibi deuotis, exhibeat: commemorabo nunc aureæ coronidis loco felicissimam mortem eorum, qui eius doloribus religiosè colendis totos se, ipsa authore atque hortatrice, peculiariter addixerunt. Sunt hi septem illi viri, qui, vt praxi quarta dixi, Ordini Seruitarum, siue Seruorũ B. Virginis originem dederunt. Ex quibus B. Bonfilius, reliquorum veluti pater, hac beata periodo vitam, Dolorosæ Matris cultui dedicatam, conclusit. Post decantatas mediâ nocte Laudes, vox ad eum cælo lapsa est: *Bonfili, ideo quod*

quod audisti vocem Filij mei, & amore eius reliquisti omnia; centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Hac auditâ voce, repentè mortuus est. Et ecce mox alia cælo vox intonat: *Adeste Sancti omnes, procedite obuiam glorioso spiritus honoris causa, stipate eum, qui mihi tam fideliter seruiuit tempore peregrinationis suæ mortalis. Vosq;* (versa ad socios in viuis relictos) *serui mei amantissimi, sumite, quas vobis reliquit, exuuias, &, quo decet, honore terræ committite.* En fortunatum B. Bonfilij exitum (cuius deinde corpus suauem odorē spirauit, & venustâ specie fuit, cælestis beatitudinis indice) en socios eius, Matris dolorosæ cultores ab ea sibi amantissimos appellatos. Septimo post anno secutus Bonfilium est primogenitus eius filius Amatus, sorte non dispari; quippe gratissimo quoque post obitū odore relicto, & luce, quæ cubiculo, in quo moriens iacebat, egressa, paulatim nubibus se immiscuit. Tertius item B Boniunta non minùs mirabiliter ac feliciter obijt. Is post peractum SS. Missæ Sacrificium, ita vt erat Sacris vestibus indutus, omnibus ad se conuocatis socijs, quorum erat Generalis, cùm quædam commendasset, & de instante sibi morte prædixisset, exorsus de Christi passione ingenti cum animi sensu loqui, cùm ad crucifixionem peruenisset, extensis inflammatiore affectu in crucem brachijs, spiritum Deo ac B. Virgini reddidit. Post hunc B. Manetus magno quoq;

cum solatio mortuus est Anno 1286. Quintus fuit B. Alexis, cui, post expletos centum & decem annos, quorum septuaginta in Religione Matris dolorosæ seruitio impenderat, morienti Christus visibili infantis specie coronam imposuit; Angeli candidissimarum auium formâ, alarum plausu & cælesti musica accinuerunt. Hæc sociorum fata cùm inter se commemorarent B. Sosthenes, & Vguccio, rogarentque Dominum, similem vt exitum sortirentur, vocem audierunt: *Heus, heus, viri Dei, cessent querelæ; cito enim finientur labores vestri, & participes eritis quietis sociorum vestrorum.* Domum reuersi, ambo exiguâ febriculâ correpti, paulò pòst suauissimâ morte defunguntur, anno 1271. In ipso mortis momento vidit B. Philippus, eiusdem Ordinis, duo candidissima lilia iam iam à radice recisa B. Virgini offerri. Nimirum rectè dici poterant *lilia inter spinas*, quæ inter dolores Virgineos mœstissimæ Matris singulari cum pietate velut inter spinas versabantur. Porrò memoratus B. Philippus licèt ex horum primorum septem numero non fuerit; nomen tamen Fundatoris Seruitarum, siue Seruorum B. Virginis passim obtinuit, cuius obitus longè fuit admirabilissimus. Nam, cùm ex Beatissima Matre intellexisset, se in eius festo Assumptionis moriturum (vt scilicet qui in vita dolorum Virginis memoriâ & pietate fuisset particeps, Assumptionis quoque ad gloriam in morte parti-

Cant. 2.

participes fieret, &, qui *compassus fuerat, conglorificaretur*) eamque velle, vt Tuderti suum relinqueret corpus, eò iuit. Aduenienti effusa est eum ramis tota ciuitas; quem tamen ille honorem, mutato itinere, declinauit. Pridie Assumptionis populum vbere cum fletu est allocutus, ac si mortalium omnium maximus peccator foret. Ipso verò festo, cùm, sumpto SS. Eucharistiæ viatico, se ad abitum ex hac vita comparasset, vox allapsa est; *Euge serue bone & fidelis, quoniam super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Quibus auditis, expirauit. En qualem se gerit Mater Sanctissima in mortis articulo erga eos, qui ei dolorosæ, & morti Filij adstanti, deuoti sunt.

Rom. 8.

Matt. 25.

§. 8.

Dictorum Epilogus.

Ex his iam statue, quanto studio in hac tāta, eaque vltima necessitate eius tibi patrocinium procurare omnibus obsequijs debeas. Multi multa, & meritò, adhibent pietatis media, quibus horam illam securam sibi, quoad fieri potest, præstent. S. Angelum Custodem & ex Cælitibus hunc, vel illum Sanctum Patronum optant atque eligunt, vel ex eis complures, v.g. eos quotidie inuocant, & veneratione aliqua prosequuntur, quorum festa memoria agitur, & eo die, quo ipsi morituri sunt,

 & pri-

& pridie eius diei, aut etiam eo mense toto. Rectè illi quidem. Verùm vnicum Dei Matris pro nobis apud Filium suspirium ac deprecatio, plùs potest, quàm omnium simul Sanctorum. Itaq; si illud fit, hoc certè, quin procuretur, omitti non debet. Plerique proinde etiam ad Deiparam confugiunt, ieiunia, aliasq; mortificationes ad hunc finem suscipiunt, Sodalitatem instituunt, aut ineunt, pro felici morte Litanias Lauretanas communi consensu, aliaque multa orant, &c. salubri sanè ac præclaro consilio atque inuento. Quin etiam ipsa Virgo benedicta S. Mechtildem modum quendā docuit, ter Salutationem Angelicā quotidie recitandi, promisitque, si illum obseruaret, se ei in hora mortis affuturam. Modus hic est. Post primum AVE MARIA, attentè deuoteque dictum, subiungenda est ista oratio: *O Domina mea Sancta MARIA, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit; ita mihi, quæso, adsis in hora mortis, expellendo à me omnem contrariam potestatem.* Post secundum AVE MARIA, adde: *O Domina mea, Sancta MARIA, sicut Filius Dei tanta te cognitione & claritate dignatus est, vt totum cælum illumines; ita in hora mortis animam meam cognitione Fidei sic illustres & corrobores, vt nullo errore, aut ignorantia peruertatur.* Post tertiū AVE MARIA; *O Domina mea, Sancta MARIA, sicut Spiritus Sanctus suum amorem plenè tibi infudit; ita tu in morte dulcedinem amoris*
Diuini

Diuini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo reddatur mihi suauissima. Hæc omnia, aliaque similia ego vehementer probo ac laudo. Cæterùm haud facilè crediderim; aliquid posse esse efficacius, quàm suppositâ bonâ vitâ (hæc enim ad bonam mortem prærequiritur) Magnæ Matri vt dolorosæ, siue eius doloribus singulariter esse deuotum, ob rationes §.2. allatas. Quibus autē modis hæc deuotio exercenda sit, id sumi debet ex praxibus, & hactenus explicatis & deinceps explicandis, inter quas non postremum locum habere debet Horologium passionis, de quo agemus infrà. Porrò dubitandum non est, cultum aliquem, ac venerationem Diuæ Virgini exhiberi, quādo eam pro hora mortis vt specialem Patronam deligimus, inuocamus, obsequijs demeremur; sicut honoratur, cùm in alijs necessitatibus fidenter, vt Mater, à nobis inuocatur, vt præcedenti praxi § 2. dictum est; præsertim cū hæc necessitas sit grauissima. Deinde cùm ex felici morte felix pendeat æternitas, in qua perpetim Dei Matrem cum Filio veneraturi, amaturiq́ue sumus; qui felicem mortem exposcit & quærit; æternam Dei Matris, Filijq́ue eius venerationem atque amorem expetit; quem illa nobis per suos sub cruce, & IESV CHRISTI Filij dolores impetrare dignetur. Amen.

PRAXIS VII.

Animas Purgatorij iuuare, & alijs miseris atque ærumnosis in honorem Matris dolorosæ succurrere.

§. 1.

Causa, cur vehementer placeat Matri dolorosæ, & ad eius honorem sit, si à nobis animæ Purgatorij iuuentur.

SI Virginem dolorosam, tanquam Matrem, in nostris necessitatibus, & præsertim pro articulo mortis, inuocare, est illam honorare ac colere; multò profectò magis ad eius honorem & cultum pertinebit, defunctos, qui purgantibus flammis cruciantur, omni studio iuuare, & pro iuuandis illis, eius auxilium patrociniumque implorare: non ideo solú, quòd hæc nostra filialis, vt ad Matrem, fiducia & recursus illi placeat, eumque sibi honorificum ducat; sed multas etiam alias ob causas.

Prima causa. Nam primò, cùm hoc habeat Deipara commune cum Deo, & peculiariter ab eo participatum, vt, sicut hic vocatur Pater misericordiarū; ita illa Mater misericordiæ; & quidem talis Mater, quæ in summis suis miserijs & angore doloreque acutissimo, qui velut gladius animam ipsius pertransibat, & quaquauersum permeabat, Matris nomen & officium

ciũ accepit, vt se quodámodo neglecta, posthabitisque suis ærumnis, in filiorum miserias materna misericordiæ suæ viscera expromeret; non potest non illi esse gratissima misericordia, si à nobis exerceatur. Itaque, sicut dictum est nobis: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est*; sic enim *Patri misericordiarum*, qui veram misericordiam, vbicunque videt, amat, valde placebitis. ita congruenter etiam dici potest: si genuini Filij Matris vestræ vultis esse, estote misericordes, sicut illa Misericordiæ Mater misericors est, illi quoque per hoc summopere placituri. Iam verò, cui, oro, magis potest impendi misericordia, quàm qui incendio ac flammis inuolutus, opem, vt eripiatur, inclamat: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*; & quidem in talibus, tamque vrentibus flammis ac doloribus, vt ex SS. Patrum & Theologorum sententia, & ex reuelationibus habitis, omnes huius mundi pœnæ morborum, suppliciorum, Martyriorum, quas vidimus, audiuim⁹, imaginari possumus, simul sumptæ sint respectu illarum velut vmbra, & quasi solatia. In spec. exempl. dist. 6. c. 101. narratur puer nouennis post mortem, suæ Matri apparuisse, dixisseque, se eos ignis ardores in Purgatorio pati, quos æquare non posset ardor, à carbonib⁹, per multa annorũ millia comportatis, proueniens. Et tamen & puer hic fuerat, & admodum probis moribus, & cau-

Luc. 6.
2. Cor. 1.
Iob. 19.

& causa, ob quam patiebatur, sola negligentia in re non magna. Quantus igitur est aliorum cruciatus? Huic ergo tantæ miseriæ an non impendenda misericordia est? & si impendatur, an nō placebit Matri misericordiæ?

§. 2.

Secunda Causa.

Secundo. Non id solum cogitandum est, quòd miseris qualibuscunque præstetur misericordia, cùm defunctis, in Purgatorio existentibus præstatur; sed quòd præstetur filijs ei charissimis, quorum sub cruce in acerbissimis doloribus Mater *facta est*. Quare quod illis charitatis exhibetur, hoc illa ad se pertinere existimat, ratumque ac gratum habet, quasi illi gratificati fuissemus: &, quemadmodum Christus dixit: *Quod vni ex minimis meis* (nempe fratribus) *fecistis, mihi fecistis*; sic illa dicet: Quod vni ex minimis meis filijs fecistis, mihi fecistis: quippe quos tenerrimè, Matrum instar, diligo, quæ filios suos pro se, aut aliqua sui parte habent; & materno sinu complector. Ad quod confirmandum confert id, quod Ferdinandus de Castiglio in 1. p. hist: Dominic: lib. 2. c. 14. scribit de Robaldo, eius Ordinis Sacerdote, cui Sacrificium Missæ pro quodam eiusdem familiæ defuncto offerenti B. Mater, animam illius defuncti in vlnis gestans, apparuit, dixitque: *Vides amicum, pro quo Sacrificium offers? Hoc finito, Priorem adi, & quæ vidisti, refer.* Sed cùm Robaldus id negli-

Matt. 10.

negligeret, postero die iterum Sacrificans, iterum idem vt faciat, monetur; sed frustra. Nam ille tacere perstitit. Tertio demum die præsenti vnà S. Dominico questa est Virgo de Robaldi inobedientia, qui eum increpitum parêre monitis Cæli Reginæ iussit, sicque materna benignitas pijssimæ Matris in defunctos est patefacta. Tam igitur charos B. Virginis filios, in tanta necessitate constitutos iuuare, poteſtne non illi eſſe acceptiſsimum? *Quicunque*, inquit Christus Matth. 10. *potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Adeò gratanter acceptat Christus rem tam exiguam vel in nomine discipuli, & suis etiam minimis præstitam, vt mercedem polliceatur. Nonne igitur & Mater, quæ Filij clementiam, benignitatemque æmulatur, gratanter acceptabit, si non in nomine duntaxat cuiuspiam discipuli, sed ad eius honorem atque amorem, quæ DEI Mater est, non quomodocunque calix aquæ frigidæ sitientibus detur; sed, si acerrimi ignes, & non imaginabiles à nobis dolores, per nos operibus pijs ac satisfactorijs, velut superfusâ aquâ, extinguantur, & rore cælesti animæ illæ reficiantur, si in intolerabili & ardentissima siti, quam habent, videndi DEVM, *in terra inuia, & inaquosa*, non frigida illis porrigatur; sed *ad perennis vitæ fontem* deducantur, *vt veniant, & appareant ante* Ps. 62. Ps. 41. Ps. 16.
 faciem

faciem Dei, eâdem cum illo beatitate frui*tur*i, *& satiandi, cùm apparuerit gloria eius*. Et id tantum beneficium non minimis duntaxat confertur; sed æternùm DEI, & Matris eius amicis immutabiliter futuris; imò filijs, ad æternam cæli gloriam electis ac prædestinatis; non vt in hoc mundo peccatorum sorde fœdatis; sed ab omni culpa liberis.

Imò sunt in ijs quidam non modò non minimi, sed magnæ & eximiæ perfectionis, adeoque DEO, & SS. Matri pro alijs eximiè dilecti. Nam tales quoque multos igne illo purgari, ob exiguos defectus, constat. Et de Paschasio, viro tantæ sanctitatis, vt etiam tum ad eius defuncti corpus miracula fierent, *refert* S. Gregorius lib. 4. Dial. c. 40. miraturque, ob rem, in qua non ex malitia peccauit, sed ignorantiâ leuiter culpabili, & sibi insuper persuadens, se in ea re vtilitati Ecclesiæ consulere, post septimanas aliquot à morte visus sit à S. Germano in flammis. Idem de S. Seuerino; idem de Vitaliana magnæ sanctitatis Virgine memorant historiæ. Hæc omnia qui perpenderit, facilè apud se concludet, defunctis opem ferre, esse opus, & DEO & B. Virgini gratissimum.

Adde, quòd ea charitas, tam dilectis B. Virgini animabus exhibita, non ex eo solùm spectanda est, quòd ingens & acerbissimum pœnæ malum tollat; sed etiam sæpe longum & diuturnum. Venerabilis Beda lib. 5. hist. c. 13. affir-

affirmat, deuotæ cuidam personæ fuisse ostensam atrocitatem cruciatuum purgatorij; & præterea reuelatum, aliquas animas passuras fuisse, vsque ad diem Iudicij, nisi à viuis per suffragia fuissent adiutæ. Baronius to. 10. anno 874. habet, Ludouicum 2. Imperatorem defunctum â Ludouico filio, cum adiuratione in nomine IESV Christi Domini nostri petijsse liberari â tormentis Purgatorij, vt demum vel post triginta annos, in eo carcere consumptos, ad vitam æternam transire posset. Sed eum ille, indictis per Monasteria precibus ac Sacrificijs, citiùs eripuit. Quindecim anni Purgatorij cuidam Religioso, non vulgaris probitatis, exempliquę viro, vt refertur in Vitis Fratrum Prædic. par. 5. c. 4. assignati erant; sed, cùm is, cui apparuerat, pro eo Missæ Sacrificium ingenti cum animi ardore, multisque lacrymis obtulisset, aliaque iræ cælestis placamenta adiecisset; sub noctem defunctus iterum apparens, pro liberatione gratias egit, affirmans, quindecim annorum pœnam eius feruidâ pietate sibi esse remissam.

Verum non omnibus id contingit, vt eis vnius alicuius viui, tametsi Sancti viri, suffragiorum dies pro tot Purgatorij annis sufficiat. Nam in vita S. Thomæ Aquinatis apud Surium leges, sororem defunctam ei Neapoli apparuisse, eiusque, & omnium, qui in Monasterio erant, preces Sacrificiaque postulasse.

Ante omnes ea feruenter persoluebat S. Tho. quippe quem ad id conspecta in sorore doloris immanitas stimulabat, perseuerabatque continenter in ea charitate: cæterùm serò, & non nisi post aliquot annos exoptatum & integrum suæ pietatis fructum tulit, quando Romæ se iterum ei soror glorioso lumine circumdata conspicuam dedit, gratias DEI voluntate agens pro suffragijs, sibi ab eo impensis, quibus adiutam se esse, nuntiabat, seq; nũc in cælum ire. Mira enimuero res, virum tam sanctum, tanto adhibito studio, tam longo tẽpore ad vnius animæ liberationem opus habuisse. Sed & illud aduerte, post tanti temporis moram, in tormentis exactam, cum tanto nihilominus gratitudinis affectu animam, flammis ereptam, egisse gratias: idq; DEI voluntate atq; imperio; vt intelligas, non modò, si mox eripiantur, sed etiam, si supplicij longior futura diuturnitas decurtetur, id eam grandis beneficij loco ducere præstantisq; charitatis. Imò si vel vnam horam, aut quadrantẽ cruciamẽtis illis demas, plus dem pstiti, quàm si vitæ huius ærumnis omnibus obnoxium simul vniuersis exemisses. Quodsi tanti est, in hac vita vel paruo tẽpore esurientem pascere, sitientem potare, vestire nudum, captiuum in carcere aut inuisere, aut redimere, solari ęgrotum, tantoq; id Christus in pretio habet; quæ tamen miseriæ, si Purgatorijs ignibus cõparentur, ne nomen quidem miseriarum, aut necess-

necessitatum merentur, & sæpe ab improbis, certè ab inquinatis, aliquo saltem veniali peccato, per quod DEO, Deiq; Matri displicent, tolerantur: si, inquam, his succurrere, res magna censetur, & cælo digna; quid erit, omni culpâ vacuis, nũquam in eam lapsuris, magnâ præditis sanctitate, semper in ea permansuris, dolorosæ sub cruce Matris dilectissimis filijs, in extremis angustijs, cruciatibusq; longissimo sæpe tẽpore positis, subuenire? quiq; cùm Matris dolorosæ filij sint, nostri consequenter sunt fratres; quippe qui eâdem cum illis Matre gaudemus ac gloriamur, vt ex hoc quoq; titulo Matrem nostram exhilaremus, si curam in illos nostram charitatémque quàm latissimè amplissimeq; extendamus. Solet enim iucundum esse Matribus, si suos filios, & inter se fratres, fraternam sibi opem atque amorem præstare videant.

§. 3.

Tertia Causa.

Tertiò. Præterea, si huic peculiari misericordiæ generi iuuandorum defunctorũ dediti fuerimus, suum illa in nobis spiritũ, & velut indole à Matre haustam, sua vitæ studia, imitatione expressa, cum gaudio agnosces, vtpote quæ in eodem pietatis genere singulariter excelluit ab ipso viuendi exordio. Putant enim nonnulli, primo statim Conceptionis suæ momento Beatissimam Virginem, quemadmodũ pro alijs, ita & pro animabus Purgatorij oras-

se, easq; tunc cum solatio sensisse atq; intellexisse, illam esse cóceptam; verum quippe fuit
Iob. 31. de Virgine illud Iobi. *Ab infantia creuit in me miseratio, & in vtero concepta est mecum*; & iam tum ipsa cognouerat, se in Matrem misericordiæ electam esse, adeoq; omnibus, tum viuis, tum defunctis, qui eius capaces essent, esse à se impendendam. Nec dubium est, quin & reliquo vitæ tempore, & præsertim sub Cruce Filij in maximis suis angustijs & doloribus earum memor fuerit, & plurimas liberarit. Núc quoq; cæli terræq;, & rerum creatarum omnium hera ac Domina, cuius & potestas & misericordia in omnes, quantum æquitas & decentia permittit, se extendit, & potentissima apud DEVM aduocata, eiusque meritorum dispensatrix, atq; omnium Fideliũ Mater, animas illas in carcere, & pœnis constitutas sæpe vel liberat, vel subleuat. Vnde S. Brigittæ lib. 4. reuelat: c. 138. sic ait: *Sum etiam Mater omniũ, qui sunt in Purgatorio; quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis suis, in qualibet hora, propter preces meas, quodammodo mitigantur, & aliquæ ex his pœnis, quæ debentur eis ex rigore diuinæ iustitiæ, minuuntur.* Et li. 6. *Nulla*, inquit, *est pœna in Purgatorio, quæ propter me non remissior erit, & lenior ad ferendum, quàm aliter esset.* Et ibidem c. 21. quædam anima per Beatam Virginem purgantibus flammis eximitur, quòd in eius honorem horas quotidie legerit; pro

qua

qua cùm multa offerrent amici, parum profecerunt. Totum enim eius liberatæ beneficiũ Deiparæ tribuitur. Dionysius Carthusianus serm. 2. de Assumptione refert, ex Purgatorio quendam amico suo apparuisse, affirmasseque, solere Beatam Virginem nocte Natiuitatis Purgatorium ingredi, multasque animas liberare, in memoriam partûs Virginei; item in Resurrectione, in memoriam descensus Filij ad Inferos. Sanctus item Petrus Damianus epist. vlt. lib. 3. narrat, apparuisse, anno 1072. nocte, festum Beatæ Virginis Assumptionis præcedente, amicæ suę defunctam quandam, dixisseque, illâ ipsâ nocte plures è Purgatorio per Beatam Virginem animas liberatas, quàm sint Romæ hominum capita. Cui cùm illa credere tardaret: *In signum veritatis*, inquit, *hac ipsâ die, vertente anno, morieris*. Idq; ita euenit. Quo loco venit mihi in mentem, probabiliter coniectare, hanc tot animarum liberationem in memoriam suorum sub cruce Filij dolorũ DEI Matrem procurasse atq; effecisse. Sicut enim ante Christi resurrectionem eius dolorum memoria ab Ecclesia colitur: ita ante Virginis quoq; à mortuis resurrectionem, siue in cælos Assumptionem dolorum eius apud superos solennem memoriam agi par est credere, & à nobis eo die coli ęquũ esset. Videtur ergo Virgo Sanctissima tunc, suarum afflictionum gladijq; doloris memor, oculos in benedictas illas animas, aspera, atrociáq;

ciáq; patientes conijcere, & suorum dolorū merita in eas partiri, quorum beneficio & omnium cruciatus mitigantur, & multarum etiam penitùs tollūtur: vt, sicut DEI Mater post vitæ huius dolores in cælum assumpta est, ita hæ quoque nocte illâ eodem assumptæ, festiuam proximâ luce diem, post exantlatas purgatorij pœnas, cum illa agant. Quod si ita est, ad nostrum argumentum apprime facit, & occasionē nobis præbet, impensiùs maioreq; cum fiducia ac spe per dolorosæ Matris opem patrociniúmq; animas illas nostris precibus iuuandi. Et sanè tantum illa in hoc genere & vult & potest, vt Sancti ipsi in cælo ad eam confugiant pro suorum clientum liberatione. Thomas Cantiprat. li. 2. apum, c. 53. §. 12. Noui, ait, Canonicum nostri Ordinis, D. Ioanni Euāgelistæ valde deuotum. Post huius obitum vidit alius eiusdem Ordinis S. Ioannē ad B. Virginem accedentem, & præmissâ debitâ reuerentiâ, dicentem: *Domina, anima amici nostri sustinet grauia in Purgatorio tormenta. Eamus, obsecro, & eam liberemus.* Exaudiuit preces pientissimæ Misericordiæ Mater, & vnà cum D. Ioanne descendens, prædictam animam, è flammis ereptam in cælum deduxit. Sciebat nempè S. Ioannes, qui eius doloribus præsens sub cruce interfuerat, & in ijs Matrē nostram factā esse, suis ipse auribus audierat, quantum in illis ad iuuandas Purgatorij animas esset præsidij, & quàm prompta esset, ad sub-

subleuandos in doloribus positos, ex suorum olim toleratorum dolorum recordatione. Qui enim vehemẽter doluerunt, norunt dolentibus condolere, habentq; libenter, si ijsdem etiam alij condoleant, & succurrant; vt proinde, si id nos quoq; ad Matris nostrę imitationem faciamus, rem facturi simus ei gratissimam.

§. 4.

Quarta Causa.

Quartò. Adeò placet Beatæ Virgini hęc in defunctos à nobis exhibita pietas, vt eam aliquando sibi addictissimis & maximè deuotis, disertis verbis singulariter, præ cætera pietatis exercitatione cõmendet. Oranti ante imaginẽ Conceptæ Virginis Ioanni Ximene, Societ. IESV eximiæ probitatis Coadiutori temporali, clarâ vox ad aures accidit: Ximene, memor esto Fidelium defunctorum. Quâ ille voce permotus, omnia totius reliquæ vitę suæ (vixit autem deinceps octo annis) pia opera, externa & interna, & quidquid ex eis satisfactionis esset, defunctis ex asse legauit atque attribuit. Ita refertur in vita P. Balthasaris Aluarez cap. 45. Aliquando defunctos ipsos ad viuos Deipara ablegat, aut eis eundi commeatum exorat, vt charitatis, sibi gratissimæ, exercendæ copiam viuis faciat. Nota est historia de Innocentio 3. summo Pontifice, quã refert Thomas Cantiprat, & Surius

Surius in vita S.Luidgardis, Bellarm. item, & alij. Celebrato enim Concilio Lateranensi, obijt hic Pontifex, moxque Luidgardi apparuit, ingenti flammâ cinctus, affirmans, tres ob causas ita se cruciari, ob quas etiam damnatus fuisset, nisi SS. Virgo, cui Monasterium condiderat, in extremis veram ei contritionẽ impetrasset: cæterùm se vsque ad diem Iudicij ignibus illis torquendum; insuper, vt ad eã suffragia petiturus venire posset, id sibi quoque Matrem Misericordiæ impetrasse: moxque disparuit. Denique ad animarum liberationem intimis suis, sibique coniunctissimis famulis vtitur administris. P. Iacobus Rhem, è Societate IESV, quo haud facilè amantiorem Virginis reperies, frequentibus apparitionibus animarum Purgatorij, opem implorantium, celebris est. P. Iosephus Anchieta, vnus è primis Deiparæ cultoribus, ingentem earũ turbam, lugubrè & miserandùm eiulantium, fusis precibus vna vice liberauit. Narrat Hyacinthus Coquetius de Henrico de Castris Ordinis Prædicatorum, quòd, cùm ex eo morti vicino, quidam eius erga Deiparam amoris pietatisque conscius quæreret, speraretne, se sine Purgatorio rectà in cælum iturum? respondérit; Satis se esse certum, Beatam Virginem sibi morituro adfuturam, suamque animam in cælum ducturam; constare item sibi, secum in transitu plùs, quàm trecentas animas ex Purgatorio euolaturas. Quodsi quem

ex

ex S. Dominici familia contigerit isthîc diuius detineri, fore, vt eum pientissima Mater non deserat, visitando, consolando & pœnas mitigando.

§. 5.

Quinta causa.

Quintò liberatio animarum ex Purgatorio, magno Dei Matri honori ac voluptati erit, si hac industria & praxi vtaris, eaque mente atque intentione illam omni studio procures, vt animæ liberatæ, & ad beatitudinem cælestem admissæ, Deoq; plenæ, Matrem dolorosam vice tui venerentur & colant, laudent atque ament. Sicut enim Imperator honori sibi duceret & gratum haberet, si quem eius charissimum famulum è carcere & captiuitate Turcica liberares, eo fine, vt is Imperatori posset debitè inseruire, eum venerari, modo, quem ille ei placere optimè nosset, tu verò ignoras; præsertim si in redemptionē lytrum ex tuo persoluisses; ita est, si animam quampiam carcere & vinculis Purgatorij exsoluas, & ad cultum venerationemque dolorosæ Matri tui loco præstandam, in cælum ad eius aulam, pro illa satisfaciendo, & lytrum pijs operibus tuis persoluendo mittas; quem cultum ac venerationem illa cęlo potita, Deique visione perfruens, longè magis ac meliùs præstabit, quàm tu in vita mortali vnquam possis, aut scias. Et magis in hanc rem erit, si

suffra-

suffragia tua applices alicui animæ, quæ in hac vita maximè doloribus Matris dolorosæ piè colendis addicta fuerit; per quod duplex Beatæ Virgini exurget cultus atque amor: tū quia affectus tuus, quem in animam ob id cōcipis, quòd Matri dolorosæ deuota fuerit, in ipsam Matrem dolorosam redundat; tū quia anima, Matri dolorosæ colendæ in hac vita dedita, eam quoque tui vice in altera impensiùs colet. Præterea cùm multa à Matre dolorosa acceperis, & in dies accipias beneficia, quæ illa tibi suis & Filij sui sub cruce doloribus obtinuit (& vel hoc grande est beneficium, quòd in tuum etiam bonum dolorosa fuerit) pro quibus satis gratus esse non potes; hoc saltem modo defectum tuum supple, vt alijs tuas vices committas, aut in socios tecū exhibendæ illi gratitudinis adsciscas; puta defunctos, Purgatorio ereptos, & cælo transcriptos, qui id pro te libentissimè, tuo beneficio prouocati facient; præsertim si id cupias atque optes, vt loco gratitudinis, quam tibi pro sui liberatione deberent, totos se ad agendas pro te mœstæ Virgini gratias effundant, nullā tibi parte seruata. Certè talis gratiarum actio Dei parenti honorificentior est, quàm si tu solus per te eam redderes: tum quia animæ beatæ, quæ eam obeunt, magnæ sunt dignitatis, tu vilis terræ vermiculus; tum quia maiorem amorem, reuerentiam aliaque adiuncta adhibent, quibus tu cares. Congruit cū iam dictis

illa

illa quorundam deuotio, qui pridie Festorum Beatæ Virginis Missas pro defunctis aut dicunt, aut dici curant, aut audiunt, aliaque faciunt, vt animæ Purgatorio ereptæ festiuam solennitatem, postero die futuram, Reginæq; triumphos, noui plausus & venerationis augmento, festiuiores splendidioresque reddãt. Ex his vlteriùs concludes, id omni ope ac conatu agendum tibi esse, vt quàm plurimas animas hac intentione pro tua facultate liberes, vt multæ sint, quæ Virginem Matrem pro te siue colant & ament; siue gratias ei agant; siue ipsi, vel in eius Festis, vel aliàs semper gratulentur & applaudant.

§. 6.

Sexta causa.

Sextò. Neque hoc solùm per liberatas ex Purgatorio animas consequimur, vt per illas dolorosam Virginem, ita, vt dixi, colamus, amoremque ei & gratitudinem præstemus; sed etiam, vt nos ipsi quoque per nos ad idem præstandum aptiores instructioresque simus, siue, vt nobis maiora adiumenta comparemus. Eæ enim animæ liberatæ nobis impetrant, vt scilicet virtutibus ornati magis Deiparæ placeamus, vt in deuotione erga illam dolorosam crescamus, vt vitia extirpantes tollamus quod illi displicet, quodque illi sub cruce dolores auxit; agamus verò quod placet &c. Valde notanda, & altè animo imprimenda

menda est hæc ratio. Præclaram enim quandam praxim aperit, multa nobis bona acquirendi, & Dei Deiparæque gloriam propagādi, ita vt in vno opere multiplex vtilitas contineatur, & multæ simul illi placitæ conglomerentur virtutes. Oras pro defunctis? En virtutem magnæ misericordiæ & insignis charitatis, præstantioris, quàm si viuentibus quæcunque opera misericordiæ corporalia exhiberes: tum quia defuncti maiorem miseriam, necessitatemque patiuntur; tum quia ex se maioris dignitatis sunt. Insuper, pro illis orans, & tibi & proximis viuentibus prodesse potes, pericula & incommoda auertendo, commoda procurando: en alia duplex charitas. & tibi item alijsque virtutes quaslibet acquirere: en virtutis cuiusque studium. Et, si Deo valde placere appetis, si in eius dilectione proficere; id quoque potes obtinere: en Dei amorem. Quomodo id autem? Ad cælum è Purgatorio assumptæ animæ gratissimæ sunt ijs, qui eas ex tantis tormentis eripuerunt, eosque vehementer amant, & in eorum vtilitates totæ propensæ effusæque sunt. Multū præterea apud Deum possunt; quippe iā Beatæ. & primæ petitionis, quam ad Dei visionem admissæ pro te liberatore facient, putásne repulsam patientur? imò & alias consequentes parum fore efficaces in hoc beatitudinis statu? patrocinium tui & tutelam parum firmā? Imò verò nihil est, quod ab illis sperare non possis,

possis. Igitur, quod antè volebam, impetrabũt tibi (præsertim si eius rei desiderio te teneri intelligant) vt Matrem dolorosam ames & studiosè colas; vt vites, quæ illi displicent, facias quæ placẽt; vt ijs virtutib⁹ & ornamentis abundes, quæ te illi & Deo reddant gratiosum: vt eius, & Dei cultum atque gloriam etiam ad alios extendas ac propages. An non hæc ad Deiparæ cultum amoremque pertinent? At orando pro defunctis, eosque modis in Ecclesia vsitatis liberando ista comparatur.

Ad hæc pro eo affectu, quem tenerrimum & planè maternum Mater dolorosa erga suos gerit, libentissimè habet, si eius Filij modum aliquem, & quasi artem teneant, per quam ditentur, & thesauros spirituales congregent, beneque sit illis; quemadmodum terrenæ Matres gaudere solent, si filij artem addiscãt, vnde quæstum faciant, & tutò, splendidè, lautéque viuant. Id autem tu, vt insinuaui, ope animarum, è Purgatorio per te liberatarum, ingenti cum lucro consequeris. Quanti igitur hæc ars eas iuuandi facienda est? quanta sedulitate exercenda? Multorum experientia & asseueratione constat (quorum ego aliquos id de se confirmantes audiui) & ex veterum historijs probari potest ingens bonorum vis, quæ à defunctis in suos benefactores profecta sunt. S. Catharina Senensis, vt habetur in eius Vita 3.p.c.7. sui Parentis animam & precibus

cibus & dolore laterum, quem in omnem vitam pro ea susceperit, Purgatorio exemit. Huius beneficij memor Parens non solùm continenter pro filia Deum orabat; sed eam etiam crebrò inuisebat, in pietatis officijs instruebat, Dæmonum fraudes & insidias patefaciebat, alterius vitæ gaudia, arcanáque plurima reuelabat. S. Thomam Aquinatem soror, ab eo, quamuis, vt supra dixi, serò liberata, & de instante eius morte, & de beatitate cælesti docuit. Neque facilè de felici morte tua certius & opportuniùs tibi prouidebis, quàm animarum, quæ purgantur, patrocinium quod maximè tibi cordi sit. Et tandem, quotquot ferè apparitiones defunctorum vel legimus, vel audiuimus, qui suis liberatoribus Purgatorij sui finem nunciabant; toties ipsos addidisse, se quoque vicissim in cælo pro ipsis oraturos: aut saltem egisse gratias. At hæc gratiarũ actio apud illos non in solis verbis consistit, neque vacua, aut sterilis est; sed multorum bonorum ferax. Spectat enim ad gratitudinis virtutem, gratiam non modò habere; sed etiam si possis, referre. Quin etiam in rebus temporalibus suis benefactoribus præsidio & adiumento defuncti solent esse; idque etiam quando Purgatorij carcere adhuc detinentur; nam etiam tunc pro illis orare docent Theologi. quid igitur facient in cælo? Quod ex plurimis exemplis constat eorum, qui per defunctos aut contra inimicorum vim, &

strictos

strictos enses defensi sunt, aut bello victores euaserunt, aut in alijs necessitatibus sunt adiuti. Et sunt etiamnum non pauci, qui narrãt, se præcipitiorum, fluminum, latronum, & cætera manifesta pericula euitasse, felicem negotiorum euentum sortitos esse, certas pro defunctis preces fundendo. Quamobrem multi etiam iam hanc consuetudinem habent, vt, quoties aliquid aggredi volunt, cuius bonum successum ad Dei gloriam cupiunt; suffragia pro defunctis faciant, & applicent cum hac spe & intentione, vt vicissim illorum opem experiantur: neque se suis votis frustratos inueniunt. Denique viri & prudentia, & vitæ probitate insignes affirmant, nunquam se vidisse animabus Purgatorij iuuandis addictos in vlla afflictione, aut necessitate, in qua non fuerint per singularia & extraordinaria quædam beneficia adiuti. Et quid mirum est, id ita esse? Rogo enim, si potentissimi cuiuspiam Regis filius ab aliquo è carcere educeretur, in quo miserrimè fuisset habitus, & ipsius ope in auitum regnum reductus, eius possessionem adiret, & Rex inauguraretur; quam putas gratiam assertori libertatis suæ, & in se tam benefico reponeret? imò quam non reponeret? Essétne aliquid, quod in eius commodũ negare vellet? & cùm Rex esset, posset in animúmne induceret, vt, si in aliqua necessitate positũ sciret, ei vicissim non subueniret? finémne faceret eum ornandi rebus omnibus, & omnib⁹

Dd bonis

bonis cumulādi? Neutiquam sanè. Regni possessionem adeunt animæ defunctorum, è carcere Purgatorij eductæ, & regni, cui collata omnia huius mundi regna, & si his addas innumerabilia alia, nihil sunt. Quid igitur suis liberatoribus in eorum commodum, vel gratiam aut præstare nequeant, cùm tam potentes sint; aut nolint, cùm tanto beneficio sint affectæ?

Ex dictis decidi potest quæstio illa; vtrum ex duobus sit præstātius, Deóq; & Deiparæ gratius, an pro viuis, existētibus in peccato mortali Sacrificia & preces fundere? an pro defunctis, qui piacularib⁹ flammis peccata quæ adnos commissa expiant? quorum vtrumque magnæ sine dubio charitatis meritique est. Agitata olim fuit hæc quæstio inter duos Religiosos ex Ordine S. Dominici, præ cæteris pietati deditos, Bertrandum & Benedictū; ille viuis potiùs peccatoribus succurrendum cēsebat, maiore in periculo constitutis: hic defunctis, qui seipsos iuuare nō possent. Sed mutauit sententiam & manus dedit Bertrandus, posteaquam concubiā nocte ex purgādi igne anima vna, omnium legatione functa [illegible] suo eum in partes suas pertraxisset, vt [illegible] deinde Bertrando pro his ad aram fr[illegible] faceret, & feruidiùs precaretur. [illegible] quoque ex causa defuncti viuis præfer[illegible]dentur. Nam orando pro illis, his quoque [illegible] succurri potest; & quidem meliùs, quàm si pro his

his solis orares, si nimirum ea intentione, pro defunctis ores, vt hi cælo recepti, tui vice, pro viuis orent, maiore, quàm tu, efficacitate. Notare hoc debent ij, qui hominibus ad virtutẽ pietatémque adducendis ex officio, aut charitate vacant, vt vnâ fideliâ duos parietes dealbent: Item patresfamilias, & qui aliorũ curam gerunt. Illi enim hæreticum, aut improbę vitæ hominem faciliùs ad fidem, aut frugem reducent, probos ad altiorem virtutis gradũ prouehent: hi suos meliùs regent ope defunctorum, piacularibus ignibus ereptorum, per quos gratiam à Deo ad aliorum salutem perfectionemque promouendam obtinebũt ampliorem. Quare his sibi demerendis per applicata suffragia studeant, &, quoties viuis opitulatum eunt, priùs defunctis subueniant, per hos illis deinceps subuenturi.

§. 7.

Quid nobis conferre poßit ad animarum liberationem Mater dolorosa?

Cùm igitur ex rationibus hactenus allatis constet, Matri dolorosæ vehementer placere, & ad eius honorem ac cultum spectare, auxilia defunctis à nobis collata; videndũ nũc est, an, & quid nobis ipsa quoq; ad hoc charitatis opus conferre possit? Multum sanè. Nã primò, si vera est sententia illorum Theologorũ, qui asserunt, eos Sanctos, quorum superabundãs satisfactio in thesaurum Ecclesiæ relata est, eò quòd eâ ipsi nec in hac, nec in altera vita indi-

geret, petere solere à Deo, vt eam ipse defunctis applicet; certe Mater dolorosa tantum in thesauros Ecclesiæ intulit, vt excedat omne id, quod alij Sancti vniuersi simul sumpti contulerunt. Nam & dolor eius sub cruce omniũ illorum dolores, aliásque vexationes corporis & mortificationes omnes longè superauit, & actus virtutũ tunc elicuit excellentissimos, & simul ex obiecto difficillimos: adeoque ad satisfaciendũ pro plurimorum reatu sufficiétissimos; & nihil ipsa pro se de hac satisfactione decerpsit, cũ eâ nunquã eguerit. *Si ergo* ex suis satisfactionib⁹ vel solis, illis quas in Filij passione, cùm Mater esset dolorosa, *præstitit*, petat animabus suam cuique pro rata portionem ex Dei voluntate applicari; *facilè purgatorium* totũ exhauriet; vti in exemplis suprà §.3. commemoratis patet, valde multas inde certis temporibus eripuisse. Deinde cùm hoc thesauro ex Christi & Sanctorum satisfactionibus collecto nitantur Indulgentiæ, quæ à Summis Pontificibus concedi solent, animabus Purgatorij applicandæ; illa, quæ & secundùm Christum plurimùm contulit, & plurimũ apud illum gratiâ valet, à nobis rogata, faciliùs, quàm quispiam alius, impetrare, potest, vt, si ex parte nostra, vel aliũde, quod fieri potest, defectus aliquis intercessisset, ob quẽ vel totæ indulgentiæ, vel ex aliqua sui parte, valore suo destituuntur; defectum hunc, quoad fieri potest, suppleat, & suis precibus modóq; optimo,

optimo, quem nouit, compenset. Præterea cũ Deus aliquandò non acceptet ea, quæ à nobis pro defunctis offeruntur, vt ex quibusdam historijs notum est, puta Indulgentias, quas magna pars Theologorum (licèt multi etiam contrarium sentiant) docet, non habere certũ & infallibilem effectum, defunctis quibusdam applicatas, quantumuis Pontifex concedat, applicari illis posse; sed tantùm ex Dei, si acceptare velit, arbitrio; neque enim Pontifex habet parem potestatem in defunctos, sicut in viuos: neque (vt ratiocinantur ipsi) ex vllo S. Scripturæ loco, aut alio firmo argumento constat, Deum se obligare voluisse ad acceptandas Indulgentias, defunctis applicatas. in simili, inquam, casu orari potest Virgo SS. vt satisfactiones ex Indulgentijs dignetur illius interuentu Deus acceptare pro illis animab⁹, quas nos maximè vellemus adiutas. Adhæc potentissima est Virgo benedicta ad obtinenda viuis efficacia gratiæ auxilia, quibus excitentur ad orandum sedulò & feruenter, & ad mortificationes subeundas, aliaque pietatis exercitia, quæ animabus pœnas & Purgatoriũ deleant; iuuat etiam viuos ad cognoscēdas earum necessitates, siue animas ad eos ablegando, siue alijs modis notitiam ingenerãdo, qui modi multi esse possunt. Deniq; quidquid à viuis profectum, prodesse per modũ impetrationis defunctis potest, id ope Dei Matris ad magnam efficaciam potest attolli, vt mox patebit.

§. 8.

Primus modus iuuandi animas defunctorum per Matrem dolorosam.

His ita suppositis, modi, quibus per Matrem dolorosam à nobis animæ Purgatorij iuuentur, possunt esse isti. Primus Offerre pro illis DEO eius vitæ totius, & præsertim sub Filij cruce afflictiones, & dolores animique amaritudines, mærores, desolationes, atque angustias, quas tunc habuit, propè immensas, ita vt eius dolores (qui, vt loquitur S. Iere-
Thren. 1. mias in Threnis, huic filiæ Sion velut *ignis in ossibus*, â DEO *missi sunt*) doloribus animarum, ex igne Purgatorio ortis, opponantur: mærores, desolationes, amaritudines, angustiæ, illarum tristitiæ & amaritudini, quam habent ex priuatione visionis DEI, hácque oppositione afflictiones alteræ per alteras tollatur. Vt autem hæc oblatio sit efficacior, addendi ei sunt etiam Christi dolores, ijque tum interni tristitiæ, tædij, desolationis, &c. tum externi in corpore, quos, Matre illâ mæstissimâ præsente & spectante, in cruce & alio passionis tempore ita passus est, vt vtriusque alterius dolores doloribus alterius vehementissimè augerentur, essétque mutua participatio dolorum, & quasi commixtio, & vnus ex duobus seipso semper valentior & auctior, atque idem quodammodo & vtrique communis dolor. De nemine enim aptiùs efferri

efferri potest ille loquendi modus, quo vtitur S. Petrus in 1. ep. c. 4. *Communicare Christi passionibus;* quàm de Matre dolorosa, quæ, vt Mater cum Filio, communes habuit passiones per reciprocationem dolorum, & perfectissimam sympathiam, per contumeliarum, opprobriorum, maledictorum & improperiorum tolerantiam, quæ in Christum iacta tangebant simul & Matrem; per sanguinis effusionem & carnis dilacerationem, quæ ipsa erat caro & sanguis Virginis magis, quàm vlla alia mater dicere posset, in suo Filio suam esse carnem & sanguinē. Vide, quæ diximus lib. 1. c. 2. §. 1. & 2. & c. 11. §. 5. n. 6. 7. & 8. Cùm igitur Christi passio adeò peculiariter pertineat ad dolorosam Matrem, & præterea sit meriti infiniti, abundeque sufficiens ad satisfaciendum pro quocunque pœnarum debito ac reatu, si DEO offeratur cum doloribus Virginis vnita (quandoquidem tantopere apta est illis vniri, vt dixi) pro Fidelibus defunctis; quantum putas valebit ex vtroque capite hæc oblatio ad illas liberandas, aut subleuandas, quatenus scilicet & est rei, quæ ex se infinitum valorem habet, & quæ speciali modo est Matris nostræ amantissimæ, eius filijs dilectissimis applicata; præsertim si oblatio fiat per ipsam B. Virginem, vt paulò post dicam: præterquam quòd etiam satisfactio B. Virginis ex eius doloribus seorsim sumptis sit excellentissima, omnium aliorum Sancto-

rum satisfactiones superans. B. Maria Magdalena de Pazzis, vt est in eius Vita, per oblationem meritorum Christi vitæ & Passionis multas animas adiuuit. Porro oblatio ista vel à nobis immediatè fieri potest dicendo hæc, aut his similia: *Misericordissime Pater, & Deus noster, offero tibi pro animabus illis, quas amas, in tantis cruciatibus constitutis, & ob peccata sua à facie tua adhuc exclusis, vehementerq; afflictis, omnes dolores, angustias, amaritudines Filij tui, & Matris eius, quas vnà cum illo sustinuit. Respice in faciem Christi tui crucifixi, & condolentis Matris eius, & eorum merita, atque afflictiones suscipe in satisfactionem pro reatu pœnæ defunctorum, vt ab iis liberati, te laudent & benedicant in perpetuum. Amen.* Vel certè oblatio illa, idque multò efficaciùs, fiat per SS. Virginem; orando illam, vt eam ipsa, eo modo, quem scit esse optimum & conuenientissimum, faciat, suos & Filij sui dolores simul cum ipso Æterno Patri repræsentando: & insuper (vt maius sit illi pondus) quemadmodum sub cruce, dum saluti nostræ cooperaretur, fecit (de quo consule li. 1. c. 9. §. 4.) Filium rogando, vt & suscipiat, quà DEVS, & simul offerat, quà homo, communes vtriq; dolores, pro extinguendis animarum Purgatorij doloribus & pœnis. Formula huius oblationis hæc, aut similis esse potest:

O Vir-

O Virgo benignißima, Dei ſimul & noſtra Mater, rogo te per dulcißimum & tui amantißimum cor IESV Filij tui: reſpice oculis miſerationis, quæ ab infantia tecum creuit, animas illas, quæ in igne purgatorio tantopere cruciantur. Vide, ô Mater, illarum afflictionem & dolorem, quem quidem ex diuina æquitate iuſtè patiuntur; tu autem, quæ Mater es miſericordiæ, tuâ benignitate & intercesſione illis ſuccurre. Dignare pro illis offerre tuo benedicto Filio gladium illum acutißimi doloris, qui ſub cruce pertranſiuit animam tuam: illud immenſum mare amaritudinum, quod circumdedit & impleuit te, vnà cum tuis aliis meritis, eo modo, quem tu noſti, ad illum placandum, & liberandas animas eſſe accommodatißimum. Simul autem, & præcipuè offer pro illis, ei, & Patri eius Æterno, illos, quos tuis oculis ſpectaſti, eius cruciatus, illa vulnera, illum ſanguinem, illam denique paßionem totam, omnesq; eius, tibi notas, circumſtantias. Ad te enim hæc magis, quàm ad vllum alium pertinent; quia tuus quoque eſt ille ſanguis, qui fuſus eſt; quippe à te, vt à Matre, ſingulari modo acceptus; tua caro, quæ flagris diſcerpta, ſpinis perforata, clauis confixa; tuum corpus è plurimis vulneribus vnum vulnus factum: tua denique eſt paßio, quæ tibi cum Filio multis

modis communis est. Hoc igitur totum, quod ita tuum est, & quod simul ad satisfaciendum vim infinitam habet, vnà cum eo, quod tu quoque ex parte tua, supra quàm cogitari à nobis potest, acerbum, amarumq́; sub cruce sustinuisti, dignare Patri Æterno offerre, sicut myrrham electam illi in odorem suauitatis, pro liberatione ac leuamento animarum Purgatorij. Atque vt maior Deo nostro gustus praebeatur, magisq́; moueatur ad misericordiam erga afflictas illas animas; oro te humillimè, Domina & Mater nostra, vt Filium tuum, qui tibi nihil negat, roges, vt ipse quoque, in quo sibi Pater bene & infinitè complacuit, suos tibi secum communes dolores, suum sanguinem, suam mortem, sua infinita merita ad eundem finē offerat, ad laudē & gloriam illius, Amen.

Potest quoque similis oblatio & oratio fieri ad Christum (vt deuotio nostra & affectus magis accendatur & extendatur) *per quem accessum habemus ad Patrem*, & qui est Mediator & Aduocatus noster, *qui etiam nunc interpellat pro nobis*, vt SS. Matris suæ precibus inclinatus, & ex eodem amore, qui illum impulit, vt tam acerba pro nobis pateretur, & moreretur, eadem nunc quoque, quæ infiniti meriti sunt, Patri suo æterno pro fidelibus defunctis, sibi adeo dilectis, offerat, suoque sanguine pretioso, tam copiosè

effuso

effuso, extinguat pœnas, & ignem, quo torquentur.

Deniq; vt supra dixi, etiã ad Aeternum Patrẽ cõuerti potest oratio, vt *respiciat in facieẽ Christi filij sui*, eiusq; merita vitæ & passionis, sibi per DEI Matrem, prę omnibus puris creaturis dilectam & per communem vtriq; Filium oblata pro defunctis: memor quoq; Diuinæ misericordiæ & bonitatis suæ, quæ sui infinitate atq; abundãtiâ, & demerita nostra, debitaq; (quantumuis *plùs, quàm decem millium talentorum*) superat, & vota; dimittat ijs, qui in carcere Purgatorij sunt, quæ merentur; deţq; illis ex meritis Filij sui, & immẽsa misericordia sua, quod alioquin ex nobis, qui eadem, quæ animæ Purgatorij, & maiora pati digni sumus, oratio nostra petere non præsumeret. Facile autem est cuique ex his duobus postremis discursibus quos iam posui formã oblationis, & orationis ad Christũ, & Patrem æternum sibi conficere, quam deinde sæpe vsurpet. Et hic quidem modus est ferè tantum per modum impetrationis, siue obsecrationis, verùm efficacissimæ (allegando nimirum DEO ad impetrandum, quo maius & efficacius allegari nequit) & pro ratione deuotionis nostræ internæ plùs, vel minùs ad animarum liberationem confert. Atque vt magis intelligas, quantæ efficacitatis sit hæc passionis Christi oblatio; B. Ioannes de Aluernia, qui per intercessionem sanctorum vulnerum, à

Matth. 18.

DEO misericordiá animabus Purgatorij obsecrare solebat, vidit aliquando tantam indè multitudinem prodeuntem, vt multitudinem scintillarum à magna & ardenti fornace prodeũtium exæquaret. De alia quadam pia persona refert Vincentius Caraffa in Tusciculo myrrhæ c. 20. quæ pro benedictis animabus illis consueuerat recitare quinquies Pater & Aue in honorem quinque vulnerum, quæ etiam affectuosissimè eodem fine suauiabatur; dũ fortè pium hoc opus exerceret pro certa quadam anima; & lateris vulnus oscularetur, vidisse profluere sanguinem & aquam, de se vaporem quendam exspirantem, quod erat indiciũ liberatę animæ. Addit P. Vincentius hanc deuotionem opportunissimam esse, tempore quo sacra hostia à sacerdote eleuata ostenditur populo.

§. 9.

Secundus modus iuuandi defunctos per Matrem dolorosam.

Alter modus est, in quo non sola spectatur interna, vel externa deuotio, siue, vt loquuntur in scholis, opus operantis; sed etiam ex opere operato animæ iuuantur; vt si Missæ Sacrificia pro illis DEO offeras, aut offerri cures, aut eis ministres, vel debitè & piè intersis; si fructum Sacræ Communionis, aut Sacramenti pœnitentiæ (quatenus per illa Sacramenta deletur pars pœnæ, aut tota pœna peccatis debita) illis

lis attribuas: si Indulgentias ex concessione Summi Pontificis applices; & si quid prętereà tale est. Ioannes Ximenez, Coadiutor temporalis Societ. IESV, de quo suprà §. 4. mentionē feci, inter cætera bona opera peculiari studio Sacram Communionem, tanquam opus ex se maximū, pro defunctis offerebat. Notandum autē est, ex communi doctrina Theologorū, fructum Sacrę Communionis, qui est & augmentū meriti ac diuinæ gratiæ, & satisfactiō, crescere ex opere operato, pro ratione dispositionis eius, qui communicat (quod etiam fit in alijs Sacramentis, & Missæ Sacrificio) ita vt, qui magis dispositus & cū maiore pietate ad Eucharistiam accedit, plus & diuinę gratię acquirat, & plus pœnarum debitarū deleat; plus, inquā, non solùm ex opere operantis per se sumpti, sed etiā ex opere operato, hoc est, ex vi Sacramenti, quæ vis maiorem producit effectum in eo, qui magis dispositus est, quàm in eo, qui minorem affert præparationem. Itē, qui vehementiore cum contritione, volūtariâ sui confusione, humilitate, efficaciore & feruentiore proposito emendationis, alijsq; pijs actibus obit Sacramentum pœnitentiæ; pręter peccati, quoad culpā, remissionem & ampliorem gratiæ acquisitionem, etiam pœnæ reatum, virtute Sacramenti, & non illorum duntaxat piorum actuū per se spectatorum, maiori ex parte abolet, quàm is, qui non tantopere dispositus confitetur. Eadem est ratio de

Sacrificio Missæ dicto, vel audito. Vnde ille Sacerdos, cuius suprà memini §. 2. vno Sacrificio, sed multis cum lacrymis & ingenti pietatis ardore oblato, additis illi vnius duntaxat diei pijs operibus, quindecim annorum Purgatorium, quod a Diuina Iustitia cuidam animæ statutum erat, extinxit. Ex quibus patet, quanta cũ cura disponere nos debeamus ad suscipienda Sacramenta, & celebranda Sacrificia, & quàm frequenter Diuinæ mensæ epuloq; accumbere, non nostri tantùm causâ, sed & animarũ illarum, quæ adeò excruciantur, iuuandarum. Quod si vel vitæ ac statûs nostri ratio, vel aliud quid obstat, quò minùs id crebrò reipsâ & Sacramentaliter faciamus; faciamus saltẽ sępe repetito, & quasi *assiduo communicandi* desiderio, ex ardenti DEI amore orto; quæ est Communio spiritualis, per quam etiam fit quis particeps earũ gratiarũ & DEI donorum, quibus Sacramentaliter communicantes frui solent; imò, vt asserit Alphonsus Rodriquez, p. 2. tr. 8. c. 5. aliquando etiam maiorum, si eximiâ pietate & dispositione valde illos superet.

Iam ergo, vt ad nostrum propositum veniamus, vt animæ defunctorum modo iam dicto iuuentur, Mater dolorosa magno potest nobis esse adiumento; siue impetrando nobis, per suos, & Filij dolores si ad eã recurramus, auxilia gratiæ congrua, vt deuotiùs, feruidiùs, cum pluribus, excellentioribus, & DEO magis

gis placentibus internis, externisue virtutum actibus, verbo, vt magis dispositi Missam pro defunctis celebremus, aut audiamus (& solet ab Ecclesia, cùm solenniter pro defunctis exequiæ fiunt, post Requiem Missa de Beata Virgine decantari, vt ex hoc etiam appareat, quantum opis sibi à Beata Virgine pro illis polliceatur) vel Sacramenta frequentemus; quo fiet, vt etiam ex opere operato magis illarum pœnas imminuamus, vel penitùs tollamus; siue vt nobis SS. illa Mater sit occasio, vel idea vehementioris feruoris & præstantiorum affectuum, in Sacrificiorum & Sacramentorum vsu; vt si v. g. dum Missam celebras, vel audis, mente recogites Sacrificiū illud crucis, quod cum Filio suo crucifixo obtulit Mater, vt dictum est lib. 1. c. 9. §. 3. 4. & 5. & similes illi pietatis sensus efficias; dum Sacramentum Eucharistiæ sumis, eam, quoad potes, in deuotione imiteris, & simul tuam, qualemcumq; pietatem, cum eius immenso diuini amoris æstu, & religionis virtutumq; præclarissimarum exercitio, Filijq; eius meritis vnias, & sic vnitam, per illam Filio, & Patri æterno offeras, prout dixi §. præcedenti: Et denique sic te per Matrem dolorosam disponas, prout vnctio spiritûs sancti docebit.

Quod ad indulgētias attinet, doceri in scholis solet, non omnes in defunctorum vsum, & commodum cedere; sed eas tantùm, in quibus Summus Pōtifex addit, applicari eas posse defun-

functis per modum suffragij. Imò, vt dicebam suprà §. 7. etiam de his incertum est, an huic, vel illi particulari animæ, per te determinatæ ac nominatæ possint? siue: an â DEO pro illa acceptentur? Vt igitur securè procedas, applica quascunque indulgentias illi animæ, quam maximè vis iuuare; cum ea tamen cõditione, vt si huic DEVS eas nolit, certas ob causas, applicare, (& fortasse, quod fieri â DEO solet, ob hanc causam, quòd hæc anima, dũ in corpore in hoc mũdo esset, segnis fuerit in iuuãdis defunctis) applicet alteri, vel quam tu intendis, vel cui vult DEVS: quod si nulli vellet applicare, vt tibi, quantũ indiges, & fieri potest, indulgentiæ illæ remaneãt; nam alioquin redirent ad thesaurum Ecclesiæ. *Precare autem* Matrem dolorosam, vt tibi in hoc negotio auxilio sit, tum vt rite obeas, quæ obiri debẽt pro lucrandis indulgentijs; tũ vt suppleat defectũ, qui accidere posset; tũ vt eas DEVS ad tuã intentionẽ, si nõ ex integro, saltẽ ex aliqua parte, pro defunctis acceptare dignetur.

§. 10.

Tertius modus iuuandi defunctos per Matrem dolorosam.

Est is, vt etiam de nostro aliquid (vnitũ dolorosæ Matris satisfactorijs actionibus) conferamus, & vel pœnale aliquod opus suscipiamus, vel in eleemosynis erogandis liberalessimus, ad satisfaciendũ pro pęnis, defunctis debitis. Hanc enim charitatem maximè à nobis

re-

requirit Deus, hæc vehementer Matri dolorosæ placet, hanc illa iuuat & promouet. habéntque hoc peculiare, qui sunt in hac vita & in statu viæ, vt & mereri semper (quod Beati ampliùs non possunt) magis ac magis queãt, suamque in cælo gloriam reddere in dies & horas auctiorem; & nouis satisfactionibus sibi, vel defunctis (quibuscum nobis intercedit communio) debitas pænas abolere. Nec est ferè alia certior ratio illas iuuandi, quàm hęc. Porrò pænale opus duplex est: Alterũ, quod corpus molestia aliqua afficit, vt sunt externę mortificationes per ieiunia, abstinentias, cilicia, disciplinas, vigilias, humicubationes, lecti duritiem, & alias corporis vexationes; quo spectat etiam oratio, non tantùm quatenus est impetratoria rei petitæ, rogando & obsecrãdo; sed quatenus etiam annexam habet corporis aliquam fatigationem & afflictionem; præsertim si diu continuetur, si fiat flexis genibus, extensis in crucem brachijs, vel alio modo afflictiuo; pertinent quoque priuationes rerum delectabilium, sensibus subtractarum; vt si audire, videre, olfacere, vim tibi inferendo, nolis, quo te curiositas, vel sensualitas trahit; si partem corporis non fricare, quæ prurit, &c. Spectant denique ea, quæ nobis ex dispositione causarum naturalium accidunt; vt aëris inclementia, per excessum frigoris, aut caloris, aura nubila, vel pluuiosa, venti & procellæ, iter asperum, montosum, saxo-

saxosum, salebrosum; pulicum, muscarum & bestiolarum incursatio atque morsus. Item, & potissimùm, morbi & ægritudines, ex propria naturę complexione, vel hæreditaria parentum transfusione ac participatione, vel ex alijs naturalibus principijs ortæ, vel quomodocunq; acquisitæ; præsertim quæ adiunctos habent graues dolores, & requirunt curationes molestas, vt amaras potiones, syrupos, scissiones, &c. præterea, vlcera, vulnera & plagæ, vel casu aliquo, vel hominum malitiâ inflictæ, & quidquid denique corpori dolorem, aut molestiam creat. Hæc omnia, (quæ, data opera, singillatim recensui, quò tibi in mentem reuocem, si tale quid tibi contingat, vt eo vti noris, aut sponte túte *tibi eligere* scias) & similia propter Deum tolerata, & Fidelibus defunctis applicata, multùm illis prosunt: multum, inquam, nam, tametsi nulla sit comparatio inter id pœnale, quod nos vel sponte in corpore nobis infligimus, vel casu, aut à naturalibus causis ortum, cum virtutis actu acceptamus ac toleramus: & inter Purgatorij pœnas, quæ omnes nostras & aliorum huius mundi ærumnas & afflictiones incredibiliter excedunt; tamen ex eo, quòd quæ hîc in statu viæ propter Deum patimur, sponte & libera voluntate patiamur, fit, vt Deus pro exiguo & breui, respectu alterius, pœnali opere, aut molestia commutet debitum immanissimi, & fortè etiam diuturni cruciatûs pur-

gatorij;

gatorij; præsertim cùm hîc sit tempus remissionis, indulgentiæ, clementiæ; ibi rigor & seueritas diuinæ iustitiæ.

Alterum genus pœnalium operum complectitur mortificationes internas, quæ aut solum animum afficiunt, aut tales sunt, vt animum magis afficiant, quàm corpus. vt si v. g. iram & vindictæ desiderium cohibeas, inimicóque, & qui te iniuriâ affecit, non tantùm parcas, sed etiam bene velis & facias, ac pro illo peculiari affectu ores; si vehementem cupiditatem rei alicuius acquirendæ, quæ ad perfectionem non faciat, frangas, & superes; si in aliquo, tibi valde aduerso, repugnantiam animi cum virtute domes ac vincas; si voluntatem & iudicium tuum in re difficili alteri subijcias, & promptè cæceque obedias; si mores aliorum genio tuo contrarios libenter ob Dei amorem sufferas, & suauiter benignéque cum illis agas; si, quod te coram alijs pudefacit, si irrisiones, si contumelias patienter toleres; imò quanto potes cum gaudio; si humanũ respectum in via perfectionis, quantumuis opponente se & contrà nitente naturali, vel vitiosa inclinatione, contemnas & directè cõtra illum agas; si denique amorem proprium in tui humiliatione & depressione, & in plurimis alijs rebus, in quibus ille se prodit, occasionibusque quotidie occurrentibus, opprimas & obtrunces. Hoc genus pœnalium operum internorum, cæteris paribus, plùs ad delen-

delendum reatum pœnæ conducit, quàm prius, cùm sit illo & ex se præstantius, magisque ad perfectionem disponat, & sæpe toleratu difficilius. Vnde Mater illa, de qua narraui lib. 1. cap. 8. de Mansuetudine, vnico actu sui victoriæ, quo interfectori filij sui ignouit, & benefecit, totam pœnam filio in Purgatorio debitam deleuit, & eum indè liberauit, quem fortasse multorum dierum, aut mensium, aut etiam annorum, externis mortificationibus, vt disciplinis, cilicijs & alijs huiusmodi, sponte susceptis, eripere vix potuisset. Huius vtriusque generis pœnalium operum, Mater dolorosa nobis sub cruce illustrissimũ exemplum dedit; vt constat ex li. 1. & 2. & consideranti facilè patebit. Quod exemplũ meritò nos excitare debet & similia opera generosè, promptéque assumenda, vel acceptãda, licèt aut caro remurmuret, aut amor proprius reluctetur: & eadem pro defunctis Deo offerenda, in vnione eorum, quæ Christus, & eius SS. Mater passi sunt. Huius enim etiam in alios charitatis Virgo nobis sub cruce idea fuit, cui in tantis angustijs, & doloribus positæ à Christo nos in filios dati sumus, vt curam maternã in nos transferret, nec tam de se, tametsi afflictissima, quàm de nobis, matris affectu iuuandis, cogitaret. Imò verò illos ipsos suos dolores & Filij sui, quos & magis sensit, quàm suos, & ex quibus sui oriebantur, & afflictiones, quas tunc patiebatur, quasi sui oblita, ad nos & no-

& nostra commoda retulit, offerendo pro nobis, & nostræ saluti cooperando, vt c. 9. li. 1. est explicatum. Ita ergo & nos, nostri, commodorumque nostrorum obliti, & multa pœnalia agentes, aut patientes, curam & charitatem ad iuuandos fratres nostros, in maiore, quàm nos simus, necessitate & afflictione positos transferamus.

§. II.

Liberalis charitas defunctis à nobis præstanda prædictis modis.

Aliqui sunt, qui sibi à pænis Purgatorij metuentes, & illud iactantes: *Charitas incipit à seipso*; satiùs esse dicunt, vt satisfactiones suas suis reatibus delendis seruent, parum de iuuandis defunctis soliciti. Non est hoc, Matrem dolorosam eiusque charitatem erga nos & defunctos æmulari. Quantò meliùs agunt, qui ita sunt munifici, &, vt ita dicam, pie prodigi, vt ex abundantia charitatis vniuersas totius vitæ satisfactiones, & pia opera, quæ saluâ obedientiâ & iustitiâ possunt, animabus illis donent, sibi nihil reseruantes. Verùm per hoc ipsum, quòd nihil sibi retineant, & omnibus se abdicent, plurimùm lucrantur & habent; adeoque, si hoc spectare velint, hac ratione maximè se amant. Nam inprimis per illam tam effusam charitatem, ingentem diuinæ gratiæ cumulum sibi acquirunt, & consequenter luminis

luminis gloriæ gradus, quibus clariùs videatur Deus, valde augent. Vnicus autem gradus gratiæ, & luminis gloriæ tam præstans est, vt, si pro eo obtinendo multa annorum millia in grauissimo Purgatorio toleranda essent, bene impensi essent omnes illi anni: nec enim tantum est mali in cruciatu, tam diu tolerato, quantum boni est in vno gratiæ, & luminis gloriæ gradu; præsertim cùm, vt dixi, illud augmentum efficiat, vt Deus clariùs videatur, & beatitudo nostra ac *gloria* futura, *quæ*
Rom. 8. *reuelabitur in nobis* (ad quam *non sunt condignæ passiones* cuiusuis *temporis*) augeatur, & aucta duret, non per multa duntaxat annorũ millia, sed per totam æternitatem. Deinde hic ipse charitatis actus, quo suas satisfactiones defunctis largiuntur, ad remissionem propriæ pœnæ, & euasionem Purgatorij vehementer conducit. Sicut enim Deus eos, qui parci sunt in defunctos; præsertim si, quod pro ijs debēt, omittant, aut negligenter persoluant, ita punit, vt illis, dum sunt in Purgatorio, viuorum suffragia, præsertim ex indulgentijs, non applicet. Qua de re narratur historia in Annalibus Franciscanis p. 2. l. 9. c. 22. de quodam Religioso, deside in persoluendis ijs, quæ ex regula pro defunctis debebat; qui post mortem alteri apparens, dixit, se acerbissimas pœnas pati, nihilque sibi hactenus profuisse Missas & suffragia pro se facta, ob illam suam negligentiam; sed alijs omnia attributa: quæ tamen dein-

deinceps offerenda essent, sibi profutura. Sicut, inquam, talibus Deus, vt ex pluribus etiam alijs historijs constat, non applicat indulgentias (dico, indulgentias; nam, de lege ordinaria Deus alia suffragia in eorum commodum vertit, quibus nos applicamus; vnde quod de Franciscano illo refertur, extraordinarium fuit) ita applicat illis, qui viscera charitatis erga defunctos dilatarunt. Sperare igitur & tu poteris, hanc Dei benignitatem pro ampla tua charitate tibi obuenturam, & Deum viuos excitaturum, vt pro te defuncto orent, & indulgentias tibi applicent, citiusque te liberēt, quàm tu proprijs tuis satisfactionibus potuisses. Imò & in mortis articulo talem indulgētiam, eamque plenariam, impertiri, pro illa charitate, Deum patet ex eo, quod refert Dionysius Carthusianus de S. Gertrude, quæ cùm omnium totius vitæ operum satisfactiones Purgatorij animabus donasset, totaque in eo fuisset, vt plurimas, & eas potissimùm libera[illegible]que præ cæteris grauiora tormenta susti[illegible]nt; instante morte vehementer ex Dæ[illegible]s instinctu expauit, quòd omnibus sa[illegible]ctionibus destituta, quas in defunctos [illegible]fudit, terribile purgatorium esset subitu[illegible]Cui Christus apparens, *Filia*, inquit, *Gertrudis, vt videas, quàm mihi placuerit ingens tua in defunctos charitas; in compensationem condono tibi omnes pœnas, quas debes. Præterea qui olim pro vno centuplum promisi, nunc manū dilata-*

dilatabo, præmians te in cælesti beatitudine gloria multò excellentiore. Efficiam denique, vt animæ, per te liberatæ tibi morienti aßistant, téque in cælum cum triumpho deducant. En fructum eximiæ illius in animas charitatis. Fortasse Gertrudis, si suas sibi satisfactiones reseruasset, Purgatorium totum per illas non euasisset. Nam etiam valde Sancti aliquando in illud deueniunt. Et S. Lydvvina petijt sibi suos, quantumuis antea immanissimos, dolores augeri, vt Purgatorium euaderet; idq; impetrauit. quod signum est, non fuisse euasurã, nisi aucti dolores fuissent. Nunc autem S. Gertrudis & Purgatorium euitauit, & insuper tãtis à Christo bonis est cumulata. Similem ipse Christi benignitatem experta est *Christina illa* verè mirabilis, ob stupendam ergo animas Purgatorij charitatem; quæ, vt refert Surius in eius vita 24. Iulij, & Thomas Cantiprat. eiusdem coætaneus, & testis oculatus, post mortem in vitam reuocata per 42. deinceps annos talia per animabus (quarum tormenta in Purgatorio spectauerat, &, vt eas iuuare[illegible] set, in vitam redierat) fecit, ac tulit, extra[illegible]dinaria Dei ope, quæ humanam pœne fid[illegible] & non vires tantùm excederent. Hæc quo[illegible] admirandis à Christo, ob illam charitatẽ [illegible]tijs & donis, &, præter cætera, spiritu pro[illegible]tiæ, & excellentis contemplationis ornata est, moriens suauissimis amplexibus ab eo excepta, ingenti innumerabilium animarum, quas

flammis

flammis Purgatorij exemerat, choro in cælum cum plausu inducta.

§. 12.

Industriæ quædam, prædictis modis addendæ, ad maius animarum commodum explicantur.

Satis, opinor, ex his intelligis, quàm & Christo Matrique dolorosæ gratum sit, & tibi fructuosum, sic in defunctos esse liberalem. Id igitur age, &, siue oblationibus, in primo modo §. 8. explicatis, & precibus, quas ex obligatione non teneris pro alijs fundere; siue eleemosynis, siue indulgentijs, quascunque tibi fas est à te in illas animas transferre (nã, si non fas est, omnes eas, quæ in illas transferri non possunt, tibi serua; & hoc quoque ad delendum tuum in hac vita pœnæ reatum conferet) siue quolibet Missæ Sacrificio, & Sacramentorum vsu, siue rebus asperis, vel sponte susceptis omnibus, vel aliunde obuenietibus, v. g. morbis, &c. eas iuua. Circa morbos hanc velim obserues industriã, vt eorum molestias, aut dolores Deo sæpe offeras, v. g. singulis horis, aut, si non nimium tibi sit, sitq; opportunitas audiendi horologium, singulis quadrantibus, idq; per Matrem dolorosam, & Christum, eorum doloribus vnitos, nunc pro hoc, nunc pro illo defuncto. Vix credi potest, quàm hæc industria & animabus vtilis sit, & tibi ægroto ad patientiam profutura. Constat

certè, quosdam ea vsos in grauissimis corporis molestijs & cruciatibus lecto diuturno vel mensium, vel plurium annorum affixos, mirificè fuisse adiutos, ea cogitatione permotos, quòd cùm iam hac hora, aut quadrante suas afflictiones Deo pro aliqua anima obtulerint, tolerandæ sint illis æquanimiter & libenter; quippe lōgè minores, quã sint eæ, quas animæ purgatorijs ignibus addictæ patiuntur. Atque hoc est, ex morbi necessitate facere virtutem, & eximiam quidem virtutem, id est, charitatẽ. Idem est, si alia aliqua corporis molestia vexeris, quam eodem modo per horas partiri, & in auxilium animarum referre potes.

Sed & in alijs iuuandi defunctos modis, quos suprà attulimus, adhibendæ industriæ, sunt, quæcunque possunt adhiberi, vt magis illis prosint. v.g. in multis Missæ Sacrificijs, aut Rosarijs, alijsvé precibus, quas ex obligatione obedientiæ, aut iustitiæ dicere teneris, sæpe occasio est, portionem aliquã ex illis pro defunctis decerpendi, & in eorum vtilitatẽ conuertendi. Nam in Sacrificio Missæ, & quolibet pio opere nostro tria sunt, quòd sit meritorium, impetratorium, & satisfactorium. Et meritum quidem à nobis abdicare non possumus, & in alium transferre: at impetrationem & satisfactionem possumus. Iam autem frequenter contingit, vt obligemur Missam dicere, aut aliquid orare pro aliqua re, quæ satisfactionis non est capax, aut cui non nisi sola impe-

impetratio boni alicuius intenditur per obedientiam;aut procuranda imperatur; vt, ſi obedientia velit, vt ores, aut ſacrifices pro Indijs & gentium conuerſione,pro Hæreticorũ in partibus Septentrionalibus reductione,pro felici euentu belli,pro pace inter Christianos Principes, aut diſſidentium reconciliatione, pro peſte, aut fame auertenda, pro negotio feliciter expediendo. In his, & plurimis alijs ſimilibus caſibus obedientia ſatisfactionem, quæ eſt in Sacrificio Miſſæ, oratione, aut alio opere,ex illa impetrato,nulli applicari iubet. Liberum igitur tibi manet, vt eam vel tibi ſerues,vel defunctis,alijsvé dones. Tunc autem optimè feceris, ſi eam in his omnibus alijsque eiuſmodi caſibus, quotieſcunque potes,ſemper defunctis attribuas.

Quodſi etiam ab obedientia indicatur v.g. Miſſa, vel Roſarium pro aliquo viuo,cui impetratio & ſatisfactio tota cedere debeat, vt nihil tibi videatur reſtare in defunctos erogãdum;ſaltem hunc actum virtutis obedientiæ, quo voluntatem tuam ſubijcis ſuperiori, adiunctum deſiderio iuuandi defunctos Domino pro illis offer,& dic:*Domine,hoc Miſſæ Sacrificium.hoc Roſarium,&c. cuperem offerre, ſi mihi liberum eſſet,quatenus ſatisfactorium eſt, pro animabus Purgatorij; ſed quia ſancta obedientia vult,vt illud totum pro N.offeram,offero totum pro illo;hanc tamen ipſam abnegationem & ſubiectionẽ meæ voluntatis per obedien-*

tiam, qualiscunque est, tibi offero pro hoc N. defuncto, in vnione obedientiæ & meritorum omnium vitæ, & passionis IESV CHRISTI *Filij tui, & SS. eius Matris dolorosæ, suscipe hanc meã voluntatem sic vnitam, instar Sacrificij tibi in odorem suauitatis. Melior enim & gratior tibi est obedientia, quam victimæ.* Potes etiam hanc oblationem facere per Matrem dolorosam, & Christum, vt §. 8. dictum est. Et vniuersim loquendo, cùm valor operum nostrorũ, vt sunt à nobis, exiguus sit; ora semper Matrem SS. vt ea omnia & singula, quoties illa facis, Filio suo suis benedictis manibus repræsentet, eũque roget, vt vnà cum suis meritis Patri æterno exhibeat, quibus suppleat, quod nobis deest. Sanctos quoque Angelos, & alios Diuos supplex humiliter compella, vt SS. Virgini in tam pia causa oranti assistant, & suas preces addant. Valet hoc & ad dilatationem deuotionis, quam in te excites, & diutius cõtinues, & ad maius defunctorum auxilium ac leuamen. Alia præterea est industria, quæ liberalẽ in defunctos charitatem promoueat, si ea etiam omnia, quæ tibi ab alijs donantur, & pro te fiunt Sacrificia, vota, pia opera, quantũ potes, quoad satisfactionem & impetrationem, defunctis porrò dones & attribuas. Imò etiã nunc talem donationem facias, si quid tibi post mortem superfuerit satisfactionis, tibi non necessariæ, siue ex indulgentijs à te acquisitis, siue ex suffragiis aliorũ, pro te factis,

siue

siue aliunde: quin etiam suffragia omnia, tibi post obitum tuum à viuis decursu temporum applicanda, si ijs non egueris, iam nunc intende, quantum tibi fas est, certis defunctis, eo ordine, quo infrà dicetur, applicare, vt nihil negligas, aut omittas, quo charitatem tuam in animas illas possis exercere. Et, quia mentionem intentionis fecimus, vtile erit, & ad industriam etiam aliquam spectabit, eam sæpe renouare, siue sæpe oblationem facere bonorum operum, indulgentiarum, &c. pro defunctis. Sicut laudabile, & suadendum est, omnia opera nostra, & singula in particulari, quoad fieri potest, actualiter ad gloriam & gustum Dei dirigere. Quamuis enim satis sit, ex aliquorum sententia, ad hoc, vt nè tuo desiderio, & effectu frustreris, semel generalem intentionem fecisse, quâ opera tua & indulgētias certis quibusdam animabus attribuisti, cum proposito, semper in eâdem mente & intentione persistendi; tamen multis de causis expedit, sæpius eam repetere. Similiter eidem operi sæpe plures indulgentiæ annexæ sunt; vel quia plures Pontifices eas concesserunt; vel quia plura numismata cum indulgentijs, imagines, aut similia habes, quorum vnum certas quasdam habet indulgentias, ad hoc opus alligatas, aliud pro eodem opere alias; consultum est, omnes simul & coniunctim defunctis applicare, sic: *Domine, quidquid ex hoc opere, v.g. Sacro, Rosario, &c. indulgentiarum*

vndecunque acquirere possum, & in has N.N. animas Purgatorij transferre; id omne in illas transfero, eiq; dono. Quodsi aliqua ex causa in has transferri non possunt, dono alijs N.N. si nulli, nec simul omnibus prodesse possunt, mihi seruo. Causa, cur hoc dicam, est: quia fieri potest, vt multas habens indulgentias, huic operi annexas, non sis memor, nisi aliquarum, & has solas applices, oblitus aliarum, quas etiā applicare posses; ex obliuione tamen non facis. At modo prædicto omnes in vsum, & vtilitatem cedunt. Imò rectè etiam faceret, qui nesciens, an aliquæ certo alicui pio operi annexæ sint, diceret: *Domine, si hoc opus, quod facio, habet adiunctas aliquas indulgentias, eas vna cum parte satisfactionis, quæ mihi ex eo obueniret, dono his N.N. animabus.* Probabile enim aliqui esse putant, nos lucrari indulgentias opere aliquo, si illi sint annexæ, quoties opus illud peragimus, etiamsi nesciamus, annexas esse. Denique quidquid industriæ inuenire, aut excogitare potes, qua maiora commoda defunctis procures, quidquid conferre in illas charitatis, id nè omitte. Est enim solers, & ingeniosa vera ac syncera charitas, & simul viscera sua amplissimè dilatat; præsertim cùm id magno tuo lucro, & diuinæ gloriæ augmento sis facturus, cum Matris dolorosæ solatio.

§. 13.

§. 13.

Quartus modus iuuandi defunctos per Matrem dolorosam.

Consistit hic modus in eo, vt non contenti vijs & modis & industrijs omnibus per nos & per Sanctos; & potissimum per Matrem dolorosam, illis prodesse, alios etiam, quotquot in hac vita possumus, ad eandem pietatem pro nostra facultate inducamus, vt ij quoque, præsertim per Matrem dolorosam, idem, aut etiam plus præstent. Hoc autem fieri posset, Primò, Si instituta in honorem Matris dolorosæ Sodalitas, de qua egimus praxi 1. vel tota, vel magna ex parte eò ordinaretur, vt simul illi colendæ, simul iuuandis Purgatorij animabus sese impenderet, huncq; cultum, inter cæteros Virgini mœstæ gratissimum, vt ex sex rationibus initio huius praxis allatis patet, ei exhiberet. In huius Sodalitatis Conuentibus omnibus & singulis semper aliquid dici, aut fieri posset, quo Sodales ad commiserationem & auxilia animabus præstanda excitarentur; quod non esset difficile. Nam ex Matris dolorosæ doloribus cogitatis, aut explicatis, facilis est ad dolores Purgatorij transitus, quibus eius filij torquentur. Preces, quæ initio, & præsertim in fine cuiusuis conuentûs dici solent, adiunctam haberent orationem aliquam pro defunctis. Sacellum aliquod, si ferret commoditas ad eum finem

destinaretur, vestireturque pullo colore; hic enim color & Matri dolorosæ, & defunctis congruit. Solemniores aliqui dies per annum statuerentur, in quibus peculiaris Dolorosæ Virginis cultus in peculiaria defunctorum auxilia dirigeretur. Et possunt plures tales dies esse, cùm mysteria dolorosæ Virginis plura sint. Addi his diebus possent pleraque omnia per annum sabbatha, quæ Matri dolorosæ sacra, esse ostendi praxi 3. addi & triduum, biduumúe, aut saltem vnus dies ante Assumptionis Deiparæ festum, vt sicut ante Dominicam Resurrectionis recolitur memoria passionis Domini; ita eo tempore recoleretur memoria passionis Dominæ: præterea pie per Quadragesimam vsque ad Paschalia, idem peculiari studio præstaretur. Nec enim dolores Filij & Matris meditando disiungi debent, inter quos tanta est connexio. His igitur diebus præcipua cura (nam nec alijs languere deberent) feruerent studia pietatis Sodalium erga defunctos, per orationes, mortificationes, eleemosynas, &c. Missæ Sacrificia, quæ communiter Sodalitas habere solet, defunctis applicarentur, siue essent Requiem, siue alia, in honorem Matris dolorosæ, cuius vel sola mentio ad dolores ab animabus Purgatorij auertendos occasionem & deuotionem præbet. Eò etiam spectarent Sacræ Communiones & Confessiones, certis temporibus Sodalibus indicendæ ex regulis, vti & aliæ

aliæ piæ exercitationes, cæteraq; omnia, quæ ingeniosus quispiam & industrius Matris dolorosæ, & simul animarum Purgatorij amator, pro varijs temporum, locorum, hominum, rerum circumstantijs poterit excogitare. Et acuet amor ingenium.

Secundò. Vbi aliquas ob causas tales Sodalitates erigi non possunt, poterit forte idem fieri sub titulo non Sodalitatis, sed Deuotionis erga Matrem dolorosam simul & animas Purgatorij, certum aliquod sacellum, prout suprà dixi, ad eum finem constituendo, & lugubriter ornando, in quo per Matrem præcipuè dolorosã pro defunctis oretur; Missæ sacrificia per hebdomadam stata procurando, ad quæ audienda Fideles vtriusque sexûs inuitentur: dies certos, vt antè memoraui, cum solennitate aliqua in honorem Matris dolorosæ indicendo; quod multum faciet ad amplificandam populi pietatem, & defunctorum emolumentum; Sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ vsum ad eandem intentionem in certis festiuitatibus inducendo: Indulgentias, siue huic Sacramentorum vsui, siue alijs orationibus, aut pietatis operibus, in honorem Matris dolorosæ obitis, procurando, quæ possint applicari Fidelibus defunctis; &, si quæ prætereà addi queunt. Porrò ad populum ad iam dicta & similia permouendum, collaborare sedulò debent Concionatores, Catechistæ, Confessarij, Conuersatores

satores &c. Et posset hæc deuotio ex vrbibus ad oppida & pagos (sicubi opportunitas esset) propagari, si oppidani & rurales Parochi suos Parochianos, aut alij, quibus ea est facultas, & authoritas ad eandem extimulent & permoueant; &, si à multis per viciniam conspiraretur, supplicationes certo tempore institui possent, aliaque feruoris excitamenta, adhiberi. Nescio enim, quo pacto mentes Fidelium peculiari quodam instinctu ad pietatis sensum in Virginem dolorosam incitentur, vt ex ijs liquet, quæ praxi 1. & 2. commemorauimus, & haud dissimili commiserationis affectu ad animas, piacularibus flammis addictas, iuuandas propendent, modò sit aliquis, qui stimulos magis subdat, facem præferat, & facilè secuturos animos ad optima quæque manuducat: sæpeque eiusmodi rebus facere initium, videtur, ob apparentes aliquas, non satis solidas rationes, arduum; verùm cùm DEO, & Matre dolorosâ fretus, inceperis, prona inuenies omnia, & ea fieri cernes, quæ fieri posse non putabas, vt frequenter experti sumus, & oculis nostris perspeximus, cum aliorum etiam admiratione. Quod si etiam aliqua se obijcit difficultas, ea magno animo minor erit, adeoque constantiâ & generositate superabilis.

Tertiò. Alijs præterea modis subueniri publicè defunctorum animabus potest. In Morauia per diœcesim Olomucensem, dum isthic essem,

essem, ad trinũ pulsum, quo ad salutationem Angelicam signum vesperi dabatur, addebatur quartus pulsus pro defunctis. S. Xauerius in India sub noctem cum tintinnabulo vrbiũ plateas obibat, eius sonitu, & clarâ voce Fideles adhortans ad fundendas preces pro animabus Purgatorij, & pro viuis, existentibus in peccato mortali; qui mos multis in locis etiamnum laudabiliter viget. Ex quibus, & alijs similibus sumi potest idea ab ijs, quibus id integrum est, aliquid his affine, aut aliud æquiualens, vel etiam melius statuendi, Matris dolorosæ patrocinio, & erga eam deuotione simul iunctâ.

Quartò. Huc referri possunt legata, Capellaniæ, & piæ Fundationes pro defunctis, cum annuis reditibus, quas viui faciunt, ad perpetuum, post obitum, suum, & consanguineorum suorum, aliorumúe in futura vita, si eo in purgatorio egeant, subsidium ac leuamen; per celebratas ex Fundationibus illis Missas &c. Monendi autem sunt tales Fundatores, vt suam intentionem non restringant ad se solos, aut suos cõsanguineos iuuandos; sed, si contingat, vt nullus horum sit, qui talibus suffragijs indigeat, aut sit eorum capax, vt certis alijs animabus applicentur; quod illis sæpe, talium rerum rudibus, suggerere debẽt Patres Spirituales & Confessarij &c. Nam alioquin si nec ipsi talem intentionem forment, nec Capellani, alijue (qui etiam ali-

quando neq; docti sunt, neq; multùm de subleuandis alijs animabus soliciti) nisi pro solo Fundatore defuncto, aut ad eius intentionem Missas dicant, aut alia suffragia peragant; multæ animæ auxilio opportuno destituuntur, quæ iuuari potuissent. Et hi quoque Fundatores in honorem Matris dolorosæ , & ad magis obtinendum eius patrocinium , eiusmodi Fundationes si faciant , rectè sanè facient. Denique, ad communem non per se tantùm, sed etiam per alios pro defunctis, mediante Matre dolorosâ, exercendam pietatem, conferre possunt omnes ferè illi , qui in alios iurisdictionem aliquam obtinent, aut eos suæ curæ commissos habent, vt sunt, patresfamilias in domibus, qui familiam ante cubitum, aut etiam alijs opportunis temporibus , seu domi, seu foris, suo & exemplo & authoritate ad eam impellant: Ludimagistri in scholis, qui eam discipulis instillent, suadendo, modos docendo, media, subministrando: & alij, tum ex Ecclesiastico, tum ex ciuili Magistratu. Item concionatores, alijq; in vinea Domini operarij. Si quæ alia tibi, pie & experiens Lector, occurrerint, in bonum animarum Purgatorij, quæ hic posita nō sūt, ijs & tu vtere, & alijs suggere, nostrūq; defectū supple.

§. 14.

Quo ordine iuuandæ sint animæ Purgatorij?

Ante omnia notandum est diligenter (verendum

rendum

tendum enim est, nè multi, præsertim rudiores, in hoc errent) vt, cùm animam aliquam Purgatorio eripere, vel ei leuamen afferre vis, certam aliquam determines, cui suffragia applicare velis. Nam, si nihil aliud apud te dicas, quàm hoc indeterminatè: Volo per hoc N. pium opus, per has indulgentias &c. aliquam animam purgatorij liberare, vel iuuare; & nullam specifices; nullam liberas, nullã iuuas; sed operis tui valor venit in thesaurum Ecclesiæ, & in nullius commodũ cedit. Ex hoc aliud itidem notandum sequitur, vt, licèt certæ alicui, & per te determinatæ animæ (v.g. tui parentis defuncti) suffragia applices; si tamẽ vis, vt hæc suffragia vel illi, vel alteri alicui Purgatorij animæ prosint, præter animam v.g. tui parentis, aliam quoque specifices ac designes, cui hæc suffragia quæ pro parente facis, applicentur, posito, quòd parens vel illis non indigeat, quia iam est in cælo; vel eorum non sit capax, quia est in inferno, vel illi DEVS indulgentias applicare nolit. Nam, si orans pro tuo parente, cui tua suffragia non prosint, nullam alteram certam animam, cui prosint, apud te determines, similiter nihil efficies; sed pretium tui operis veniet in thesaurum Ecclesiæ, qui tam diues est, vt tuis accessionibus non egeat. Dices: Quid, si nec altera illa anima, quam sub conditione post animam parentis mei determinaui, suffragiorum meorum sit capax, eò quòd ipsa quoque

vel in cælo, vel in inferno sit &c? Respondeo, tunc te debere sub illa conditione tertiam aliquam determinare: &, si nec hæc sit capax, quartam; si nec quarta sit capax, quintam; & ita consequenter. At, inquies, quis potest tot catenatas reflexiones facere, cùm vult v. g. orare Rosarium, Sacrum dicere &c? fieretque id cum magna capitis fatigatione. Respondeo, non esse opus aut caput fatigare, aut illis reflexionibus inhærere, si hac praxi vtaris. Fac tibi catalogum semel pro semper certarum animarum, quas potissimum vis iuuare, eumque catalogum vel solâ mente concipite, vel potiùs calamo conscribe, aut alteri dicta, qui conscribat. Pone v.g. primò animam illam, cui ex iustitia, vel obedientia obligatus es tuis suffragijs subuenire. 2. Animam tui parentis. 3. Matris. 4. Fratris, aut sororis, &c. 5. Tui noti, & in vita tibi familiaris. 6. cui maximè aliquo titulo debes, vel quia tuam opem maximè expetit; vel quia tu ei fuisti causa Purgatorij, vel grauiorum eius poenarum &c. Quodsi aliqui ex his sint pares; nam plures v. g. fratres, aut sorores, aut amicos &c. defunctos habes, vel plures in eo conueniunt, quòd æquè vni atque alteri debeas; tunc cogita, & statue apud te, quòd velis ex his vnum alteri præferri, qui vel primò mortuus est, vel proprior est liberationi, vel aliud quid habet, ob quod illum præferre malles; vel certè pluribus ex his simul tuum

hoc

hoc suffragium applica, vt cuilibet certa aliqua portio obueniat. Insuper, vt sis magis securus, ad hunc catalogum (quanquàm etiam extra hunc catalogum id securè fieri potest) adde multas alias certas animas v. g. eam, quæ maximè Matrem dolorosam (quandoquidem nunc de illa agimus) in hac vita amauit, quæ maximè deuota fuit passioni Christi, venerabili Sacramento &c. aut huic, vel illi Sancto Patrono tuo, S. Angelo Custodi &c. (quod potissimum in eorum Festis facere conuenit, aut diebus, qui sunt certo mysterio colendo præcipuè destinati. v.g. die Iouis determina animam maximè deuotam SS. Eucharistiæ &c.) quæ maxima tormenta sustinet, quæ ab alijs maximè deserta est, quæ hac vel illâ virtute excelluit, quę omnium est sanctissima, & sic de alijs, prout tua tibi pietas suadebit. Confecto hoc catalogo, cùm vis suffragia defunctis applicare, dic: Domine, offero tibi pro hac N. determinata anima, quod si illa non est capax, vel aliquid illi residuum est, vltra id, quo indiget, pro alijs eo ordine, quem antea mente conceptum, vel descriptum habeo, dignare pro illis acceptare &c. Et sic ad quodlibet opus in momento ferè cogitare potes, nec indiges nouis alijs reflectionibus, aut capitis fatigatione. Mutandus tamen tibi erit hic ordo, cùm de aliquo recens defuncto intelliges, quem debeas, aut velis iuuare; is enim huic ordini erit interserendus. Et, cùm pau-

paulatim ij, pro quibus eo ordine suffragia applicas, fortè liberentur ex Purgatorio; non erit abs re, vt alij in eum ordinem intrent, quibus liberandis operam des. Præterea sæpe ratio suadebit, vt huius, vel illius defuncti hic & nunc potiorem rationem ducas. Nam, si v. g. virtute humilitatis indigeas, aut castitas tua oppugnetur, vel in periculo sit &c. offer tunc suffragia potissimùm pro illa anima, quę humilitatis, aut castitatis virtute præ alijs prædita fuit, quod fiet non magna cum capitis, vel mentis applicatione. Habito enim ordine illo, & catalogo constituto, hæc adiectitia parui negotij sunt, ei præcipuè, qui *vsum iam aliquem & consuetudinem acquisiuit.*

Circa indulgentias hoc præterea obseruandum, vt, quæ non sunt plenariæ, sed aliquot v. g. annorum, applicentur ijs animabus, quæ proximæ sunt liberationi (nisi aliud peculiaris aliqua ratio v. g. consanguinitatis &c. suaderet) sic enim multæ vnà iuuarentur, cùm quælibet exiguo indigeat; plenariæ autem seruentur, cæteris paribus, pro ijs, quibus diuturnum est Purgatorium.

Quod si petas, an pro omnibus simul defunctis sæpe orare, seu suffragia alia offerre sit consultius? Dico, cùm satisfactiones nostræ, quas pro animabus illis offerimus, sint valoris limitati; tantò minùs singulæ acquirunt, quantò sunt plures, quibus applicamus; adeo-

que

que si omnibus simul applicamus, parum admodum, & quasi nihil singulis obuenit. Nihilominus quando multi simul huius vitæ homines pro omnibus in genere orant, & tu cũ illis etiamsi parum sit, quod tu confers; tamen ex collatis omnium symbolis notabile aliquid consititur, quod singulæ animæ participant. Talia tempora, quibus pro vniuersis defunctis oratur, sunt dies Commemorationis omnium Fidelium, 2. Nouembris, & ferè omnes dies Lunæ. Vnde tunc quoque præcipuè & tu cunctas simul communi charitate complecti poteris.

§. 15.

Etiam aliis afflictis, & ærumnosis in honorem Matris dolorosæ succurrendum; quod ipsum ad iuuandos defunctos confert.

Præter defunctos, viuis quoque afflictionibus & ærumnis constitutis, succurrere, pertinet ad cultum Matris dolorosæ, eiq; id vehementer placere, colligi potest ex rationibus, quas primis paragraphis pro defunctis attulimus. Aliquæ enim ex illis rationibus etiam pro viuis ærumnosis militant. Et verò, vt hoc potissimum adducã, cùm sciat Virgo sanctissima, quicquid fit à nobis Christianæ charitatis esurientibus, sitientibus, captiuis, ægrotis, &c. Christum sic acceptare, quasi sibi fieret;

quo-

quomodo id non summè illi placeat, quæ Christum filium suum magis amat, quàm sei maiorem proinde gustum & oblectationem capit, si Christo aliquid gratum fiat, quàm sibi &, cùm Christus se in quouis ærumnoso, cui pro illius amore succurrimus, intueatur, & æstimet; quippe qui frater eius sit: sic enim Matth. 25. ait: *Quod vni de his fratribus minimis fecistis, mihi fecistis*; quis dubitet, eundem sensum esse Virgini, quæ vnius cum Christo spiritûs est? Quod si ita est, obsecro, si Christo coram dolorosissima Matre in cruce pendenti, clamantique: *Sitio*! potum conuenientem sedandæ siti, & reficiendis viribus attulisses, paruóne id illi *solatio* fuisset? Si *viro* illi *dolorum, & scienti infirmitatem* leuamentum aliquod, vel auxilium, præstitisses; imò si vel ei ex pio commiserationis affectu condoluisses, nonne id Matrem afflictissimam recreasset? At in infirmante fratre tuo ac dolente infirmans ac dolens, in sitiente sitiens Christus est; & sic de cæteris afflictionibus fratrum nostrorũ, quæ similes illis cum Christo sunt. Vides igitur, quàm apposite & congruenter ad consolationem, & complacentiam Sanctissimæ Matris, quatenus dolorosa fuit, facias, si afflictis & ærumnosis succurras, si sitientes potes, si nudos vestias, si ægrotos iuues, si captiuos inuisas, aut redimas, si iniquè oppressis auxilio sis; aut, si hæc non possis, saltem illis ex animo,

& Dei

& Dei amore condoleas, & subuenire, si posses, velis, in quibus illa suum in passione Filiũ sitientem, in cruce nudum, doloribus & ægritudine plenum, ab impijs captum, & iniquissimè indignissiméq; tractatum intuetur. Præcipuè autem hoc charitatis affectu opitulandum est, quantum à nobis fieri potest, moribundis, vt Dolorosæ Matri, quæ morientem Filium suum vidit, in eius rei memoriam hũc honorem habeamus. Item ijs, qui in longè grauiore malo, & infelicitate sunt constituti, id est, in peccatis; idque etiam ob eam peculiarem causam. Nam, cùm Christo peccata nostra ea vulnera inflixerint, eos cruciatus crearint, quos passus est, Matri quoque dolorosæ immensæ amaritudinis, & tristitiæ origo fuerint, qui peccata sustulerit, ijsque hominẽ exsoluerit; simul Christo dolorum, ac vulnerum, simul Matri dolorosæ amaritudinem ac tristitiæ materiam quodammodo subtrahet, simul miserrimum hominem, qualis est peccator, summâ infelicitate expediet, gratiâque diuinâ ornatum, iucundum vtrique obiectum faciet. An non istud erit Matrem dolorosam solari & exhilarare? Notent hoc Confessarij, & animarum curatores, hócque motiuo suum studium, & diligentiam ad conuertendos iuuandosque peccatores acuant.

Est & aliud motiuum, quod nos ad succurrendum ærumnosis & afflictis impellat, quodque ex eo ortum Matri dolorosæ solatium, &

compla-

complacentiam nostramque charitatem duplicet. Nam viuis miseris, afflictisque subueniendo, subuenire possumus defunctis, maioribus miserijs pressis; adeoque, vt dixi, & duplex hæc charitas nostra erit, & duplex Matris dolorosæ solatiũ. Antiqua est inter Christianos in Germania consuetudo, vt Die Cõmemorationis omnium Fidelium animarum, aut etiam, cùm exequias defunctis consanguineis celebrant, balneum instituant, quod vocant Seelenbad hoc est, Balneum animarum, in quo mendicos, priùs nitidè lotos, lautè deinde cibo, potuque reficiant, & eleemosynis iuuent. Idem fit in Polonia (an etiam alibi fiat, non habeo dicere) vbi hoc charitatis genus appellatur Animularum refectio. Hæc mendicorum in balneo lauatio (qui, cùm subinde pudore, squalore, scabieque, &c. obsiti sint, multùm ea recreantur) in memoriam reducit ardens illud purgatorij balneum, quo animæ purgantur; & miserorum hominum refectio refectionem & pœnarum relaxationem; quæ hac benignitate in pauperes intenditur, quin etiam procuratur. Nam, vt innuit Propheta Daniel, *peccata* (eorumque pœnæ) *redimuntur eleemosynis, & misericordiis pauperum*. Magna est Dei nostri bonitas, qui charitatem nostram in proximos voluit esse tam fructuosam, vt vno opere multis prodesset, viuis, defunctis, quin etiam simul, & vel maximè nobis. Longè enim plus nobis accedit vtilitatis,

Dan. 4.

litatis, quàm alijs, quibus benefacimus. Nam, vt augmentum diuinæ gratiæ taceam, nullis huius mundi opibus, etiam in infinitum auctis, satis æstimabile; primùm pauperes, mendicos, miseros, facimus nobis amicos, qui nos *recipiant in æterna tabernacula*, hoc est, cæli Reges, atque Imperatores creent. Rectè enim quidam mendicos, Imperij electores appellauit, quorum (Christo attestante) ope, & suffragio in solium Imperij, quod Dominus vocat *æternum tabernaculum, recipimur*, ac collocamur: & quidem talis Imperij, respectu cuius totum Romanum Imperium, etiam cùm florentissimum, potentissimumque esset, nè quidem pugillus est terræ, & non nisi particula stercoris: nam S. Paulus *omnia hæc arbitratur vt stercora*; & sine dubio verè ac rectè arbitratur ex ipsius veritatis sensu. Deinde alios eodem opere amicos nanciscimur, hoc est, defunctos, quos ex Purgatorio liberamus, non Electores tantùm, sed Reges iam atque Imperatores, quorum quiuis & Regio nos in hac vita fauore, ac munificentia prosequitur, & regna atque imperia nobis procurat ac parat; quippe cùm vnum illud regnum regnis omnibus, imperijsque sit maius, eaque & cōplectatur, & excedat vniuersa. His accedit Regis Regum, Reginæque Matris (quæ vt ei adstitit in cruce pendenti, ita nunc *adstat à dextris eius in vestitu deaurato*, Reginis cincta minoribus, adeoque Reginarum Regina) exi-

Lu. 16.

Ps. 44.

miâ

miâ beneuolentiâ & gratiâ, quam vnicum illud opus; tot iam dotatū muneribus ac præmijs, ita sibi demeretur; vt præmia omnia ac munera vni huic beneuolentiæ ac gratiæ sint longè posthabenda. Potéstne ad cumulum felicitatis sperari aliquid ampliùs? Atqui vnica in egentes & afflictos misericordia re declaratâ, ita nos beat. Porrò magis hic multiplicatus vnius operis misericordiæ, & charitatis fructus se prodit, quando operi illi annexæ sunt indulgentiæ, quas in animas purgatorij transferre possumus. Ita Vrbanus VIII. Pontifex inter cæteras indulgentias, quas defunctis applicare liceret, certas quasdam dedit eis, qui orarent pro moribundis, *siue agonizantibus* vel vnum saltem Pater, & Aue. Igitur orando pro moribundis (quos iuuare, iā suprà dixi, præcipuè ad Matris dolorosæ cultum pertinere) illis miseris, & vehementer afflictis succurris; & præterea quidquid in hac oratione satisfactionis est, id potes donare defunctis, & insuper indulgentias eisdem attribuere. An non hoc est, *seminare in benedictione, vt in benedictione & metas*? Idem est, si alteri cuipiam misericordiæ operi attributæ sint tales indulgentiæ, siue id corporale sit, siue spirituale. Imò spiritualia, vt; diuina rudes docere, à peccatis hominem abducere, &c. multò magis hos multiplices fructus ferunt. Nam hæc & ex se præstantiora sunt, & plus habent satisfactionis, cæteris paribus, quàm corpo-

2. *Cor.* 9.

corporalia; adeoque magis defunctos iuuare possunt, satisfactiones illis applicando. *Fratres mei*, dicit S. Iacobus c. 5. *si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum: scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Vides, quàm satisfactorium sit, conuertere aliquē ab errore viæ suæ, &c. vt operiat multitudinem peccatorum. Multæ insuper indulgentiæ concedi solent Catechistis, & alijs, qui operibus misericordiæ spiritualibus vacant, quibus charitas in defunctos amplietur. His ergo, siue corporalibus, siue spiritualib⁹ charitatis operibus, in honorē Matris dolorosæ, cui adeò placent, & simul iuuandis defunctis sedulò te addicito. Exempla eorū, qui in hoc genere Christo & Deiparæ se probare studuerunt, hîc, breuitatis causa, non affero; quia vbique ea inuenies. Vide Spinellum c. 29. qui multa Xenodochia amplissimis reditibus dotata, Domos & Montes pietatis erectos ingētium sumptuū, Romæ, Neapoli, Venetijs, &c. in honorem Sanctissimæ Virginis, & sub eius titulo recenset, cum perpetua & plurima magnæ charitatis exercitatione. Inter reliqua notabilis, ad nostrum argumentum, est Mons pietatis Neapoli, in quo est Sacellum, dicatū Beatæ Virgini, quam vocant Pietatis, quæ à cruce, cui adstat, gemebunda filium exanimem, dum deponitur, expectat, vt eum vulneribus,

neribus, plagisque consciſſum, ſuo exceptum gremio, maternâ pietate deploret ac lamentetur.

Praxis VIII.

Horologium Paſsionis D. N. IESV CHRISTI ſedulo exercitio obſeruare, eámque ſæpe recolere.

§. I.

Quid ſit horologium Paſsionis?

LEo X. & Paulus V. Pontifices conceſſerũt mille dierum indulgentias ijs, qui, auditâ horâ, Salutationem Angelicam orarent. Hæc deuotio, vt Deo gratior eſſet, nobiſque magis meritoria, excogitatum eſt à quibuſdam, vt ad ſingulas horas in medio Salutationis Angelicæ ſingula, & diuerſa myſteria paſſionis interſererentur, modo infrà ponendo, aptè ad tempus illud, quo contigerunt, accommodata, offerendo ſimul opera noſtra ſequẽtis horæ per Matrem doloroſam, in vnionem dolorum, quos Chriſtus pro nobis in illa hora pertulit, vel myſterij, quod obiuit: offerendo, inquam, pro noſtris & Eccleſiæ neceſſitatibus, potiſſimùm autem pro fidelibus defunctis. Porrò myſteria paſſionis per ſingulas horas ſic diſtribuuntur, incipiendo, iuxta horologium Germanicũ, ab hora ſexta veſpertina

(circa

(circa hanc enim horam cœpit Christi passio in æquinoctio) & continuando, atque ad nonam, post quam cùm ordinariè homines ad quartam circiter dormiant, horæ intermediæ omissæ sunt, vsque ad tempus matutinum, quo resumuntur.

PASSIONIS MYSTERIA in suas horas distributa, Salutationi Angelicæ interserenda.

VESPERI Hora 6.

IESVS pedes discipulorum lauans.

Hora 7.

Seipsum nobis in cibum tradens.

Hora 8.

In horto orans & sanguinem sudans.

Hora 9.

A Iudæis captus.

MANE, Hora 4.

Post multa totâ nocte tolerata, reus mortis à Concilio proclamatus.

Hora 5.

Vinctus ad Pilatum ductus, & iniquè accusatus.

Hora 6.

Missus ad Herodem.

Hora 7.

Barabbæ postpositus.

Hora 8.

Flagellatus.

Hora 9.

Spinis coronatus.

Hora 10.

Ad populum à Pilato productus.

Hora 11.

Crucem baiulans.

Hora 12.

Crucifixus.

A MERIDIE Hora 1.

Te Matrem suam, & nostram allocutus.

Hora 2.

In cruce sitiens aceto potatus.

Hora 3.

In cruce mortuus.

Hora 4.

De cruce depositus.

Hora 5.

Sepultus.

Obseruatis igitur per singulas horas passionis mysterijs, & memoriæ commendatis (ad quod iuuare poterit ad initiũ huius pij exercitij tabella aliqua, oculis proposita, in qua sint descripta, donec menti penitùs infigantur) quando audies v.g. horam sextam vespertinam, sic orabis: Aue MARIA gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu

tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS, *pedes discipulorum lauans*, in cuius honorem, & gustum omnia opera mea, quæ (absque peccato, quod auertat à me Dominus) sequenti horâ facturus sum, dirigo, & vnita sacratissimo huic passionis mysterio offero pro meis, & Ecclesiæ necessitatibus, & potissimùm pro hac, vel his N.N. animabus purgatorij, per tuas maternas & sanctissimas manus: Sancta MARIA Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ, Amen. Auditâ horâ v.g. 7. vespertinâ, ora AVE MARIA, vsq; ad FRVCTVS VENTRIS TVI IESVS, *seipsum nobis in cibũ tradens*; in cuius honorem & gustum &c. *vt supra*. Et sic qualibet horâ suum cuilibet attribuendo mysterium. vt: IESVS *crucifixus*; vel, *de cruce depositus*, vel, &c. in cuius honorem & gustum, &c. &c.

§. 2.

Quàm sit vtile hoc exercitium?

Hoc exercitium sine dubio est vtilissimũ. Nam vel sola passionis Christi frequens memoria nobis vehementer prodest, vt dictum est lib. 2. c. 13. quæ hîc tam aptè distribuitur, vt tum advitandum tædium, tum ad nouum ciendum affectum aliud semper, atque aliud,

 idque

idque singulis horis conueniens, ponatur mysterium. Quàm enim vel hoc solum mentem afficit, si, auditâ horâ duodecimâ meridianâ, dicas cum S. Ignatio Martyre: *Hac hora amor meus crucifixus est.* & sic de alijs horis. Ita fiet

Cant. 1. tibi *fasciculus myrrhæ dilectus* tuus. Eò referri possunt verba S. Bernardi serm. 43. in Cant. quibus monet, vt nè ad horam quidem obliuiscamur passionis Christi: *Depinge*, inquit, *tibi quasi ante oculos Dominum in cruce pendentem, & nunc pro clauis, nunc pro lancea suspirabis & gratias ages. Hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris auelli, amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione reuoluens.* Deinde oblatio operum nostrorum memoriæ passionis Christi addita, idque in vnione eius meritorum, & per Beatam Virginem, quàm est fructuosa! O! quot sunt, qui eam, ob fugam modici laboris & diligentiæ, quam adhibere deberent, negligunt, seque per hoc grandi meritorum prouentu, & Deum multiplici gustu defraudant, opera sua indifferentia sine vlla supernaturali intentione ita peragentes, vt possit de illis accommodatè dici

Matth. 5. illud; *Nonne & Ethnici hoc*, & sic *faciunt?* Tandem petitio adiuncta in salutatione Angelica pro necessitatibus nostris & Ecclesiæ, & potissimùm pro fidelibus defunctis, magnam sumit efficaciam ex vnione cum meritis

meritis passionis Christi, & ex oblatione per sanctissimas Matris dolorosæ manus, iuxta ea, quæ diximus praxi præcedenti, §. 8. Porrò temporis progressu mens longo vsu assueta, facilem cum diuina gratia se experietur, vt omnes hos internos actus per admodum breue tempus intra Salutationem Angelicam includat, etiamsi ore non proferantur.

§. 3.

Quàm sit hoc exercitium dolorosæ Virgini gratum.

Hoc item exercitium ad insignem Matris dolorosæ cultum spectare, clarum est, cùm & in doloribus Christi versetur, ex quibus illa dolorosa est; & ad illam oratio dirigatur; & quia his passionis mysterijs illa vel mente, vel etiam corpore præsens interfuit, & per totam deinceps vitam suam ea assiduè recogitauit, vt patet ex libro primo capite vltimo; gratissimum erit illi, si nos in ijsdem piè rememorandis per singulas horas viderit occupatos. Enimuero ipsa duntaxat eius crebra salutatio, quæ in hoc Horologio includitur, illi iucundissima est, vt ex plurimis historijs compertum est. S. Bernardum solitum dicere, cùm Virginis imaginem præteriret: Salue MARIA; illa voce redditâ resalutauit: Salue Bernarde. Puer quidam decennis,

vt refert Landsbergius, cùm intellexiſſet, admodum ſalutare eſſe, ſi Deipara ad initium cuiuſuis operis ſalutetur, morem hunc protinus in ſuos mores induxit. Itaque non priùs edere, ſtudere, ludere, dormire, orare, aut quidquam aliud agere, quàm hæc verba vſurparet: SALVE MATER MISERICORDIAE. Huic in illa ætatula non immaturè, qui cælo maturauerat, morienti Virgo ſe coràm ſpectandam dedit, &: *Ego*, ait, *ſum illa miſericordiæ Mater, quam tu toties ſalutaſti*; atque adeò ſalutem illi mutuam & tunc precata eſt, & nunc per Filium largitur æternam. Et quid plura de ipſa Angelica ſalutatione commemorem? Ex eorum ore, qui *vel totam*, vel, cùm totam non poſſent, aliquam eius partem, ſæpe cum dulci pietatis ſenſu repetebát, poſt mortem vel lilia, vel arbores enatæ ſunt, in quarum folijs aureis literis inſcriptum erat AVE MARIA, vt de B. Ioſcione conſtat; & de alio ex Ordine Ciſtercienſi memorat Thomas Cantipratanus lib. 2. c. 29. §. 9. Maius illud eſt, quod refert Alanus lib. de pſalterio c. 69. de quadam Beatæ Virgini deuota, caſtitatem Religioſam profeſſa, quæ poſt mortem ſorori cuidam ſuæ apparens, præmiſsis Salutationis Angelicæ laudibus, hæc adiecit verba: *Si poſſem redire ad corpus, & vnum duntaxat* AVE MARIA *orare, tametſi ſine magna deuotione, ego propter meritum illius vellem tantum rurſus ſuſtinere cruciatum, quantum ante*

mortem

mortem perpessa tuli. Mirum igitur non est, tantopere Salutationem Angelicam à Sanctis fuisse frequentatam. S. Catharina Senensis, annos nata quinq; in singulis gradibus, quos scandebat, AVE MARIA recitabat, vt refert Reymundus in eius Vita. Idem B. Aloysius Gonzaga in eadem ætate factitasse scribitur. Margareta Hungariæ Regis filia ad festiuitates Beatæ Virginis celebrandas sic se præparabat, vt ante illas integra hebdomada quot diebus mille AVE MARIA oraret. Et quid opus est, singulos recensere, cùm id vniuersis Ecclesiæ filijs commune sit, quibus post PATER NOSTER solemne est addere AVE MARIA; qui mos potissimum incrementum sumpsit Anno 431. quando damnata hæresi Nestorij (qui negabat, Beatam Virginem Theotocon dici debere) & Pelagij, statutum est, vt ad salutationis Angelicæ verba adderetur: SANCTA MARIA MATER DEI &c. Et, nè desit Fidelibus stata ad hanc pietatem monitio, ter vbique, & trinum quotidie ære campano signum datur, quo excitentur, vt, sepositis alijs negotijs, Virginem salutent, cuius pietatis author est D. Bonauentura. Si ergo tam grata per se est Beatæ Virgini salutatio, crebrò repetita, quid si passionis Christi assidua cum pio affectu recordatione condiatur, singulis per diem horis nouo mysterio mentem pascente?

Quodsi cui etiam noctis horas addere li-

beat, facilè erit, ex ijs, quę noctu post nonam, aut circiter passus est Christus, suprà positis mysterijs alia addere, horis nocturnis, quas antè omisimus, aliquo saltem modo congruentia. Vt si ponas:

Hora 10. Noctis.

IESVS ad Annam ductus.

Hora 11.

Ductus ad Caipham.

Hora 12.

Alapâ coram Pontifice percussus.

Hora 1.

Velatus, ludibrio habitus, percussus, & pessimè per noctem à Iudaeorum ministris acceptus.

Hora 2.

A Petro negatus.

Hora 3.

A falsis testibus in concilio accusatus.

Reliqua vt suprà.

Alphonsus Rodriquez Societatis IESV singulis, tum diei tum noctis horis, somno interrupto, Beatam Virginem salutabat. Te si somnus idem facere non finit, at cùm aliquando euigilas, & horam audis, patientis Christi, quod in illam horam cadit mysterium cum salutatione menti obijce.

§. 4.

Noua Sodalitas instituta, ad recolendam Christi paßionem.

Præter hanc horariã paſsionis Chriſti memoriã, in ſalutatione Angelica incluſam, alij quoque modi eſſe poſſunt, iíque vel prolixiores, vel breuiores, quibus recolatur, ad Chriſti ſimul & Matris eius doloroſæ venerationem ac guſtum. Egi de hac materia lib. 2. c. 15. Hoc tantùm hic addo, inſtitutam non ita pridem in Belgio eſſe Sodalitatem quandam Chriſti Crucifixi, lateque, vt par eſt credere, iam ſparſam; ad quam qui admitti velit, non opus habet quemquam adire, cum eoque agere, vt in eam Sodalitatem cooptetur, ſed, ſi tria hæc obſeruat, hoc ipſo Sodalis eſt. Primò. Quotidie ſemiquadrantuli ſpatio aliquid de Chriſto patiente cum pietatis ſenſu recogitet. Et editus eſt libellus, in quo meditandi argumentum breuiter aſſignatur, certæque per ſingulos dies virtutes præſcribuntur, quarum interni actus, atque affectus, prout cuique ſua pietas ſuggerit, eliciantur, vt: Die Dominico, *Deteſtatio peccatorum & Timor Dei.* Die Lunæ, *Fiducia & Humilitas.* Die Martis, *Manſuetudo & Abnegatio ſui.* Die Mercurij, *Obedientia & Compaßio.* Die Iouis, *Gratitudo & Reſignatio in aduerſis.* Die Veneris, *Perfecta ſui oblatio & Charitas.* Die Sabbathi, *Zelus animarum & Deſiderium æternorum.*

quarum virtutum affectibus breues, vt dixi, consideratiunculæ pabulum præbent, quas, ne longior sim, non affero. Secundò. Quiuis ex ijs, qui in hoc Sodalitio esse cupit, quotidie orationem recitet, quâ se, suosque Consodales in Christi crucifixi manus & vulnera includat, eiq; commendet.

Oratio est hæc:

Manus tuæ, Domine, fecerunt nos, manus, inquam, illæ, quæ affixæ clauis sunt pro nobis: opera manuum tuarum nè despicias; vulnera manuum tuarum precor, vt inspicias: ecce, in manibus tuis descripsisti nos Domine IESV; *lege ipsam scripturam, & salua nos, O bone* IESV, *exaudi nos, intra vulnera tua absconde nos: ne permittas nos vnquam à te separari, in hora mortis voca nos, vt cum Sanctis tuis misericordias tuas in æternum cantemus, Amen.*

Tertiò. Qui hoc pactum iniit, quos commodè potest, ad eiusdem pacti societatem inuitet. Hæc deuotio & facilis & admodum vtilis est: &, si ad Matris quoque dolorosæ honorem atque obsequium referatur, vt reuera referri potest, cùm non possit nō illi esse gratissima; simul ad eius cultum, simul ad imitationem pertinebit. quandoquidem, vt ex suprà dictis patet, Virgo quoque doloribus Christi recolēdis fuit deditissima; quin ipsa eius imitatio cultus eius est, quo maximopere de-

delectatur. *Vide aspirationes ad Christum patientem & Matrem dolorosam in fine huius libri.*

PRAXIS IX.

Officium Beatæ Virginis dolorosum piè recitare.

Horarum, siue Officij recitatione Beatæ Virgini venerationem & cultum præstari, eumque oppidò gratum, non est necesse, vt probemus, cùm id plurimæ loquantur historiæ. Pelbartus lib. 1. Stellarij p. 4. a. 3. c. 2. ex pluribus authoribus refert, S. Ildephonsum Archiepiscopum Toletanum, præter librum illum, quem de perpetua Deiparæ Virginitate edidit, insuper nouem lectiones in Officio ad laudem Virginis, quolibet Sabbato dicendas, composuisse: cuius laboris hoc fuit præmium. Die aliquo Sabbati, cùm hymnodia quædam admirabilis in Ecclesia resonaret, ratus, Canonicos, se absente, Officium Matutinum decantare, eò confestim cum suis aduolauit. Templum ingressus, ecce tibi videt illud cælesti, & prodigiosâ luce circumfusum, & Angelos, per choros distributos, id ipsum Officium, ab se confectum, concinentes: DEI verò Matrem, quam cælestes illi Spiritus laudabant, in Episcopali cathedra residentem, quæ, absolutis Matutinis, ei, ad se ac-

cer sito, casulam illam, quæ hodieque in Hispania asseruatur, ad sacrificium celebrandum, cælitus allatam dedit. Equidem libenter Angelos operam suam ad recitandum piè Beatæ Virginis Officium conferre, ex alijs etiam exemplis patet. S. Francisca Romana ad lucem apparentis sibi Archangeli Custodis illud persoluit, quo comam concutiente, maligni spiritus fugabantur. Eandem in vinea Officium Beatæ Virginis orantem ingens nimbus, qui circumstantes omnes madefecit, non attigit, neque libro, ex quo orabat, quidquam madoris aspersit. Cum B. Maria Magdalena de Pazzis Angelus item tutelaris Officium recitabat. At verò Dæmonibus Officij Beatæ Virginis pia recitatio molestissima, aduersissimaque est; quod signum est, magnopere per illam, Diuam Virginem coli. P. Balthasarem Aluarez Societatis IESV, qui, dum adhuc Nouitius esset, Officium Beatæ Virginis ardenti erga illam affectu orabat, multis, & grauibus tentationibus, Dæmon impetebat; sed victus semper, & fugatus. Apparuit illi demum, dixitque: *Remitte tu, & ego remittam; præcipuè vt istam deuotionem dimittas, quam habes in istam mulierem, quam* MARIAM *appellant.* Verùm hæc Dæmonis verba Balthasari pietatis ardorem non restinxerunt, sed accenderunt magis, secum reputanti, quàm placeat Virgini hæc pietas, quæ Dæmoni tam ægre faciat. Cùm ergo religiosè dice-

dicere aliud quodcunque Beatæ Virginis Officium ita sit ad eius gustum & cultum; sperandum omnino est, fore, vt etiam dolorosum illi vehementer sit gratum, cùm alia omnia obsequia, doloribus suis exhibita, tam gratanter acceptet, vt ex hactenus dictis est manifestum. Serenissimus Imperij Elector, & Coloniensis Archiepiscopus Ferdinandus, Dux Bauariæ, &c. diuinum Officium de Matre dolorosa, quod olim in vsu fuit, ritè ordinari, ac restitui curauit; vt dixi praxi 2. Id si nancisci poteris (ego illud nondum vidi) pietati tuæ erga Matrem dolorosam seruiet; nec enim dubito, esse pium. Interim, quod ab alio quodam mihi oblatum est, priusquam hæc scribere cogitarem, accipe; quod an alicubi impressum sit, vti & à quo sit compositum, nescio.

OFFICIVM PARVVM DE SEPTEM DOLORIBVS BEATAE VIRGINIS MARIAE.

Ad Matutinum.

Gladius à Simeone prædictus.

Eia mea labia nunc annunciate
Dolores, & compassionem Virginis beatæ:
Domina in adiutorium meum intende.
Domina ad adiuuandum me festina.

Hymnus.

Septem tuos dolores
MARIA dum considero,
Tecum pati labores,
Tecum mori desidero.
Anna gemit senectus,
Et Simeon affligitur,
Doloris ense pectus
Quando tibi transfigitur.

Vers. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransiuit.

Resp. Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

ORATIO.

Interueniat pro nobis, quæsumus, Domine IESV Christe, nunc, & in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam Beata Virgo MARIA Mater tua, cuius sacratissimam animam in hora passionis tuæ doloris gladius pertransiuit, per te, IESV Christe, Saluator mundi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

Fuga in AEgyptum.

Domina in adiutorium meum intende,
Domina ad adiuuandum me festina.

Hym-

Hymnus.

Fugis MARIA, prolis
Onusta charo pondere:
Et luminare Solis
De nocte vis abscondere.
Ægyptus est asyli
Locus tuis amoribus:
Iuxta fluenta Nili
Liquescis in doloribus.

Reliqua, vt suprà.

AD TERTIAM.

Filij amißio.

Domina in adiutorium meum intende,
Domina ad adiuuandum me festina.

Hymnus.

In Patris esse rebus
Cùm nesciebas filium,
Visa es tribus diebus
Pallere, sicut lilium.
Clamans per angiportus
Fili! replebas æthera,
Dictura plus, obortus
Dolor premebat cætera.

Reliqua, vt suprà.

AD SEXTAM.

Occursus Christi baiulantis crucem.

Domina in adiutorium meum intende,
Domina ad adiuuandum me festina.

Hem-

Hymnus.

En fert trabale lignum,
Flagrisq; IESVS icitur.
O Mater! ecce signum,
Cui porrò contradicitur.
Eheu! crucem ferenti
Corpus pluit cruoribus,
Et cor tibi Parenti
Submergitur doloribus.

Reliqua, vt suprà.

AD NONAM.

Adstat Mater crucifixo Filio.

Domina in adiutorium meum intende,
Domina ad adiuuandum me festina.

Hymnus.

Caluaria est amoris,
Et est doloris vinea.
Sunt prela Vinitoris
Claui, & corona spinea.
Dum fixus est IESVS,
Crucisq; calcat torculum;
Amor dolore læsus
Premit MARIAE corculum.

Reliqua, vt suprà.

AD VESPERAS.

De cruce depositum Filium gremio excipit.

Domina in adiutorium meum intende,
Domina ad adiuuandum me festina.

Hym-

Hymnus.

MARIA, quando Petra
Sensu doloris scinditur,
Diesq; nocte tetrâ
Luget, tibi cor finditur.
De posta membra ligno,
Sed membra cassa lumine,
Foues sinu benigno
Lauas doloris flumine.

Reliqua, vt suprà.

AD COMPLETORIVM.

Planctus Virginis ad sepulchrum.

Conuertat nos, Domina, tuis precibus placatus IESVS Christus Filius tuus,
Et auertat iram suam â nobis.
Domina in adiutorium meum intende.
Domina ad adiuuandum me festina.

Hymnus.

Cum Filio sepulto
Lapis sepulchro aduoluitur.
Tibi MARIA, multo
Dolore vita soluitur.
Sedens ad antra tumba
Mæsto susurro murmuris,
Instar gemis columbæ,
Et plangis instar turturis.

Reliqua, vt suprà.

Com-

Commendatio.

O Mater! vt dolorum
Per hanc amaritudinem
Cælestium bonorum
Gustem suauitudinem;
Tecum pati labores,
Tecum mori desidero;
Septem tuos dolores,
Dum plango, dum considero.

Breuiculum, vt vides, est hoc officiolum. Eò cum maiori animi applicatione, & erga Matrem dolorosam amore atque affectu dici debet, qui defectum longitudinis suppleat & Virgo benedicta non tam attendit, quantum quis oret, quàm quo sensu & amoris affectu; quem tu conare semper habere vegetum ac floridum, ne tibi id contingat, quod de Hermanno illo, quem sibi in sponsum assumptum Deipara Iosephum nominauit, memorat Surius in eius vita. Is enim cùm ob varias incidentes curas in Officio & Horarijs precibus negligentior euasisset, occurrit illi Beata Virgo, fronte & figurâ anili ac rugosâ. Quam cùm ille non solitam speciem miraretur: *Talis*, inquit, *tibi appareo, qualis tibi iam sum. Vbi sunt illa tempora, in quibus me multùm salutabas, & laudabas? Non te pudet, in hac re esse remissum, & memoriam mei apud te senescere atque exolescere?* Felix fuit ille Iacobus Mloczky de quo Annuæ Socie-

ocietatis IESV, anno 1611. Rigæ, cui decimo nte obitum die Beata Virgo, duabus Virgibus comitata, se spectabilem præbuit, pronisitque cælum breui morituro, præmium eus pietatis, quòd Officium & Rosarium non x consuetudine tantùm, sed affectu planè ingulari quotidie persoluisset. Tibi igitur etam non consuetudo sola; sed flagrans in Beaam Virginem affectus magis cordi sit.

PRAXIS X.

Orare Rosarium, seu Coronam dolorosam & alias deuotiones obire.

I. ROsarij tanta vbique est æstimatio, vt nō sit opus illud commendare. & vix Fidelium est vllus, cui persuasum non sit, Virgini id sacrum sertum arridere atque in delicijs esse, quod à Sanctissimo parēte, ac fundatore Dominico acceptum, sacra potissimùm Dominicanorum familia, florens semper ac fragrans Deiparæ, per orbem Christianum conseruat, Confraternitatibus institutis, egregiæ huius pietatis, velut plantarijs ac seminarijs. Complectitur à prima sui origine quindecim decades, quarum quinque Gaudiosa, quinque Dolorosa, quinque Gloriosa mysteria continent; quæ quia passim nota sunt, explicare supersedeo. Et quia non omnibus vacat integrum semper hoc Rosarium absoluere, ad commoditatem orantium tres ex eo cōfectæ sunt.

ſunt coronæ, in quibus ſingulis ſeorſim vel Gaudioſa, vel Doloroſa, vel Glorioſa myſteria recolerentur; quibus etiam aliquando Roſarij nomen tribuitur. Porrò quænam ex his Coronis potiùs Deiparæ offerenda ſit, nó ſtatuo, cùm omnes illi mirificè placeant. Hoc ſolùm aio, eam, quæ doloroſis myſterijs innectitur, & nomini Roſarij magis aptè congruere; roſæ enim ex ſpinis leguntur, hoc eſt, ſuaueolens pietas ex acutis Chriſti ac Matris eius doloribus; & ingentes habere vtilitates, quæ nobis ex conſideratione Dominicæ paſsionis proueniunt, quâ ſalus noſtra parta eſt: & denique, ſi non præ alijs, certè non minùs alijs Coronis Doloroſam Coronam *Virgini* acceptam eſſe oportet, cui memoria dolorum Filij & ſuorum, vt ex dictis patet, eſt acceptiſſima.

II. Multis hæc Corona ornari, aut interſpergi poteſt deuotionibus, quas ſibi quiſque pro ſuo ſenſu poteſt excogitare. Sicut enim in cuiuſcunque Coronæ recitatione quidam aliqua interponunt, ad inflammandum affectum, ita & in hac interponi poſſunt. Sunt, qui poſt abſolutam quamlibet decadē Chriſtum, & Sanctiſsimam eius Matrem nunc millies, nunc decies, nunc quinquagies millies, nunc centies millies, &c. benedicant, ac laudent: vel poſt ſingulos decades, ſingulas Sanctorum claſſes ad laudandam Dei genitricem inuitent. Vt: poſt primam, Sanctos Angelos:

poſt

post secundam, Patriarchas, Prophetas, Apostolos: post tertiam, Sanctos Martyres; & sic deinceps alios, atque alios De quo vide Christianum Mayer in Enchiridio Industriarum p. 1. c. 13. In India occidentali à Patribus Societatis hic mos inductus est, vt ante Missæ Sacrificium pueri, puellæque ad templi fores seorsim in choros distributi altâ voce Rosarium alternatim sic recitent. Initium pueri faciunt illo præludio: *Benedictum & clarificatū sit sanctissimum nomen IESV*; quibus per antithesin puellæ respondent: *Et sanctissimæ Virginis MARIAE Matris eius nunc, & semper Amen.* Absolutâ quâque decade, intermiscent laudem: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.* S. Xauerius Amangucij in Iaponia inter Christianos, è gentilitate conuersos, effecit, vt, qui olim suas, quas in Ethnicismo vsurpabant, precatorias calculorum series ita percurrebant, vt suæ quisque sectæ conditorem Cames, & Fotoques nominatim implorarēt; superstitione in religionem versâ, Rosarium Beatæ Virginis orare sint edocti, interpositis, inuocatisq; identidem salutaribus IESV, & MARIAE nominibus. Quidam alia sibi pro suo affectu, & dispositione animæ comminiscūtur, quæ inter recitandum Rosarium ruminent. P. Desiderius ex Societate IESV, magnæ vir probitatis, de quo in p. 2. Hist. Societ. lib. 5. n. 120. adeò orando Rosario addictus, vt illud ob crebritatē orādi planè attriuerit; in prima

decade varij coloris, considerabat sua peccata: in secunda coloris pallidi, mortem: in tertia rubei coloris, Iudicium: in quarta nigri coloris, infernum: in quinta aurei coloris, cælum: in sexta argentei coloris, virginitatem Virginis. Erat enim quatuor nouissimis considerandis deditus. Nonnullos ipsa Virgo Deipara docuit modum peculiarem Rosarium percurrendi, vt P. Didacum Martinez ex Societate IESV, virum eximiæ sanctitatis, in quo integram quotidie horam insumebat, insigni cum animi sensu & fructu. Qualis autem is modus fuerit, proditum non est. Et verisimile est, P. Bernardinum Realinum ex eadem Societate, non minori sanctitatis laude, & in Deiparam studio præditum, modos quosdam singulares in orandis Rosarijs habuisse, quorum quotidie 12. persoluebat.

III. Alij alia inuenerunt, quæ Rosarij quoque, vel Coronæ nomine, quanquàm impropriè, indigitarunt. Tale est Sertum illud Stellatum, siue Corona duodecim stellarum, quibus duodecim virtutes Beatæ Virginis denotantur; quam vide descriptam apud Cornelium à lapide ad duodecimum caput Apocal. Tale psalteriolum, vel Rosariolum, constans 3. Pater noster, & 15. Aue MARIA; quod diuidi in tres partes potest, vt complectatur quinque mysteria gaudiosa ad quinque Aue MARIA; quinque dolorosa, & totidem Aue MARIA; & quinque similiter gloriosa. Describit hoc psalteriolum Christianus Mayer suprà §. 3. a-

liaque, similia tradit §.4. quem consule. Tale & illud fuit, quod in honorem nouem priuilegiorum, quæ Beata Virgo nomen illis mensibus à Deo accepit, quibus in vtero Filiū portauit, orare summa cum animi voluptate solebat P. Carolus Spinola Societatis IESV, pro fide Christi in Iaponia lentis ignibus exustus, & atrocia alia perpessus; quā deuotionem alios etiam, quos poterat docebat. Constabat id Rosarium (si sic appellare fas est) nouem Aue MARIA, ad quorum singula vnum aliquod priuilegium, quasi pro hospitij mercede Deiparæ collatum, perpendebat. Deinde gratias agebat Deo, eumque laudabat, quòd id ei cōtulisset. Tertiò similē gratiā pro se petebat. Hæc priuilegia fusiùs explicata vide in eius vita, à P. Fabio Ambrosio Spinola, & Hermanno Hugone conscripta, & Antuerp. edita.

IV. Aliqui modum quendam excogitarunt, in quo esset crebra repetitio alicuius piæ aspirationis, vel affectûs, vel propositi, vel precis, quem vocarunt Rosarium breue, vel Rosarium per affectus. Hoc vsa modo videtur S. Gertrudis, quæ singulis diebus hæc verba: *Non mea, sed tua voluntas fiat, mi amantissime IESV*; trecentis sexaginta quinque vicibus iterabat. Tale est Rosarium Sanctissimæ Trinitatis, de quo dixi lib. 2. c. 15. In hoc modo possunt adhiberi versiculi nunc hi, nunc illi; præsertim ex Sacra Scriptura, aut Sanctorum dictis desumpti (quanquam si magis iuuaris

à te

à te conceptis verbis, ijs vtere) prout præsens necessitas, aut animæ dispositio postulat, vel permittit. Nec difficile erit inuenire talem aliquem versiculum, qui colendæ Matri dolorosæ sit idoneus; vt si sæpe per calculos Rosarij repetas illud, quod Christus docuit Alphonsum Rodriquez: IESVS MARIA, *amores mei dulcissimi, patiar & moriar amore vestri.* Vel si ex hymno: *Stabat Mater dolorosa*; stropham aliquam tibi deligas, eamque iteras, verbi gratia. *Eia Mater, fons amoris, me sentire vim doloris, fac, vt tecum lugeam* vel: *Sancta Mater, istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo validè.* Vel aliquam ex Aspirationibus in fine huius libri *positis*. Vel denique aliud quid pro opportunitate & tua deuotione. Incredibile est, quàm hoc exercitium sit animæ proficuum ad vitia extirpanda, virtutes parandas, tentationes superandas, figendam mentem in DEO, si aptas aspirationes inuenias, quæ, cùm frequenter & continenter repetuntur, animum affectu, quem continet, tenaciter imbuunt & mirificè pascunt. Tales versiculi esse possunt huiusmodi, verbi gratia, cùm detestari peccatum vis, & de eo dolere, dic ad quemlibet calculum, in quo aliàs solet orari Aue MARIA; *Detestor, Domine, peccata super omnia alia mala, & summè doleo, quòd illis te offenderim, quem diligo super omnia alia bona:* si tentaris, aut aliàs ope DEI indiges; Rosarium

rium percurre hoc versiculo: DEVS *in adiutorium meũ intende, Domine ad adiuuandũ me festina*: Si virtutem aliquam vis adipisci, aut in ea te stabilire; eius, quam cupis, virtutis affectum, vel propositum per decursum Rosarij multiplica: & eò magis proficies, quò sæpiùs Rosarium per eosdem, aut similes eius virtutis affectus decurreris, modò illi affectus sint serij & efficaces. Sicut enim clauus multis ictibus incussus & profundius penetrat & fixiùs inhæret; ita, si virtutis alicuius affectum frequentissimè repetitum menti imprimas, stabilior erit ac firmior; &, si id per varios virtutis gradus modò hoc, modò illo affectu agere perseueres, totius tandem virtutis perfectionem non admodum magno negotio acquires. Si mentem in DEO fixam tenere desideras, vtere per omnes decades Rosarij hac, aut simili aspiratione: *Quid mihi est in cœlo, aut à te quid volui super terram, DEVS cordis mei, & pars mea Deus in æternum?* Exempli duntaxat gratiâ hos versiculos attuli; sunt enim plurimi alij, è quibus eum, qui maximè ad tuum profectum spiritualem fuerit, tibi eligere integrum erit, cum magno animæ tuæ fructu, vt experiere, si sæpe practices.

Quæ hactenus de varijs orandi Rosarij modis commemoraui (si tamen Rosaria dicenda sunt, & non potiùs priuatæ quædam deuotiones, quanquàm sanctæ & vtiles, V.

Rosarij nomine per quendam abusum appellatæ) eò spectant, vt occasionem tibi præbeant similia quædam in honorem Matris dolorosæ vsurpandi. Et habes in primo huius operis libro tredecim rationes, totidem capitibus explicatas, ex quibus magnitudo Mariani doloris petatur, quas si in singulis salutationibus Angelicis singulas consideres, aut quasdam in plures diuidas; vel, si te terret multitudo, in pauciores contrahas, vberem tibi piorum sensuum copiam subministrabunt, quibus vtilissimè, & ad magnum Deiparæ honorem ac gustum te occupes. Habes item in secundo libro quindecim, aut sedecim virtutes, ad Matris dolorosæ imitationem exercendas, plerasque per suos gradus deductas. Ex his quoque tale tibi sertum conficere poteris, quale describit Cornelius, aut P. Carolus Spinola inuenit. Rosario item breui, siue per affectus, materiam Mater dolorosa suppeditabit copiosam. Aliam prætere a pietatem docuit Deipara B. Ioannem filiam Ludouici XI. Galliarum Regis, nempe vt singulis diebus oraret 5. Pater, & Aue, in honorem quinque vulnerum Christi, & in imitationem eius pietatis, quâ & aspexit & salutauit illa Mater dolorosa sub cruce. Cæterùm quod de officio recitando dixi praxi præcedenti in fine, idem iam dico de his, si sic appellanda sunt, Rosarijs: vt non ex arida consuetudine, sed eo cum

sensu

en su atque affectu orentur, qui fragrantissimarum rosarum instar Beatæ Virgini fit in odorem suauitatis. Cæciliæ ex Dominicana familia mortuæ manus rosas redoluerunt, quòd viua semper voluerit Rosarium. Ex eadem familia Alani quoque, qui ter quotidie Rosarium piè feruideque flexis genibus recitabat (cuius ope & hostium, quibus valique cinctus erat, impetum & naufragium mirabiliter euasit) defuncti non solùm os, quod toties & tam religiosè in Rosario salutationes pronunciarat Angelicas; sed & manus, quæ Rosarium continenter tetigerant, visæ sunt instar crystalli collucere. Tu vide, vt affectus tuus inter orandum rosas redoleat, & mens luce internâ, atque in Matrem dolorosam ardore resplendeat.

PRAXIS XI.

Sanctissimum MARIÆ *nomen religiosè & demissè venerari.*

NOminis huius etsi multæ deriuationes & etymologiæ adferri solent; illa tamen videtur esse aptissima, quâ Myrrhâ maris, vel Mare amarum MARIA significat; adeoque MARIAE nomen ex præsagitione amaritudinis & dolorum, qui maris instar Deiparam obruturi erant, illi impositum est, & eius veneratio in Virginem, quatenus dolorosa est,

 potis-

potissimum tēdit. Et hinc minus mirū videri debet, tam potens id nomen esse; quippe per quod indicatur status ille, quo, vt sæpius dixi, sub cruce filij in maximis suis doloribus saluti nostræ cooperata est Virgo, & meritorum passionis Christi, cui interfuit, dispensatrix constituta, quibus nihil non obtineri potest; simul facta nostra Mater, ita vt subuenire nobis & posset, & vellet; præsertim si appellatione, & veneratione nominis MARIAE statum illum ei reuocaremus in mentem. Multis & præclaris verbis Sancti efferunt hanc nominis istius potentiam. Nam illud vel nominando, Cœlites nobis demeremur. *Angeli boni*, inquit S.Brigitta lib.1.cap.9. *audito hoc nomine, statim appropinquant iustis, quibus dati sunt ad custodiam, & gaudent de profectu eorum*. Purgatorij animas hoc nomen solatur & recreat: *Illi, qui in Purgatorio sunt*, (inquit eadem sancta) *vltra modum gaudent nomine* MARIAE, *tanquam æger in lecto iacens, si audierit verbum salutis*. Dæmonum vim retundit. *Omnes Dæmones* (inquit porrò ibidem) *verentur & timent; quia audientes hoc nomen* MARIA, *statim relinquunt animam*. Et S.Germanus orat: in Zonam Deiparæ: *Tu*, inquit, *nequissimi hostis contra seruos tuos inuasiones solâ tui nominis inuocatione sanctissimâ repellens tutos atque incolumes seruas*. S.Bonauentura in Psalterio: *Ab inuocatione*

tione nominis tui trepidat spiritus malignus. Pax multa diligentibus nomen tuum, Mater DEI. Iustis in terra incolumitatem, vitam, securitatem & bona omnia affert. Nam, vt ait idem S. Germanus, *Sicut continua respiratio nõ solùm est signum vitæ, sed etiam causa; sic sancta* MARIÆ *nomen, quod in* DEI *seruorum ore assiduè versatur, simul argumentum est, quòd verè viuant, simul etiam hanc vitam efficit, & conseruat, omnemque eis lætitiam, & opem ad omnia impertitur.* Et S. Bonauentura suprà: *Gloriosum & admirabile est nomen tuum; qui illud retinent, non expauescent in puncto mortis.* Denique peccatoribus hoc nomen est salutare. Est enim MARIA, vt dicere solebat S. Catharina Senensis, *velut esca quædam spiritualis, quâ ad salutem suam plurimi mortales capiuntur.*

Sed quænam debet esse augustissimi & potentissimi huius nominis veneratio? Sunt, qui illud, ob reuerentiam, rarò proferendum censeant. Ita S. Gerardus S. Stephanum, Hungariæ Regem, induxit, Hungaris vt ediceret, vt quàm parcissimè eo vterentur; sed eius loco DEI Matrem Dominam appellarent; qui mos fere apud omnes gentes increbuit: Germani certè, qui Catholici sunt, ordinariè sic loqui solent: *Unsere liebe Fraw.* *Nostra chara Domina.* Quidam, per antonomasiam, Virginem, aut cum epitheto Beatissimam, vel sanctissimam, vel Augustissimam II.

Virginem appellat, tacito MARIAE nomine. Apud quasdam nationes, ob reuerentiam, mos est, cuipiam puellæ in baptismo MARIAE nomen dare. Alij contrà plus se sanctissimo MARIAE nomini honoris tribuere autumant, quò sæpius illud pronunciant. Et ostendit DEVS miraculis, hanc opinionem sibi non displicere. In lingua Eustachij, Religiosi Cisterciensis Ordinis post eius mortem aureis literis inscriptum nomen MARIAE inuentum est, qui, dum viueret, creberrimè idipsum proferebat. In Iaponia fertur Ethnica quædam fœmina tam incredibilis fuisse superstitionis, vt quotidie Amidæ idoli nomen centies, & quadragies millies pronunciaret; idque vt facere posset, Dæmon eam identidem excitabat. Hæc deinde ad fidem Christianam conuersa, pari numero sacratissimum MARIAE nomen efferebat, Sanctis Angelis eam itidem è somno excitantibus. Quare id quisque in hoc genere agat, quò illum pius affectus ducit, vt vel ex reuerentia à Sacrosancto hoc nomine abstineat, vel cum reuerentia & sancto animi sensu illud eloquatur; qui si adsit, nulla, quantauis nominandi crebritas, in vitio esse potest; imò in virtute omnis est. Illud maximopere cauendum est, nè tam augustæ vocis frequentatio ad quamlibet rem, etiam profanam, multoque minùs ridiculam adhibeatur,

vt

t quorundam est abusus, qui ad quoduis di-
ctum, factúmve IESVM & MARIAM ap-
pellant.

III. Reliqua, quæ ad honorem & veneratione̅ nominis MARIAE spectant, vix referre opus est, cùm nota ferè omnibus sint. vt: cùm id auditur, caput aperire, ceruicem inclinare, geniculari, aut, quod Hungaris suadebat S. Gerardus, toto corpore se incuruare ac procumbere: cùm scribitur, maioribus totum literis exarare, nitidiorem characterem formare, præstantioris coloris genere pingere, nec nisi in tali charta, aut loco, qui venerationi nihil obstet. P. Sebastianus Barradius Societatis IESV, vitæ sanctimoniâ & editis libris celebris, ægre ferebat, si sacra IESV & MARIAE nomina in chartis quibusdam, vt Thesibus, &c. imprimerentur, quòd illi non satis eorum honori consultum esse videretur; quippe cùm chartæ illæ, vnà cum nominibus, facilè eò abijcerentur, quò non decet. Vnde non desunt alij quidam, qui, sicubi ea in loco, non satis decenti, inueniant, cum veneratione indè auferant. Hoc eximium habuit Radegundis Clotharij Regis vxor, vt non in papyro aliqua, aut membrana; sed in proprio corpore MARIAE nomen sibi ferro candenti impresserit. De Francisco Binans è familia Minimorum dixi Praxi 4. scalpello sibi idem nomen in carnem super cor insculpsisse; quod, vt ibi dicebam, mirandum magis, quàm imitandum

est. Pone tu cæleste IESV & MARIAE nomẽ *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*; quod hortatur Sponsus Cant. 8. infixum, aut insculptum signaculi instar cordi, perpetua memoria gerendo, & opere, siue brachio cultum eius ac venerationem contestando. P. Iosephus Anchieta, nostri æui Thaumaturgus, cùm in flumine submersus esset, & ab vrinatore semel ac iterum quæsitus, tandem è fundo, in quo dimidiâ horâ sub aquis hæserat, fuisset extractus, interrogatus: quid animo subter flumen agitasset? respondit: *Duo hæc: primum, vt IESV & MARIAE sanctissima nomina mente & corde semper voluerem: alterum, vt nè de flumine quidquam biberem*: Adeò inscriptum, & signatum his nominibus habebat cor, vt nè præsentissimæ quidem mortis angustiæ ea delere possent, erga quæ tanto ardore & charitate flagrabat, vt posset aptè de illo, aquis merso, dici illud Cant. 8. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*: Vtinam nos quoque similis in hæc salutifera nomina corriperet ignis.

PRA-

PRAXIS XII.

Matrem dolorosam cultu & adoratione, illi competente, colere atque adorare.

§. I.

Ratio & radix, ex qua cultus & adoratio Virgini debetur.

PRæter illam adorationem, quæ vni & soli Deo conuenit, quam vocamus *latria*, Sanctos quoque in cælo, verùm alio, & longè inferiori adorationis genere (quin etiam in hac mortali vita quosdam titulo aliquo præcellẽtes) adorari posse, ex Sacra Scriptura constat, & quidem alios alijs magis, prout alij alios dignitate superant. Et quia Dei Matris dignitas, atque excellentia omnem omnium aliarũ purarum creaturarum dignitatem plurimùm excedit; adoratio quoque illi competens omnem illam, quæ illis quibuscunque debetur, longissimo post se relinquit interuallo. Vnde quæ alijs Sanctis tribuitur, vocatur *Dulia*; quæ Dei Matri, *Hyperdulia*; cùm ipsa sit, quæ, vt rectè cum alijs Theologis docet Suarez, sola peculiarem constituit Hierarchiam, ab alijs puris creaturis planè distinctam. Tres enim sunt; nempe Deus, Dei Mater, & Serui Dei, quarum quæ superior est, habet in se collectas perfectiones inferiorũ, & alias insuper

continet. Et in prima quidem Hierarchia Deus, qui est ipsum esse increatum, perfectiones omnes, sine vlla earum inter se distinctione reali, in simplicissima sua entitate complectitur; at non sic in secunda Hierarchia Virgo Deipara, Deo infinitè inferior, & nihilum respectu illius; hoc tamen habet cum diuina Hierarchia similitudinis, quòd sit vna, in qua collectæ reperiuntur virtutes, perfectiones & gratiæ, quæ in tertia creaturarum Hierarchia per omnes disperguntur, quodque sola constituat statum integrum, cui alius ex omnibus puris creaturis, siue intellectualibus siue intellectu carentibus æquiparari adæquarique nequit. Ob hanc igitur tam sublimem excellentiam digna est, vt ab omnibus inferioribus personis singulari modo honoretur, colatur atque adoretur. Et verò, quid magnum videri debet, si se tertia hierarchia illi sponte subijciat, & ad eius honorem ac venerationem tota penitùs submittat, cùm eam ipse Dei Filius, verus Deus de Deo vero, tanquam suam Matrem ex naturæ lege debitâ obseruantiâ venerationeque & prosecutus sit in terris, subditum se illi præbens, & nunc in cælo prosequatur. Quanquam enim ille perfectionibus tum diuinis tum humanis eam longissimè antecellit, & dignitate quoque superior ac summus est; tamen quia est filius, Matrem reueretur, honorat ac colit; sicut Salomon eximium parenti Bersabeæ honorem detulit,

cui

cui & Regia dignitate & sapientiâ & rebus cæteris eminebat; præsertim cùm Christus *venerit implere omnem iustitiam, & ne vnum quidem iota, aut vnum apicem præterire de lege*: quo argumento hæreticus quidam magni nominis conuictus est, vt Dei Matri habendũ honorem concederet. Nam, cùm ex eo quæreret Catholicus: putarétne, Christum Dei leges, ac præcepta omnia accuratè obseruasse? Sanè, inquiebat ille, id negari non potest. Tum Catholicus: Obseruauit igitur quartum præceptum, adeóque Matrem suam honorauit. Quod si Christus ipse, Dei Filius, eam honorat, egóne illi honorem negem? ego meo honore indignam ducam, quam Christus dignatur suo? Matt. 5.

Porrò hic honor, quem parentibus deferri quartum præceptum iubet, non in sola externa obseruantia, vel reuerentiæ significatione consistit; sed vt eis etiam, præsertim indigentibus, ea præstentur officia, quæ filialis amor ac debitum requirit; quod debitum non idem omnibus filijs est. Nam, si quis parens, qui sit de grege communium ciuium, necessitate aliquâ indigentiâque prematur; satis hunc honorabit filius, si competentẽ suo simul & illius statui sustentationem, iuxta suas facultates ei suppeditet: at, si alius filius dignitate & diuitijs pollens, ac potens non plus, quam ille, suo parenti præstare velit; officio vtique suo non faciet satis. Cùm igitur Christus summæ di-

 gnitat

gnitatis, summarumque opum fuerit & sit; decuit eum, ita honorare suam parentem, vt & omnem eius indigentiam tolleret, & gloriâ diuitijsque spiritualibus ac diuinis ornatissimam locupletissimamque redderet. Quod sanè copiosè præstitit. Nam & à peccato originali, omnique alio eam sua morte & sanguine liberauit: nec enim filialis pietas permittebat suam Matrem tanto malo inuolui; & per eadem suæ passionis merita omnibus donis & gratijs cumulauit; imò huic suæ munificentiæ ac profusioni eam interesse voluit, vt præsens cerneret fontem illum largissimum (hoc est, filij acerbissimos cruciatus, mortē, sanguinem) ex quo bona omnia, *quæ Matri Dei conuenire possent*, illi scaturirent; vel potiùs, velut immensum pelagus, exundarent. Ad hæc in sociam illam redemptionis humanæ aliqua ratione adsciuit, vt, sicut Eua cum Adamo hominū genus perdidit; ita MARIA cum IESV corredimeret, dolorum illi suorum communicationem & quasi identitatem largiens: Matris denique erga nos munus commisit, vt nobis non Saluatorem tantùm, sed & salutem ac vitam, velut Mater nostra, alijs præterea modis pareret, qui modi lib. 1. c. 9. sunt explicati. His igitur rebus meretur, vt, quæ & Dei Mater est, &, vt Dei Mater, congruentibus tali dignitati ornamentis, gratijs & donis dotata, in cooperatricem salutis humanæ assumpta, hominum & Domina simul

atque

tque hera & Mater constituta, omni à nobis onore, obsequio, cultu, adoratione, quæ tam xcellenti personæ tot nominibus ac titulis otest competere, & ab omnibus alijs puris reaturis honoretur. Et, quia hi tituli à Chri-i passione vim suam habent, & ab eo tempo-: ac conditione, in qua illa dolorosa fuit, ependent; facilè animaduertis, quomodo ei, tiam dolorosæ, præcipuè veneratio adora-oque conueniat; quin indè origo sumatur o radix, vt quocunque in statu considerata, io cultu veneratioueque digna sit.

§. 2.

Quibus modis hæc veneratio, adoratioq; Matris dolorosæ tribuenda sit?

Ex ijs, quæ diximus, videtur erui posse ausa, cur Virgo sanctissima delectetur, si, dũ ratur, aut canitur ille versiculus: *Tu ad libe-andum suscepturus hominem: non horruisti irginis vterum*: illi reuerentia, & adoratio ex-ibeatur. Cùm enim, vt refert Thomas Can-pr. lib. 2. c. 24. S. Luidgardis Virgo quadam octe in hymno: *Te Deum laudamus*; versum lum diceret, ei Beatissima Mater gratulabũ-a apparuit, intellexitque Luidgardis, versum lum ei esse gratissimum. *Atque hoc* (inquit i-em Thomas Cantipratanus) *illa mihi, tan-uam filio dilecto reuelans admonuit, vt, quo-es versum illum dicerem, toto me corpore ad*

laudem Sacratissimæ Virginis inclinarem. Quod etiam diu feci, hodiéque facio; & , vt idem faciant, lectores meos omnes adhortor. Hæc Cantipratanus. Sanctus quoque Odilo Abbas Cluniacensis ad eundem versiculum in terrã se prosternebat in choro. Causa, inquam, huius complacentiæ in Virgine videtur esse, quòd in eo versu mentio fiat non solùm incarnationis Filij Dei in vtero Virginali, per quam facta est Dei Mater; sed etiam liberationis, siue redemptionis humanæ, propter quã, vt finem, incarnatio facta est, & in Dei Matrẽ Virgo electa, quæ redemptio Christi passione & morte consummata est, & omnia bona, tũ alijs tum ipsi Sanctissimæ Virgini sunt procurata, ob quę cultum, adorationemque ab alijs creaturis meritò obtinet. Atque hic sit primus modus venerandi Matrem dolorosam, cùm suprà memoratus versiculus (quod à fidelibus sæpissimè fit) recitatur. Secundò. Ea quoque venerationis & adorationis signa, quæ praxi præcedenti sanctissimo, & dulcissimo MARIAE nomini attribuimus, multò magis ipsi Virgini, hoc nomine significatæ, exhibenda sunt, vt: capitis inclinatio, genuflexio, in terram prostratio, &c. Debent autem procedere ex magna interna Augustissimæ cæli Reginæ super omnes alias puras creaturas æstimatione, & sacro quodam tantæ Maiestatis, quæ in Dei Matre est, horrore. Tertiò. Parati simus; imò cupiamus, quæcunque possumus

ius ei præstare obsequia, eius excellentiam laudare, vbique deprædicare, quidquid honori eius derogat, omni studio impedire, vitam etiam & sanguinem, si opus sit, in id impendendo. P. Didacus Martinez, Societatis IESV, optabat membratim & frustratim in Deiparæ honorem concidi. Quod non valde mirandum est; nam ipsa cooperando saluti nostræ, sub cruce multò acerbiora in gratiam etiam nostrî passa est, quàm si millies membratim concisa fuisset. Quid ergo nos in ipsius gratiam, & gloriam facere par est, qui tanto ab eius dignitate distamus interuallo? Plures præterea sunt modi, ad honorem, cultum, obsequium, adorationem, Matris dolorosæ spectantes, quos, quia paulò prolixiùs explicandi sunt, maioris distinctionis ergô, sub suis titulis, sequentibus praxibus ponemus.

PRAXIS XIII.

Matri dolorosæ gratis, & ex puro amore seruire.

NOn est dubium, quin nostris commodis plurimum accedat, si nos totos Matris dolorosæ seruitio addicamus. Nam, vt ait Idiota in proœmio contempl. de Beata Virgine: *Inuenta MARIA, inuenitur omne bonum.* Hæc est, quæ nos & in vita fauore, solatijs, I

tutela,

tutela, patrocinio prosequitur, & in mor securitatem, auxiliumque præstat; & deniqu iuuat, vt salute potiamur æterna. *Sicut eni impoßibile est*, inquit S. Anselmus, *vt illi, quibus oculos suæ misericordiæ auertit saluer tur; ita necessarium, quod hi, ad quos con uertit oculos suos, pro eis aduocans, iustificen tur & glorificentur.* Pelbartus in Stellar lib. 12. p. 1. a. 3. docet, Deiparæ seruos etia in cælo peculiari aliquo ornatu decorãdo *Sicut, inquit, serui Regis & Reginæ in cur Regia certis notabilibus clenodiis deaura procedunt, per quæ agnoscuntur esse serui Re gis, vel Reginæ & speciali purpura vestiti am bulant; ita in curia cælesti serui Virginis spe ciali ornatu & gloria, qua præ aliis discernun tur, quod serui sunt* MARIAE, *fulgebun iuxta illud Prouerb. 31. Omnes domestici ius vestiti sunt duplicibus.* Quò referri po test illud Eccli. 24. *Radicaui in populo ho norificato.* Nã & illa est *honorificentia popu* DEI, & honorificantes illam honorifica tur. Hæc licèt ita se habeant, nihilomin multò ad maiorem cultum & honorem De paræ est, si quis gratis & nulla habita ratio sui commodi, quod illi ex eius seruitio pote redundare, ipsi quàm diligentissimè feruen tissimeque seruiat. Id enim meretur & exce sissima eius dignitas, & plùs quàm matern

in no

are, ip

eque seruir

eius dign

in nos charitas, qua sine respectu vllius suæ vtilitatis, quam à nobis sperare nullam potuit, nos sub cruce Filij in maximis suis doloribus dilexit, & saluti prosperitatique nostræ studuit. Ita ergo & nos, non velut mercenarij spe lucri, sed vt filij erga illam vicissim nos geramus, gratuito affectu, & ex pura in illam beneuolentia eius honorem, gloriã, oblectationem, gustum, beneplacitum, studiosè quærentes & procurantes, obliti omnis nostri emolumẽti. Magdalena Ducissa Bauariæ, vt erat magnanima Heroina, ita heroico planè pectore dicere solebat: *Etsi cælum non esset; conueniens tamen esset, vt DEO & MARIAE millies magis & feruentiùs seruirem.* Ita refertur in conc. funeb. & Rugitu leon. anno 1628. Longiùs progressus est Carolus S. Brigittæ filius, de quo ipsa Deipara eidem S. Brigittæ lib. 7. reuelat. cap. 13. rationem reddens, cur ei in morte adstiterit, sic loquitur: *Quia hæc anima magnam charitatem habuit ad me, reuoluens sæpius in corde suo, quod me DEVS Matrem suam dignatus sit facere, & super omnia creata exaltare.* Deinde magis explicat Beatissima Virgo actum illum charitatis, quem Carolus habuerit. Sic enim ait, eum dixisse & cogitasse: *In tantum* (verba sunt Caroli) *ego gaudeo, quod DEVS Virginem MARIAM Matrem super omnia habeat charissimam, vt ego illud gaudium præferam omnibus rebus creatis & delecta-*

delectationibus terrenis. Imò adduntur quædam ibi Caroli verba, quæ quia minus perfecti non caperent, & longiore explicatione opus haberent, omitto. Horum igitur verè syncerum ac filialem in DEI & nostram parentem affectum, si nos totum consimili ardore ac perfectione æquare non possumus, at quantum possumus æmulemur.

II. Ac primùm ex intima & tenera dilectione ac beneuolentia faueamus illi animitus, & toto pectore gratulemur omne bonum, quod possidet, possidebitque per æternitatem, de eo gaudentes & exultantes, ac si bonum nostrum esset; Deoque pro illo, ei collato, *gratias agentes* omni nobis possibili modo. *Imò verò* ita simus constituti, vt, si in nostra *fuisset* potestate, vt animæ nostræ id omne bonum, quod illa habet, obueniret; quia tamen illi, & non nobis DEVS id voluit, illi potiùs, quàm nobis nos quoque idipsum velimus, conformantes nos sanctissimæ DEI voluntati; & simul ex ardenti in Virginem Beatissimam amore, illi præ nobis fauentes & felicitatem omnem cupientes.

III. Secundò. Eiusdem amoris erit, pro singulari motiuo DEO seruiendi, hoc eligere, quod Deiparæ tantopere benefecerit, præsertim per Filij passionem, quam dolorosa spectauit, vt ostendi lib. 1. c. 8. Plurimis quidem titulis DEO seruire obligati sumus, quorum quiuis totos nos in eius obsequium transcribit: cæterùm

rerùm si per impossibile alij omnes deessent, vel hoc solo, quòd Matri nostræ amantissimæ tam se beneficum, & liberalem præstiterit, quòd illam eò dignitatis, sublimitatis, sanctitatis & beatitatis euexerit; quicquid in nobis est facultatis, id omne in DEI famulatum impendere velimus, & re ipsâ impendamus, vt nos gratos ostendamus. Proderit hæc mens & resolutio nostra ad obtinenda nobis à DEO per Virginem magna diuinæ gratiæ auxilia sanctè viuendi. Cùm enim illa ex summa æstimatione beneficiorum diuinorum, vehementissimè cupiat, quàm amplissimas DEO, pro sibi concessis donis gratias agi, & quacunque ratione gratitudinem exhiberi; si non in id operam nostram, omnesque diuinę gratię vires conferamus, efficiet illa, non nostri tantùm, sed sui etiam causâ, vt hæ sint, quoad fieri par est, quàm maximæ, vt quàm maximæ DEO reddantur gratiæ, gratitudoque exhibeatur quàm maxima. Alia præterea, & quidem sublimis quoque consideratio hic interuenire potest. Nam, cùm dona ac beneficia Beatæ Virgini a DEO collata, pleraque omnia, & ex se eò tendant, & ipsa eò retulerit, vt DEVM per illa honoraret; quando illi ea gratulamur ac fauemus, DEO honorem volumus, qui ex eis est: quando item illam ob ea honoramus, honoramus illam, quia illa eis honorauit DEVM. Et quia Virgo nihil magis, quàm DEI honorem, amoremque cupit,

quem suo antefert; pro summo sui amore, atque honore habet, si per eam à nobis ametur & honoretur DEVS. Quemadmodum igitur pro peculiari motiuo, & titulo DEO seruiendi id nobis potest esse, quòd Beatæ Virgini benefecerit, vt paulò ante dixi; ita vicissim potest nobis motiuum & titulus esse amandi & honorandi Beatam Virginem, quia illa amauit & honorauit DEVM; quod simul in DEI & eius gustum purè cedit. Et præcipuè quòd Christum crucifixum, cùm dolorosa sub eius cruce staret, tantopere dilexerit, id nos ad eam magis diligendam, colendamque incitare debet, vt & Amorem nostrum IESVM, pro nobis crucifixum, & sanctissimam eius Matrem, quæ gaudet, Filium suo amore diligi, recreemus.

IV. Tertiò. In operibus bonis, quæ in eius præcipuè honorem agimus, non quæramus aliud, quàm vt eam, vnà cum eius filio, oblectemus, & velut Matrem dolorosam solemur. Satis enim id præmij nobis videri debet. Quot sunt in hoc mundo, qui, si Regi, aut Imperatori gratum aliquid præstare possint, eo contenti sunt, quòd Regi placuerint, aut aliquid ei placitum fecerint, nullâ aliâ mercede proposita? At quid sunt omnes huius mundi Reges ad illam Reginam & vniuersi Imperatricem? Atque, vt magis illam exhilaremus, non solùm ea obsequia, quibus eam colimus; sed & quæ filio eius deferimus, ad ipsius simul gustū & ob-

& oblectationem referamus. Summopere enim delectari solent matres, quando earum filijs bene fit. Si v.g. vel imagunculam filiolo dones; si eum publicè, puta in catechismo, vel aliàs, laudes; si honores, si affectum beneuolum ostendas, vix se capit præ gaudio mater; magisque hoc illum recreat, quàm si illi ipsi beneficisses; neque magis tibi demereri parentes potes, quàm si in eorum liberos sis beneuolus, aut beneficus. Ita ergo si IESV Christo filio Virginis (cui propè infinities magis in amoribus est, quàm filij alijs parentibus esse solent) aliquid beneuolentiæ, obsequij, laudis, honoris tribuas; si eius Sanctissimæ humanitati bona omnia tanta, tamque immensa faueas, & de eis gaudeas; si DEO pro illis gratias agas: id tantæ voluptati & iucunditati est Virgini Matri, vt dici nequeat, præsertim cùm is filius DEVS sit; DEO autem quid non velit Virgo? Si ergo hac eam iucunditate perfundere desideras, si tibi demereri; fac, quidquid potes in IESV Christi gratiam, & (quod vtrumque intendere debes) simul hunc, simul illam oblectabis. Vti & è contrario, si quid Matri affectus & beneuolentiæ, si seruitij & honoris exhibeas; id DEI & MARIAE filius inter suas numerat delicias. Sicut enim matres filijs, ita vicissim boni filij matribus bene volunt, & ab alijs amari gaudent.

Quarto. Non modò more mercenarij tua lucra V.

lucra & commoda ex seruitio Deiparæ non consecteris; sed potiùs quidquid habes, aut aliquo modo tuum est, in eius venerationem, laudem, obsequium, beneplacitum expendas, ac profundas. S. Stephanus Rex Hungariæ Beatam Virginem bonorum suorum hæredem ex asse constituit; &, vt plus restaret, parciùs viuebat. Ita Baronius, Anno 1043. Ioannes ille Patricius Romanus, de quo in Breuiario 5. Augusti, quia liberis caruit, dum sua omnia Deiparæ largiri parat; admonetur, vt assem omnem in montem Exquilinum conferat, templo in eo loco, vbi sub initium Augusti nix deciderat, extruendo; quod & fecit. Multò autem magis, si quid habes *ingenij* & doctrinæ, si quam dicendi vim, si *alias dotes*, si industrias, in venerationem & amorem Matris dolorosæ exhauri: imò & ipsum cor illi, & Filio dona; quod fecit Cardinalis Bellarminus, qui testamento medium cor Christo, alterum dimidium MARIAE legauit.

VI. Quintò Huc etiam pertinet, nihil negare, quod petitur per eandem sanctissimam Matrem, modò id licitè & decenter fieri possit. Hoc enim pacto ostendimus, magno aliquem apud nos in honore, æstimatione, amoreque esse, si nihil negemus, quod in eius gratiam petitur. Sicut ex eo, quòd Christus dixerit Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; rectè colligimus, magnæ eum apud Patrem AEternum authoritatis

esse,

esse, & summè ab eo diligi. S. Eberhardus, dum vixit, nulli vnquam quidquam, MARIAE nomine petenti, denegauit: ideoque mortuum non nemo sinu Magnæ Matris, velut infantem, foueri vidit, & nectare, quod ipsa illi Virgo libauit, inebriari. Ex tom. 2. Henrici Canisij, & tom. 1. Bau. SS. Eundem morem seruauit S. Gerardus Episcopus Canadiensis in Hungaria. Itaque cùm hoc passim innotuisset, nihil non ab eo supplices impetrabant. Thomas Cantipr. lib. 2. cap. 29. refert de quadam puella Rachele, annorum quinque, Iudæis parentibus orta, nominis MARIAE amantissima; quæ nulli Christianorum eleemosynam dabat, qui in eo nomine non petijsset, vel per illud gratias non referret: atque, vt id nomen sæpius audiret, ieiunabat, suumque genium cibis fraudabat, vt pauperibus tribueret, eosque ad se alliceret, in nomine Mariæ petituros. Alexander Alensis etiam voto se obstrinxit, nihil se negaturum, quod per Beatam Virginem peteretur. Quare cum quidam ex S. Francisci familia eum per nomen Sanctissimæ Virginis obtestatus esset, vt Franciscanus fieret, factus est. Hoc erat, non sua tantùm Beatæ Virgini dare, sed & se.

PRAXIS XIV.

Se in mancipium Matri dolorosæ dedicare.

I. SIcut Alexander Alensis, vt paulò antè commemoraui, non tantùm sua, sed & se Beatæ Virgini dedit; ita quorundam est deuotio hac nostra ætate, vt se in mancipia certo quodam ritu eidem tradant ac consecrent. Quanquam hic ritus longè etiam ætatem nostram antecessit. Nam Petrus Damiani lib. 2. ep. 14. ad Desiderium Abbatem Casinensem narrat de suo fratre Marino, solitum illum quot annis aliquid pecuniæ in altaris crepidine deponere, instar census, in signum mancipatus & subiectionis Beatæ Virgini ab se factæ. Placuit hæc pietas Dei Matri. Vnde illi morienti apparuit, atque ad feliciter ex hac vita migrandum benedictionem dedit. Porrò, vt notat Bellarminus, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, B. Petrus Damiani, qui hoc de Marino scripsit, obijt anno 1072. Ex quo colligitur Mariani mancipatûs antiquitas. Refert præterea Cæsarius (qui vixit circa annum 1222.) lib. hist. memorab. nobilem quendam militem VValterum de Birbach se (præter alia pietatis opera, ieiunia, eleemosynas, &c. quibus erat deditus) itidem in mancipium cælorum Reginæ tradidisse, fune in collum iniecto, soluisseque

nisseque quotannis censum de capite suo, qualem mancipia & vernæ soluere consueuerunt. Hunc item militem egregijs fauoribus prosecuta Virgo est. Nam, cùm Missæ Sacrificio interesset, & interim hastiludia à nobilibus haberentur; visus est mira edere facinora ac strategemata, propter quæ omnium præconijs celebratus est; cùm tamen ipse absens sacerdoti, vt dixi, facienti adesset. Aliàs cruce cælitus à Beata Virgine, cuius 7. dolorum egregius erat cultor, donatus est; & dum in eius honorem ieiunaret, aqua illi in vinum miraculo est versa. Sed illud præcipuum beneficium accepit, quòd Religionem Ordinis Cisterciensis ingressus, sanctam vitam sanctâ & beatâ morte conclusit. Et hæc quidem antiqua.

II. Verùm nostro sæculo circa annum Domini 1624. huic Beatæ Virginis mancipatui splendor ac celebritas longè illustrior accessit, institutâ Sodalitate in Hispania sub titulo Aue MARIA, cuius author est Simon Roxas, Ordinis SS. Trinitatis de redemptione captiuorum Prouincialis, & Vicarius Generalis, opinione sanctitatis apud Hispanos notus. Huic Sodalitati primus nomen dedit Philippus III. Hispaniarum Rex, compedesque induit: hoc enim Sodalibus omnibus solemne est; quem secuti sunt multi Hispaniæ Magnates, alijque è nobilitate & populo plurimi. Neque se vnâ Hispaniâ hæc Sodalitas continuit; sed paucos

intra annos per Belgium, Germaniam, Poloniam, Indiam, propagata est: suntque de illa libri editi, tum in Belgio à Bartholomæo de los Rios, Ordinis S. Augustini; tum in Polonia à Stanislao Phænicio, Societatis IESV; tum Coloniæ à Sodalibus Marianis, qui sunt sub eiusdem Societatis directione. Multa ab hac Sodalitate exercetur pietas, præsertim in Hispania octiduo illo, quod antecedit Natiuitatem Christi; quo tempore solennitas eius est celeberrima.

III. Hæc ego idcirco referre volui, vt, si cuilibet, aut integrum est, simili aliqua veneratione Matrem dolorosam colat. Certè si ea nobis Filium suum suâ etiam voluntate, cum Patris æterni voluntate conformi, in mortem tradidit, vt more vilissimi mancipij tractaretur, & in crucem, quod abiectorum hominum & infimorum seruorum suppliciū erat, suffigeretur, atque instar mediastini, flagellis, alijsque indignis modis acciperetur, quarum illa rerum consors, & particeps fuit, dum cum filio patiente pateretur; si nos tunc cum eodem filio corredemit; magniné æstimandum putas, si adeò per hæc obligatus, ingentique debito obstrictus, in seruum te illi, mancipiumque consecres, cui alioquin soluendo non sis, ita vt vel sola beneficij magnitudo, etiamsi exemplum non præcessisset, te ad hanc mancipij conditionem adducat? Deinde immensa Dei Matris dignitas, ac subli-

itas; sanctitas item, quæ à Christi passione, qua dolorosa Mater fuit, originem duxit, citamentum est, vt nos ad infimum seruo-m statum in comparatione illius abijcia-us.

At enim, hæc cogitatio, inquies, qua nos vt ancipia Virginis consideramus ac gerimus, es, seruiles, abiectos animos facit; &, cùm a Mater nostra velit esse, & nos filiorum lo-habere, gaudeatque Mater à nobis com-llari, vt praxi 5. dictum est; si ad seruorum tum sponte transeamus, imò si vernæ & ancipia velimus esse, degeneramus ab ex-lsis ac generosis cogitationibus Deiparæ iorum. Minimè id verò. Nam etiam inter omines huius mundi nihil frequentius est, iàm, si quis ex Principibus, aut Dynastis iempiam altiùs euehat, aut euehere velit; confestim se seruum illius, consuetâ cæri-ioniâ, profiteatur, & ad seruorum officia se fferat; neque tamen ob id induit animum i-nauum, abiectum, vilem. Ita ergo & nos cum nimo heroico, qui filios tantæ Matris de-eat, simul illam ex eius dignatione & cum liali fiducia pro Matre nostra habeamus, latrem compellemus, affectu filiali prose-quamur, non mercenariorum, sed filiorum nore illi obsequentes, nihilque, quo illi gra-um aliquid facere, aut honorem eius curare, morem declarare possimus, vt boni filij so-lent, omittentes; simul nostræ vilitatis, collatę

ad eius Maiestatem, conscij, ad quæ seruorum ministeria in eius gratiam nos demus, dicemus, consecremus. Est enim erga Deum & Deiparam Christiana & animi magnitudo humilis & humilitas magnanima. Anna Catharina, VVilhelmi III. Ducis Mantuæ & Montisferrati filia, Ferdinandi Archiducis Austriæ in Tyroli coniux, post obitum mariti, sumpto habitu tertij Ordinis Seruorum B. Virginis, vnà cum seniore filia, non modo se seruam, sed seruam seruorum Beatæ Virginis appellabat. S. P. Ignatius suæ conuersionis initio in Monte Serrato, depositis splendidis vestibus, armis è tholo suspensis ante imaginem Deiparæ vilissimo mancipij, aut potiùs mendicabuli habitu indutus, totum se illi ad vltima seruitia consecrauit.

IV. Sunt, qui ideo Rosarium vel collo iniciunt, vel manibus, aut suspensum ad cingulum gestant, vt profiteantur se Beatæ Virginis seruos. Non multum abludit hæc ratio à mancipatu Virginis. Et valere potest Rosarij, quando cubitum imus, in collum iniectio, ad arcendas impuras cogitationes, cùm nos vel ex ipso Rosarij cinctu seruos Beatæ Virginis esse recordamur, quibus castimoniæ decus proprium esse debet, quodque illa in eis, qui sic illi deuoti sunt, conseruat & fouet: Valet etiam aliquando ad corporis, & vitæ tutelam. P. Thomas Saillius,
Socie-

Societatis IESV, Rosarium loco loricæ collo
iniiciebat, quo inter hostes in multis oppu-
gnationibus illæsus mansit. Vtinam ita simus
serui Beatæ Virginis, vt nobis meritò dice-
re possit, quod S. Andreæ, Episcopo Fesula-
no, dum Sacrificij sui primitias miro cum a-
nimi ardore Deo offerret, multa Angelo-
rum frequentia stipata, apparens dixit: *Ser-
uus meus es tu, quia ego elegi te, & in te glo-
riabor.*

PRAXIS XV.

Deuotionem Matris dolorosæ propa-gare.

STudium colendi Mœstam Virginem non I.
in solis nobis sistere debet; sed & ad a-
lios extendi, vt, quotquot possumus, ad eun-
dem cultum adducamus. Digna enim est, co-
li ab omnibus. Varijs autem modis hæc cul-
tus propagatio fieri potest. Primò. Vt, qui
alijs præsunt, vel authoritatem in eos ha-
bent, sibi subiectos in eum inducant. Ita Phi-
lippus I. Austriacus, Hispaniarum Rex, Soda-
litatis sub titulo Matris dolorosæ in Belgio
author fuit, cum ingenti Reipublicæ bono, vt
dixi praxi I. quam Sodalitatem collapsam
nostra ætate Magistratus Ecclesiasticus resti-
tuit. Idem factum in Archiepiscopatu Colo-
niensi, vbi Serenissimus Elector Ferdinandus,

Bauariæ Dux, &c. æternâ memoriâ dignus, & Sodalitatem & alia multa, quibus populo Mater dolorosa venerationi esset, instituit. Hoc enim demum est Principum, & eorum, qui alijs imperant, officium, vt Dei & Matris Dei honorem amplificent. Ludouicus II. Rex Galliæ non contentus Bononiensem Comitatum cum oppidis Beatæ Virgini consecrasse, in regno insuper vniuerso voluit sub meridiem ære campano signum dari ad salutandam Virginem. Idem vt vesperi fieret, S. Bonauentura effecit, vt dixi suprà. S. Stephanus Hungariæ Rex, hortatore S. Gerardo, hoc vehementer, & non frustra laborauit, vt totum suum regnum Deiparæ colendæ esset deditissimum, vt eius festa pridianis ieiunijs, & singulari pietate transigerentur, vt ad Sacratissimum MARIAE nomen flexis genibus demissis in terram capitibus, se cuncti inclinarent, &c. Itaque Hungaria à S. Rege, familia S. MARIAE appellata est. Vide, quæ dicta sunt praxi 7. §. 13. in fine, quæ huc accommodari possunt.

II. Secundò. Propagari deuotio erga Matrem dolorosam potest concionibus, quales sine dubio in Belgio, Coloniensi Diœcesi, & alibi fiunt, vbi hæc pietas viget ac floret, & populus ad illam magis magisque è suggestibus accenditur. Quale præmium sit consecutus Ecclesiastes ex Sancti Dominici fami-

familia, qui conciones suas narratione aliquâ de Beata Virgine concludebat, dixi praxi 6. §. 4. P. Alphonsus Salmeron, vnus è nouem primis S. Ignatij socijs, editis libris notissimus, quoties de Virginis laudibus dicendi se offerebat opportunitas, eam perquam auidè semper arripiebat, omnesque ingenij sui ac facundiæ vires explicabat. Diebus autem Sabbati, Deiparæ consecratis, etiam cùm per Quadragesimam quoduis aliud tractaret argumentum, semper de Virginis præcellentijs, ac cultu promouendo disserebat, summâ Auditorum, quos ad eius amorem mirificè incendebat, admiratione, vtilitate ac suauitate. Conciones porrò suas non conquisitis verborum lenocinijs, & externorum scriptorum flosculis, ac pigmentis adornabat; sed selectis, appositisque Sacrarum scripturarum sententijs, grauissimisque Sanctorum Patrum testimonijs instruebat. Ita narrat Bourghesius in Societate Deiparæ sacra: qui hoc etiam de P. Consaluo Silueria memorat, quòd Monomotapam nauigans, coactis, ex Nauarchi mandato, ad certam horam & certum nauis locum, quotquot in ea militum, nautarumque vehebantur, non minori eorum voluptate, quàm fructu, de summæ Matris laudibus summâ animi contentione dixerit; instituerit insuper, eodem Nauarcho probante, primùm, vt vnoquoque Sabbato, tũ vt diebus singulis eiusdem Sanctissimæ Virginis litaniæ solemniter decantarentur.

 Tertiò

III. Tertiò Priuatis etiam exhortationibus, aut colloquijs de Matre dolorosa institutis, multùm eius veneratio & amor promoueri potest. Quo in genere Henricus Dellom mirabiliter excelluit, de quo praxi 5. §. 8. & multi alij. Profuit Ioscioni priuata exhortatio, vt ad illam pietatem, tam stupendo miraculo testatam, perueniret. Nam cùm Theo[illegible] Archiepiscopus Cantuariensis anno [illegible] S. Bertini monasterium diuertisset, nar[illegible] Religiosis eius loci, Monachos in Sina[illegible] recitare quinque psalmos, quorum initia[illegible] literæ nomen MARIA exprimerent. Au[illegible] hunc sermonem Ioscio, &, quod dice[illegible] auidè arripuit, subiungens cuique [illegible] *Post partum Virgo inuiolata, &c.* [illegible] Virginis colendæ modum ad mortem [illegible] feruidè, constanterque retinuit. Mira[illegible]ctu. E capite defuncti quinque rosæ germina[illegible]runt, in quibus aureo colore depictæ [illegible] quinque literæ nominis MARIA, vna [illegible] psalmorum initijs. Eam, quæ ex ore pro[illegible]rat, Andreas Atrebatensis Episcopus [illegible] priùs ad sacrum corpus supplicatione [illegible]cerpsit, crystalloque inclusam populo pro[illegible]suit, pristinum semper vigorem conseruan[illegible]tem, alijs sensim marcescentibus. Corpus se[illegible]pultum claruit miraculis. Historiam hanc testatissimā multi authores faciunt, Pelbartus, Thomas Cantipr. Vincentius Belluac. Ioannes Maior, Molanus, Cornelius à lapide, &c.

& sum-

& sumpta est ex archiuio Monast. Bertilions.

Quartò. Non parum iuuat ad extendendam quaquauersum pietatem in Virginem dolorosam, quàm plurimis eius instrumenta, vel adiumenta etiam extrinseca suppeditare: vt; si libellos pios de hoc argumento imprimi cures, aut ab alijs impressos in populum spargas. Vsus hac industriâ admodum salutariter est Antonius Posseuinus, vt habetur in histor: Societatis p. 4. lib. 8. n. 83. Nam & multos ille pios libellos scriptitabat, & ab alijs editos longè lateque disseminabat, hoc inter cætera medio adhibito. Agebat cum bibliopolis, vt magnam eorum vim in nundinas, vbi celebrabantur, promptam haberent. Tum mercatores aduenas, vbi ad concionem venerant, hortabatur, vt egressi è templo, à pueris bibliopolarum (& erant hi ante templi fores um venalium libellorum bene compactorum copiâ constituti) quisque pro se emerent, legerent, domum ad suos afferrent: neue angerent paucis assibus; nullas pretiosiores nundinis reportaturos merces: dum adeò multa in corporum pararent vtilitates, id cigiium compararent animis, quod non tam pendium futurum sit, quàm pignus diuinum in tutelam mercium cæterarum, & lucrum animæ, quod humana etiam negotia quæstuosiora faciat. His simul excitatâ vocis auiditate, simul opportunitate illiciente, IV.

 ingens

ingens librorum vis per totam viciniam, & ad loca etiam dissita, ex quibus mercatores ad nundinas conueniebant, diffundebatur; quanto cum animorum bono, pronum est cogitare. Et fauit DEVS mirabiliter huic pietati. Namque in suburbio Lugdunensi apud Rhodanum cùm fortè ignis, in mulionum illapsus stabulum, cæteras absumpsisset merces; sarcina, in quam erant fasciculi aliquot piorum libellorum impositi, medias inter flammas prorsus intacta cum libellis permansit. Meritò certè imitanda ab ijs, qui possunt, est hæc industria. Quodsi quis, cui ad id satis esset sine magno suo detrimento sumptuum, suo ære tales libellos coëmeret, aut emi curaret, & multis deinde, aut per se, aut per *alios*, largiretur; eò maius Dolorosæ Matri pręstaret obsequium, & ijs insuper, in quos distribueret, plus commodaret, quàm si grandes auri, argentiue aceruos in eos liberalissimè profunderet. Nam vel vnicus pius affectus, qui ex huiusmodi libellis hauritur, potior est omnibus terræ thesauris. Et profectò præstantior est eleemosyna, quæ sic animabus, quàm quæ corporibus tribuitur.

V. Libellis accenseri possunt Rosaria, quæ plebeis pręsertim hominibus, qui ea sibi procurare aut nesciunt, aut non possunt, cum propagatione quoq; Mariani cultûs erogātur. O quot sunt, qui sæpe vel Rosarium orarent, vel pios libros voluerent cum suo fructu, & Dei-

Deiparæ ſolatio ac guſtu, ſi eis harum rerum copia fieret, qui nunc longè alia agunt. Rectè proinde fit in quibuſdam vrbibus, vbi ex ærario publico ab earum Præſidibus, aut alibi à terrarum Dominis, vel etiam à Prælatis iſta curantur danturque, vel in Catechiſmis, in quibus eorum vſus rudibus explicatur; vel ijs, quos vocamus Conuerſatores, qui ſingulas priuatim domos ad venanda animarum lucra obeunt; vel Ludimagiſtris, qui iuuentutem, præter ſtudia doctrinæ, etiam ad pietatem formant, vt ſingulis pro ſuo cuique captu largiantur & diſpenſent. Simili arte Beatæ Virginis honorem amplificandi vſus eſt S. Dominicus. Nam, cùm ab eo Blancha Franciæ Regina petijſſet, vt ſibi filium impetraret; author illi fuit, vt Roſarium ſedulò oraret, & inſuper multa Roſaria oraturis diſtribueret; id enim ſi faceret, prolem maſculam omnino habiturã. Fecit Blancha, & filij mater effecta eſt, & quidem filij, magni & nominis, & ſanctitatis, nempe S. Ludouici. Ita Razius in hortulo Exempl. tit. de B. MARIA, ex Alano.

VI. Denique etiam Matris doloroſæ imagines, ſeu publico in loco, ſeu in priuatis ędibus collocatæ, ſeu ſingulis fidelibus diſtributæ, conferunt ad ingenerandum in multis erga illam venerationis & amoris affectum. Vnde veterum Chriſtianorum mos fuit, ad oppida & pagos & in montibus ſtatuere tales icones, vel Sacella erigere, tum vt in tranſeuntibus

pium, aliquē cierent animi motum, tum vt cōtra hostes & bella instar præsidij & munimenti forent; quandoquidem Deipara est velut *castrorum acies ordinata*. Quin etiam easdem Diuæ Virginis imagines in carceribus proponere vsitatum fuisse, indicat Baronius anno 580.. S. Carolus Borromæus Marianas imagines singulis Ecclesiarum Parochialium foribus superponebat, & suadebat omnibus, etiam militibus, vt nunquam non secum haberent aliquam Sanctissimæ DEI Matris imaginem, siue ad tutelam, siue ad exercendam pietatem. Henricus II. Rex Franciæ ex amore in Beatam Virginem ad omnia cubicula, quæ ipse ingrediebatur, imaginem eius statui curabat, vt illi in perpetua esset memoria. Ex hist. Ephem. Gall. Anno 1559. Ludouicus Pius, Caroli Magni filius, iconem Beatæ Virginis, quam vbique circumferebāt, in venationibus ad arborem quampiam collocari iubebat, vt eam, ex aduerso positam, inter venandum crebrò videret, & à tergo relictam subinde respectaret, ad eamdemque precaturus sæpe recurreret. Ita Granzius lib. 10. Metrop. Margareta Virgo Dominicana, ex Regibus Hungariæ nata, quoties Deiparæ imaginem præteriret, genua flectebat, & Aue MARIA recitabat; quem morem nulla vnquam celeritas, vel negotiorum necessitas impediebat. Ita Surius in eius vita 28. Ianuarij. P. Consaluus Silueria, Monomotapæ Martyrio affectus,

ctus, vbicunque aliquam Beatæ Virginis imaginem offendebat, demissis modestè oculis, & magnâ capitis totiusque corporis inflexione, flexis etiam nonnunquam genibus, venerabatur. Erat in ambulacro Goani Collegij Virginis effigies, in cuius præsentiam quoties se Consaluus dabat, nocturno præsertim tempore, quo minùs obseruari posset, subsistebat paulisper, & supremam Reginam ac Dominam agnoscens, venerabundus ante illam procumbebat; quod etiam faciebat Rosarium orans. Eidem adiumento fuit imago Deiparæ ad conuersionem Regis Monomotapæ & matris eius; vti fusè scribitur in eius vita. Ex quibus patet, quantum propagando Mariano cultui imagines seruire possint. Eam ob causam B. Franciscus Borgias, posteaquam imaginem illam, quæ dicitur S. MARIAE Maioris, à S. Luca depictam ad aliquot dies vt apud se habere posset, impetrasset; ex hoc prototypo centenas depingi curauit, easque per Europam & Indiam sparsit, ad proferendum quàm amplissimè Magnæ Matris honorem: quarum vnam P. Ignatius Azebedius, cùm à Caluinistis perimeretur, ita fortiter tenuit, vt nullâ vi eripi posset, cum eaque in mare, accepto vulnere, deiectus, velut trophęum, quod natare potuit, ostentans, tandem fluctibus haustus est. Quod si imagines Deiparæ venerationem promouent, multò id magis facient erectæ columnæ, altaria, templa ædificata, de-

quibus multa habet Spinellus, quem consule.

VII. Deniq; quidquid ingenij in nobis est, quidquid industriarũ excogitare possumus, id vniuersum ad explicandam in omnem partem Augustissimæ Virginis gloriam conferamus. Beati Borgiæ, quem paulò antè laudaui, dum in aula Ioannæ Lusitaniæ Principis versaretur, hoc fuit inuentum, vti scribitur in histor. Societatis p.1.lib.13.n.49. Deiparæ natali die, multis in schedulis varias eiusdem virtutes ac laudes inscripsit, egregijs cuique virtuti appositis precandi formulis. Dein alijs in schedulis, numero paribus, matronarum ac puellarum scripsit nomina, quæ in *Principis* versabantur obsequio: hisque singillatim nominibus vna ex parte, ex altera schedulis cum laude Virginis ac subiectâ prece sortitò eductis, quam cuique schedulam sors dedisset, totis deinceps octo diebus iubebatur è concepta in ea formula precẽ quotidie fundere. Idem B. Borgias menstruas Sanctorũ schedas in Societ. IESV inuexit; qui mos etiam ad Sodalitates traductus est. Tu ingenium quoque tuum ad Deiparæ diuulgandam laudem exere, & pro modulo tuo fac, quod potes.

PRAXIS XVI.

Colere & amare cultores & amatores Matris dolorosæ, & eos, qui ad eam spectant.

§. I.

Cur Deiparæ amatores amandi?

AMor in Matrem dolorosam, & studium illam colendi non satis habet, si nos ei lediti simus, neque si alios, quotquot possu-nus, ad idem inducamus; sed si eam ab alijs oli amarique videat, siue à nobis eò indu-tis, siue non, magnam ex eo capit cum eo-um amore voluptatem; idque pluribus de ausis. Primò. Quia qui DEI Matrem valde mat, non sibi in amore satisfacit, sed magis nagisque cupit amare; quod quia sibi nun-juam videtur assecutus, & multum deesse mori suo existimat, gaudet, id, quod sibi eest, ab alijs suppleri, eosque ob id tenerè mat, &, quibus decenter potest, obse-uijs colit, iuxta cuiusque conditionem ac tatum. Secundò. Vel hoc ipsum, si aliud ihil esset, volupe nobis est, & nostrum er-a alios affectum conciliat, si eos idem obiscum sentire, & easdem habere propen-ones videamus. Si igitur nos Matrem dolo-osam, & cultu amoreq; dignam iudicemus, & co-

& colamus atque amemus; ipso velut naturæ ductu atque impetu ad eorum pariter amorẽ feramur necesse est, qui in hoc iudicijs voluntatibusq; nobiscum conspirant. Tertiò. Mater dolorosa, vt de se ipsa affirmat, Prou. 8. *diligentes se diligit*: & ego non diligam illos, quos illa diligit? Imò verò paulùm immutatis verbis dicam illi: Ego, Mater sanctissima, diligentes te diligo, & qui manè vigilant ad te, inuenient me semper paratum ac promptum ad eis, prout fas erit, benefaciendum & seruiendum. Dicit Christus Ioan. 16. ad Apostolos: *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis*. Et quidem tantum indicat Patris esse amorem, vt votorum illos suorum, petitionisque cuiuscunque velit compotes facere. Hoc enim volunt illa verba antecedentia: *In illo die in nomine meo petitis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis*; quasi diceret: Etiamsi ego meam authoritatem, deprecationemq; pro vobis non interponerem, vel hoc ipsum satis est, vt vobis omnia cõcedat Pater, *quia vos me amastis*; hoc enim ipso & ipse vos amat, & petitionibus vestris annuet; præsertim si fiant in nomine meo. Ita ergo, & quidem multò magis nos cõuenit amare eos, qui Matrem dolorosam amarunt, aut amant, vt ob id, quacunq; in re possumus, eis gratificemur, & opportuna præstemus obsequia vel subsidia. Quartò. Si quis te diligat, te obseruet, &, quod tibi gratum scit esse, id agat, potesne

tam-

am ferus esse ac barbarus, vt non eum vicissim diligas, & obsequijs officijsque cum illo certes? At longè tibi maius acceptiusque videri debet, si quis Matrem dolorosam diligat, quàm si te diligat; si eam potiùs honoret & colat, quàm te; si gratum illi aliquid faciat. Tu enim quis es respectu illius? Ergo, si tui amorem, & officia tibi delata vicario amore, officijsque compensas; nonne tantò magis compensare debes delata Matri Virgini, quantò illa tibi, teipso debet esse amabilior? Denique amor & cultus amatoribus cultoribusque Virginis exhibitus redundat in amorem & cultum illius, cùm propter ipsam fiat, & ab ipsius amore, tanquam à radice, proficiscatur; quin ipsa in amatoribus suis ametur. Hæc sunt non modò rationum momenta, quæ persuadeant, amandos esse amatores amabilissimæ Matris; sed etiam motiua, ex quibus voluntas & affectus noster in eos feratur, & quidem præstantissima, cùm puram & à nostris commodis atque affectu mercenarij defæcatam intentionem contineant. Nec enim, cùm amatores Virginis amamus, quidquam ab eis quærimus; sed amorem Virginis in eis amamus. Laus hæc singularis tribuitur P. Francisco Costero, eximio beatæ Virginis amatori, quòd non modò nũquam satiatus sit eius laudibus, seu narrandis, seu audiendis, imò tunc totus gaudio diffu-

diffluxerit; sed etiam quòd tenerè dilexerit, quotquot eius amatores reperisset. Et compensauit illi abundè hoc sui studium Virgo. Duo enim per eam dicitur consecutus: alterum, vt ad annum vsque octogesimum octauum nullâ inualetudine tentaretur; alterum, vt non modò nullum motum castitati contrarium, sed nè cogitationem quidem turpem sentiret.

§. 2.

Qui maximè Matris dolorosæ amatores amandi?

Est autem inter amatores Beatæ Virginis suus cuique gradus tribuendus. Neque enim omnes sunt pares; & par est ex hoc capite, magis amari à nobis eos, à quibus magis amata est Virgo, & pluribus amplioribusque obsequijs atq; officijs culta. Primum locum videntur debere obtinere sanctissimi parentes eius Ioachim & Anna; quippe à quibus in hanc lucem edita, nutrita & educata est, & ea ei charitas & cura, tanquam rei sanctæ impensa, qualem nulli vnquam amantissimi parentes suæ charissimæ proli præstiterãt. Ab ijsdẽ nomen diuinitus acceptũ, & ex cælesti oraculo ac præsagio Virgini impositũ est MARIA, quod, vt suprà dictũ est, ei maximè, quatenus dolorosa est, aut fuit, aut futura erat, cõpetit,

t vel hoc ipso de Virgine dolorosa bene meiti videantur, & digni, quibus à nobis, eam olorosam colentibus, honor & veneratio abeatur. Accommodari huc potest illud, uod in libro Ruth c.1. Noëmi, amissis filijs, icit: *Ne vocate me Noëmi (id est, pulchram) 'd vocate me Mara (id est, amaram) quia aaritudine valde repleuit me Omnipotens.* Idē nim quasi dixisse videtur Virgo Sanctissima iis parentibus: Ne mihi nomen imponite, eriuatum à pulchritudine, aut alijs dotibus, uibus Dei beneficio abundo, & magis maisque semper abundabo; sed vocate me MA-A, vel MARIAM (id est, amaram) quia aaritudine valde replebit me Omnipotens 1 passione Filij Dei & mei; verùm ita, vt ex oc fonte omne bonorum genus mihi emaaturum sit. Quemadmodum sanctus ille seecio Simeon, quando *puerum IESVM accepit i vlnas suas*, diuino afflatus spiritu, cùm Ma-is felicitatem dignitatemque prædicare deuisse videretur, omnibus alijs prætermissis, oc vnum elocutus est: *Tuam ipsius animam ertransibit gladius;* quasi hoc palmarium sit. *Luc.2.*

Porrò parentes Deiparæ non modò proter illam amorem & cultum merentur; sed tiam per illam, siue ipsius causa tales sunt, vt ximio cultu sint digni. Fuerunt enim singuaris prorsus & exquisitissimæ sanctitatis, uales decuit esse Dei Matris genitores. Vnde unquam peccarant lethaliter, &, vt quidam existi-

existimant, in vtero materno sanctificati sunt, quod licet ab authoritate, vel testimonijs veterum confirmari non posſit; non desunt tamen probabiles rationes & coniecturæ, quæ suadeant. Quodsi quisquam alius, præter Christum & Beatam Virginem in vniuerso hominum genere nullam, etiam leuissimam, venialem culpam admisit; id priuilegium etiā SS. Ioachimo & Annæ concedendum est. Eosdem Apostolis quoad internam sanctitatem præferendos esse, quidam contendunt, etiamsi fusior, & ad speciem illustrior Apostolorū gratia censeatur, ob donum linguarum, miraculorum, &c. superare quoque eosdem Apostolos, & Sacerdotes muneris dignitate, quòd hæc magnam necesſitudinem inferat cum IESV, & MARIA, eamque paternam ac maternam, cùm Apostoli & Sacerdotes nudum habeant ministerium ac famulatum. Denique Apostoli ante Apostolatum exigua, aut vix vlla habuerunt merita: at parentes Beatæ Virginis annis quadraginta eleemosynis, ieiunijs, precibus & omni virtutum genere illam impetrarant. Sed & Ioanni Baptistæ parentes Beatæ Virginis sanctitatis laude anteferendos esse, multis rationibus probari potest. Tū quia plus debent IESVS & MARIA Ioachimo & Annæ, quàm Ioanni; plus igitur illi gratiarum acceperunt. Tum quia, vt ait S. Thomas, *quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectū illius*

illius principij : Christus autem est principium gratiæ, secundùm Diuinitatem quidem auctoritatiuè, secundùm humanitatem verò instrumentaliter. Ex quo infert S.Thomas, Beatam Virginem, quæ Christo secundùm humanitatem propinquissima fuit, præ cæteris maiorẽ debuisse à Christo gratiæ plenitudinem obtinere. Inferri ergo etiam potest, SS. Ioachimum & Annam, cùm post Beatam Virginem eidem Christo propinquiores fuerint Sancto Ioanne Baptistâ, plus etiam gratiæ obtinuisse; præsertim cùm quasi parentes Christi censeri possint. Nam *aui*, seu parentes matris *in ijs, quæ benignè accipienda sunt & clementi interpretatione adiuuanda patris nomine, & priuilegio intelliguntur.* l.201.ff.de verb.significat. Tum denique quia Beata Virgo Sancto Ioanni omnes gratiarum & munerum prærogatiuas impetrauit. An non plus impetrauerit parentibus, quibus plus debuit? Ioannes, inquam, cùm in vtero matris suæ Elizabethæ esset, & cùm hæc primùm audiuit vocem salutationis MARIAE, exultauit & repletus est vnà cum matre Spiritu Sancto; & non putabimus, eandem Sanctissimam Virginem suæ Matri Annæ nouem illis mensibus, quibus in eius vtero fuit, vsu rationis iam tum à primo conceptionis suæ momento prędita, & sanctitate quemcunque Seraphinum longissimè superans; ac deinde etiam post suam natiuitatem, quando suos parentes non semel duntaxat salutauit,

sed

ſed continenter ex filiali pietate pro illis Deū precata eſt:non,inquam,putabimus,plus precibus ſuis, vitæque ſimul exemplis illis profuiſſe? Hæc ad laudem SS.Ioachim & Annæ dicta ſunto.

Secundùm hos, aut vnà cum illis præcipuâ veneratione colendus, & amore proſequendus eſt S.Ioſeph,Beatæ Virginis Sponſus.Hic enim & quorundam ex ſeptem doloribus Matris doloroſę ſocius ac particeps fuit.Nam verba, quibus S.Simeon illi gladium doloris prædixit,ipſe audiuit:fugam in AEgyptum vnà inijt;imò dux eius fuit: puerum duodenné IESVM, in templo amiſſum, per triduum luxit; & ſine omni dubio conſcius *fuit futuræ* Chriſti paſsionis,& compaſsionis Matris, eiſque deuotus; & fortaſſe excellentiâ ſanctitatis parentibus Beatæ Virginis aut non ceſsit, aut eos etiam exceſsit. De hoc enim aliqui diſputant. Ego nihil definio. Satis nobis ſit, ſanctiſsimum hunc virum fuiſſe Dei donis, virtutibus & gratiæ copiâ celſiſsimum, & in ſupremo perfectionis apice collocatum, qui Chriſti nutritius, proque eius parente paſsim habitus,& tanquam legitimus Beatæ Virginis coniux (inter quos verum, cum ſumma, & plùs quàm Seraphicâ puritate interceſsit Matrimonium) ius in Chriſtum habuit,iuri parentum in filios ſimile: princeps præterea fuit,& caput familiæ, in qua erant IESVS & MARIA. Quo etiam titulo gratiſsimum, neceſſe

cesse est, esse Virgini, si deditissimo studio & eximia obseruantia amoreque colatur. Nam, si inter homines iucundum solet esse ijs, qui heri sunt in domo & familiæ præsides, si vel iumentis, aut seruis eorum aliquid beneuolentiæ exhibeatur; quantò magis iucundum erit Deiparæ, si suo charissimo sponso amor atque obsequium præstetur? quod idem de parentibus Deiparæ dici potest. Hinc P. Balthasar Aluarez monitus est à Beata Virgine, vt S. Iosepho singulari affectu deuotus esset; quod ipsemet ante mortem fassus est.

Quid verò dicemus de S. Ioanne Euangelista? Ecquis de Matre dolorosa magis meritus est, aut plura maioraque illi detulit obsequia, quàm is, qui ei sub cruce indiuiduus comes adfuit, omnem opem, charitatemque exhibuit, eam in Matrem accepit, ei in Christi vicem, tanquam filius, substitutus est, cum ea per viginti duos circiter annos (tot enim post passionem Christi vixit) continenter habitauit, peregrinatus est, egit, dolorum Christi, quos, vt dixi lib. 1. c. vlt. assiduè mente agitabat, & cum ea, vt credibile est, conferebat, consors? Quam illi referemus gratiam pro tantis, & tam diuturnis, tamque fidelibus, tam amore plenis seruitijs atque officijs erga sanctissimam Dominam & Matrem nostram? quē amorem declarabimus? Et tulit ille quidem vberrimum fructum huius suæ in Matrē dolorosam charitatis ac pietatis, adeò vt existimem,

mem, præ cæteris prærogatiuis, quas habuit eximias, vt: quòd fuerit Apostolus, quòd Euãgelista, quòd Propheta, quòd Virgo, &c. hanc præcipuam ac potissimam, sanctitatisque ac diuinæ gratiæ fuisse longè feracissimam, quòd
1019. Matrem dolorosam *ex illa hora*, qua sub cruce ei à Dei Filio fuit commendata, *acceperit in sua.* Quantùm enim ex eius conuersatione profecit? quantùm oratione adiutus est? quãtùm charitate inflammatus? vt minùs mirum videri debeat, quòd & in epistolis, & in colloquijs, & in omni agendi modo nihil nisi charitatem spirauerit, haustam nimirum ab ea Matre, quæ tota in charitatem transiuit. Verũ hoc ipsum quoque (prout de S. *Iosepho*, & parentibus Virginis dixi) illum nobis magis amabilem venerabilemque reddit, quòd præter officia Matri dolorosę impensa, fuerit sanctissimus. Effundamus ergo nos totos in eius amorem & venerationem. Quidquid enim agemus, minùs debito agemus, & agemus cum magno animæ nostræ bono: quid enim est, quod ille apud Virginem & per Virginem nobis impetrare non valeat?

Proxima S. Ioanni in cultu & amore nostro debet esse S. Maria Magdalena cum cæteris Sanctis mulieribus, quæ Christo crucifixo & concrucifixæ Matri eius adhæserunt. Quã Christi crucifixi passionisque eius & earum rerum, quæ eam circumstabant, memoriam viridem semper & vegetam Magdalena retinuit,

muit, & calentissimo pectore fouit, vt dixi lib.2.c.13. Obseruatione dignum est, vt hoc obiter adnotem, ex ijs, qui steterunt iuxta crucem IESV, neminem; quod sciam, violentâ morte esse extinctum; vt videatur, illis hoc opus pietatis computatum pro consummato Martyrio. Tanti fuit, Christi passioni & Matris compassioni interfuisse, vt vel hoc solo & magnæ dignitati pares esse, & honorem à nobis ac cultum mereri possent. Cæteris vel in cælo Beatis, vel in hac mortalitate Matris dolorosæ cultoribus, amatoribusque suus, pro cuiusque gradu, à nobis exhibendus est seu cultus & obsequium, seu amor & beneuolentia; de quibus differere nimis longum esset. Non tamen possum, quin inter eos tibi peculiariter, & magno affectu colendum proponam S. Gregorium Magnum, à quo hymnus ille, omni pietate & teneritudine plenus compositus est, cuius est initium: *Stabat Mater dolorosa*; vt scribit Philippus Bergomas in supplemento Chron. anno 1399.

PRAXIS XVII.

Oblationes Matri dolorosæ, vel per Matrem dolorosam Deo facere.

I. NIhil est, quod non Matri dolorosæ debeamus; quippe quæ, cùm Mater Dei sit, ius in omnia acquisiuit, & suis nos benefi-

cijs ita sibi obnoxios habet atque obligatos, vt nihil non à nobis posſit exigere. Offeramus ergo illi, quidquid poſſumus. Ac primũ nos ipſos totos in ſeruos & mancipia, vt prae c. 14. dictum eſt, omnem diligentiam & curã adhibendo in omnibus, quæ ad illam ſpectãt, etiam minimis, vt quàm exactiſsimè & perfectiſsimè fiant,
Pſ. 122. *vt ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ: ita oculi noſtri* ſint ad Dominam noſtram, nutum eius expectando, & omnia ita peragendo, vt meritò illius conſpectui præſentari poſsint. Franciſcus Perez Societatis IESV Coadiutor, omnes ollas & lebetes nitidè lauabat, quòd hæc *etiam opera* veſperi offerret Virgini, & neſas duceret, aliquid offerre, quod non omni ex parte ſuũ nitorem atque abſolutionem haberet. Nec dubium eſt, quin hæc mens Deiparæ vehementer placuerit, quæ eam maximè reſpicit.

II. Neque ſolùm ea, quæ poſſumus, ſed etiam quando non poſſumus, ſaltem bonam voluntatem & deſiderium illi gratificandi offeramus. Valde hoc notandum eſt. Contingit enim interdum, vt vel obedientia, vel charitas, hîc & nunc in proximum exercenda; vel infirmitas corporis, vel occupationes, quæ differri in aliud tẽpus nequeunt; vel aliud quodpiam impedimentum, non ſinant nos ſtatam deuotionem, ſiue integrè, ſiue vlla ex parte

Beatæ

Beatæ Virgini absoluere, aut aliud, quod cu-
peremus, obsequium ad eius laudem & gu-
stum præstare. Tunc saltem conemur ali-
quid facere, quod possumus, vel certè solum
affectum bonæ voluntatis illi offeramus, si ni-
hil præterea sit, quod posśimus, vt in nobis
studium ei placendi videat, quod illi ipso o-
pere sæpe gratius est. S. Gertrudis, vt refert
Blosius in Monil. Spirit. cap. 3. aliquando æ-
gra in lecto decumbens, cum horas suas le-
gere non posset, neque etiam, iuxta desi-
derium suum, ad honorem Beatiśsimæ Vir-
ginis valeret dicere ex integro salutationem
Angelicam; conata tamen est sæpius itera-
re saltem hæc verba: *Aue MARIA, gratia
plena, Dominus tecum.* Huic se spectabilem
præbuit Dei Mater, amicta pallio, floribus
aureis mirè exornato, quibus significaban-
tur salutationes ab illa cum labore recitatæ:
in his excellentiśsimè relucebat pius affe-
ctus, quo Sanctiśsimam Virginem saluta-
re desiderauerat; relucebat etiam sancta
discretio, qua illa tantùm verba recitaue-
rat, cùm sentiret, se alia recitare non posse;
relucebat denique integra & plena fidu-
cia, qua confidebat, Matrem Domini be-
nignè suscepturam hoc ipsum exiguum ser-
uitium suum. En quot virtutes in non per-
fecto opere, quas multi fortè in peracto non
inueniunt! Hac etiam ratione conseruatur
continens & perpetua Virgini placendi vo-

 luntas,

luntas, vt, siue quid agimus, in eius Filijque honorem & gustum agamus; siue agere nequimus, voluntatem tamen agendi retineamus, quæ illi cedat in odorem suauitatis. Sanctus Gerardus Episcopus Canadiensis in Hungaria, in templo S. Georgij Martyris ad honorem Magnæ Matris aram erexit, ante quam thuribulum argenteum collocauit, duosque prouectæ ætatis homines constituit, quorum alteruter semper vigilaret, darentque operam, ne vlla vnquam hora thymiama deesset. Ita Surius in eius Vita to. 5. die 24. Septemb. Vtinam nos quoque iugiter, vsque ad vltimam ætatem, aut bono opere, aut bona voluntate thus Deiparæ adoleamus.

III. Verum enimuero, quia id totum, quod à nobis esse potest, parum est, aut nihil respectu dignitatis Matris Dei; offeramus illi omnium Sanctorum in Ecclesia militante & triumphante obsequia, iubila, laudes, gratulationes, gratiarum actiones, adorationes, amores totius æternitatis; quæ illi ita velimus, ac si nostra, aut à nobis profecta essent, optantes eadem illi præstare, si in nostra esset facultate. P. Didacus Martinez cupiebat solus illam tantum amare, laudare, venerari, quantum Sancti simul vniuersi. Rogandi etiam sunt Cælites, vt suppleant vices nostras in ea laudanda, amanda, adoranda: quod

quod cùm aliàs sæpe faciendum est, tum maximè, quando, vt superiùs dixi, vel infirmitate, vel alia causa impedimur statam, aut destinatam deuotionem absoluere, ita, vt præter piam voluntatem, quam Beatissimæ Virgini offeramus pro facto, munus hoc etiam committamus Sanctis in cælo, vt, quod nos nequimus, illi nostrî loco agant. Quod ipsi libentissimè facient. quid enim illis est iucundius, quàm id à se peti, in quod tota mentis inclinatione propendent? Præterea Deo grates & Deiparæ agamus, quòd eas gratias & dona contulerint Sanctis, per quæ id adepti sunt, vt eos tantoperè laudare, amare & rectè ac piè factis exhilarare possint: & ita quidem grates agamus, ac si nostra illa dona forent; quandoquidem, si nostra forent, non ijs aliter vteremur, quàm vsi sunt Sancti, ad laudem nempe & oblectationem DEI & eius gloriosissimæ Matris. Atque ita habemus id per Sanctos, quod per nos ipsos consequi optaremus. Vnde & his quoque gratiæ agendæ sunt, quod DEI gratia & donis bene vsi, Sacratissimam Virginem siue benedixerint & amauerint in terra, siue nunc benedicant atque ament in cælo; quod pro maiore beneficio nobis collato ducere debemus, quàm si in nos fuissent largi, ac benefici; siquidem DEO & Beatæ Virgini gratum aliquid fieri magis in opta-

tis nobis esse par est, quàm nos locupletari. Hac igitur ratione oblationes dolorosæ Virgini per Sanctos facimus, & eorum auxilio ad illius gloriam & gustum nos iuuamus, inuitando etiam illos, vnà cum omnibus alijs creaturis ad congratulandum ei de tanta felicitate & bonis; præsertim sub cruce & per crucem Filij acceptis, & ad agendum pro illis Deo gratias. Hoc est, alieno corde, vel cordibus eam amare, quando cor nostrum adeò vile est, & humi repit, vt ad congruentem Deiparæ amorem, prout vellemus, non assurgat. Sed præsertim, & ante omnia amanda est Virgo corde & amore Christi, quo illam nimium quantùm amauit; maximè cùm in cruce esset, redimens illam modo multò præstantiore & principaliùs, quàm totum reliquum mundum. quod Christi cor erga illam ardentissimum illi offeramus. Sanè ipsamet Sanctæ cuidam personæ reuelauit, nihil sibi gratius offerri posse, quàm cor Filij: neque puto efficacius motiuum adhiberi posse ad impetrandum aliquid ab ea, quàm obsecrando per cor filij eius amantissimum. Et; quia Christus, Filius eius, Deus & homo est; vtroque eius corde, & diuino, quod commune est toti Sanctissimæ Trinitati, & humano eam amemus, vtrumque illi offeramus, volendo illi vtriusque huius cordis amorem, & affectum & bona omnia, quæ ab illo emanarunt.

His oblationibus, quæ intra personas, in- IV.
:llectu præditas, consistunt, addi possunt
›lationes, vel repræsentationes, etiam re-
ım, seu intellectu, seu vita quoque caren-
ım, quatenus ad prædicandam Dei genitri-
s laudem, aut contestandam eius excellen-
am, & velut supremæ vniuersi Reginæ in
nnia dominium, seruire possunt; vel nobis
:casionem præbere, v. g. vt per illas multi-
icationem gratulationis, salutationis, lau-
s &c. exprimamus, dicendo: *Toties tibi
atulor, toties te saluto, laudo, benedi-
; toties tibi omne bonum, quod habes, cupio,
ɪenedicta Virgo, quot sunt stillæ pluuiæ, gut-
maris, & fluminum, stellæ cæli, arenæ, quæ
nt in littore maris, gramina in pratis, fo-
: in arboribus, &c.* Et expedit, tales occa-
ɪnes sic gratulandi, laudandi &c. aut ca-
ąre, aut oblatas auidè acceptare, vt, cùm
ıit, cùm arenam in littore maris, & mare
sum, cùm prata vestita graminibus, aut fo-
s arbores, cùm stellas cæli &c. aspici-
us. Aliquando huiusmodi irrationales crea-
ras illi offerre possumus, addendo ex par-
nostra pium aliquem affectum & cogita-
ɔnem; vt si Matris dolorosæ imaginem or-
:mus rosis, aliisque floribus, recogitan-
s illud ex Canticis: *Fulcite me floribus, sti-
:te me malis, quia amore* (& verò etiam Cant. 2.
ɔlore sub cruce) *langueo*; vel mente volen-
s illud, quod de illa canit Ecclesia: *Et sicut*

 dies

dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium, hoc est, omnigena virtutum fragrantia, quæ ex CHRISTI passione, velut radice, illi pullulauit. Pelbartus in Stellario lib.2.p.2.a.3. ex B. Capistrano refert, Clericum quendam quotidie florum serto Beatæ Virginis effigiem coronasse, magno, vt apparet, cum animi sensu. Nam cùm, suscepto ordine Minorum, sertum illud in Religione offerre nequiret, dolenter tulit, sibi eius pietatis & amoris in Virginem testificandi copiam non esse. Cæterùm hoc perperam egit, quòd dolorem eousque increscere sit passus, vt eam ob causam ad sæculum redire vellet. Itaque apparuit ei oranti Virgo, monens, vt loco serti rosacei, sertum sibi spirituale, siue Rosarium offerret; id vtique in Religione longè sibi gratius fore. Hunc deinde à latronibus captum Diua Virgo, serto illo, quasi corona redimita, liberauit; & ad Angelos conuersa, dixit: *Ecce, quali me corona frater ille ornauit.*

V. Hactenus de oblationibus, Matri dolorosæ faciendis. Faciendæ quoque sunt per illam Deo Domino nostro. Est enim illa nostra Mediatrix, Aduocata, Patrona, Mater (quæ officia maximè sub cruce in suis doloribus accepit) sibi honori ducens, si per eam DEVM honoremus; & cùm meritis totam curiam cælestem excedat, plus per illam

illam ſolam efficimus & obtinemus, quàm per omnes alios Cælites. P. Carolus Spinola ſic ſolebat orare: *Domine, per cor Beatiſſimæ Virginis da mihi gratiam, vt nũquam te peccato aliquo offendam; ſed ſemper tuam voluntatem impleant.* S.P.N. Ignatius, cùm ſe totum DEO conſecrare vellet, & in Chriſti IESV familiam adſcribi; continenter Beatam Virginem rogabat, vt per eam id fieret. adeoque quaſi manibus Sanctiſsimæ Matris ſe DEO offerebat. Idem in aureo illo ſuo Exercitiorum libello, in fine meditationis, quæ eſt de duobus vexillis, vbi triplex Colloquium ponit, vult, vt primùm nos conuertamus ad Dominam noſtram Chriſti Matrem, per illam flagitando, vt ſub Chriſti vexillum recipiamur; quod idem eſt, ac ſi oblationem noſtri DEO per illam faceremus. P. Thomas Saillius, Societatis IESV, in Miſſæ Sacrificio per ipſam ſuas neceſsitates, ſeque filio commendabat.

VI. Et rectè hi quidem, ac ſanctè ſeipſos & ſua per Beatam Virginem offerebant DEO & commendabant. Verùm mihi nihil in vllo genere præſtantius occurrit, ſiue ad colendum DEVM, ſiue ad conciliandam eius in nos munificentiam, & deriuandos diuinæ bonitatis theſauros, quàm ſi per Virginem doloroſam DEO Chriſtum offeramus, vel potiùs eam rogemus, vt eum in cruce cruentatum, vulneribus & doloribus plenum, DEO in-

odorem suauitatis cum ipso offerat, eo modo quo fecit, dum sub cruce staret, quando per hoc potissimùm saluti nostræ cooperata est, & Mater nostra effecta, vt lib. 1. c. 9. §. 3. est dictum. Simul ipsa quoque Christum roget, vt seipsum Patri æterno offerat. Valde, & iterum, atque iterum dico, valde hoc nobis commendatum esse debet, & in vsum induci, vt, prout iã dixi, per Beatam Virginem Christum DEO offeramus. Quid enim honorificentius potest esse DEO, quàm si ei offeratur Filius, qui & ipse DEVS est, in gratiam ipsius se vsque ad crucem, vulnera, sanguinem, mortem exinaniens & humilians; & offeratur à DEI Matre, cuius totus est, quæque, illum offerendo, suum quid offert & offert cum ipso. Et si eum roget, vt se ipse offerat DEO, Mater filium rogat, in quem authoritatem maternam habet, & cuius filius, vt Matris, voluntati obsecundat. Itaque ex eius quasi imperio materno Christus, se offerendo, DEVM infinitè honorat. Et potestne DEVS aliquid negare, si preces talibus oblationibus sint vestitæ? talibus instructæ impetrandi medijs? de hoc orandi & obsecrandi modo praxi c. §. 8. vbi pro fidelibus defunctis eum adhibendum suasi. Nunc idem repeto ac inculco, suadeoque, vt adhibeatur ad quiduis aliud, pro nostrâ, aut aliorum salute & DEI gloria obtinendum; quippe cùm sit efficacissimus. Eo videtur vti Sancta Ecclesia in hymno: *Aue*

maris

maris stellæ; quando ait: *Monstra, te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus*: aut saltem hæc stropha eo explicari, & intelligi potest. Mater nostra constituta est Virgo sub cruce filij, vt sæpius est dictum, offerendo illum, vt quid suum, DEO pro nobis varijs modis. Hoc igitur maternum munus vt exerceat, & se Matrem illam esse monstret, quæ sub cruce fuit, ab ea petimus; vtque preces non modò nostras, sed & suas cum oblatione eius, qui pro nobis ad hoc natus, vt morte, & passione suâ nos redimeret, tulit esse eius, simul ipsi, tanquam DEO, offerat, vt eas per illam sumat, quæ illi, vt Mater, est charissima; simul eum quoque, tanquam Hominem, roget, vt eas porrò Patri æterno repræsentet. Narrat Horatius Tursellinus, lib. 5. hist. Lauretanæ, scelestum quendam hominem, posteaquam se Dæmoni chirographo dato deuouisset, resipiscentem deinde, DEI misericordiam per Virginis opem implorasse, hos ad eam versiculos ex animo sæpe iterantem: *Monstra, te esse Matrem, sumat per te preces, &c.* subitoque inter hæc verba chirographum in manus eius esse delapsum. Tantæ virtutis, roborisque sunt, si piè, & debitè vsurpentur.

VIII. Addo ad extremum, cùm oblationem per Virginem siue Christo, siue à Christo Patri æterno facere volumus, vt ita ei vices nostras committamus, siue vt eum rogemus, vt vice

nostri DEO ita offerat, sicut illa scit, se id optimè præstare posse. Sicut enim sanctitate, ita rerum diuinarum notitiâ, & modorum DEI colendi orandique cognitione Cœlites vniuersos superat: &, cùm plurima nos in hoc genere lateant, quæ illa perspicacissimè nouit, quando sic illam rogamus, & ipsius cognitione (quâ nos caremus) vtimur, DEVM per illam colimus, & oramus excellentissimis modis, nobis ignotis. Vide etiam, quæ diximus lib. 2. c. 12. n. 4.

PRAXIS XVIII.

In honorem Matris dolorosæ Virginitatis, aut castimoniæ decus illibatum conseruare, & voluptates sensuales auersari.

I. PVrissimæ Virginum Virgini non potest non esse gratissimum munus Virginitas & Castitas. Gaudet enim sui aliquam similitudinem in alijs intueri. Et eò magis pertinet hæc virtus ad eam, vt Mæstam & dolorosam colendam, quò magis homines abducit à delectationibus corporeis, quibus Virgineus sub cruce dolor ex opposito contrarius fuit. Neque mysterio vacat, quòd Christus Matrem suam, sub cruce dolentem S. Ioanni commendauit. S. Epiphanius lib. 3. aduersus hæreses:

ses; *Quâ ratione*, inquit, *non Petro, non potiùs Andreæ, aut Matthæo? At manifestum est, quòd Ioanni propter Virginitatem.* Primus igitur eius filius adoptiuus S. Ioannes ideo fuit, quia Virgo fuit. Adeò illi Virginitas placet. *Agnoscit Virgo,* ait S. Bernardus in sermone super Salue Regina, *& diligit diligentes se, & propè est in veritate inuocantibus se; præsertim his, quos videt conformes sibi factos in castitate & humilitate.* Innumera sunt exempla, quibus id declarari posset. S. Rosæ Mater dolorosa cum Christo filio cruentato apparuit, quem illa in Sponsum elegit, Virginitate ei consecratâ, ac postea continenter dolores eius in corde gestauit. Nimirum benè inter se conueniunt Virginitas & dolorum Christi memoria cum Deipara communis; & ad eius dolorosæ honorem directa. Nam & rosa in spinis, & Sponsa Christi, *sicut lilium inter spinas* est, inter aculeos scilicet dolorum.

Neque verò quicquam ferè est, in quo libentiùs Deipara & promptius, atque etiam liberaliùs, efficaciusque subuenit, & opem suam confert, quàm ad tuendam & conseruandam castitatem, præsertim si vt dolorosa inuocetur. Cùm Religiosus ex Ordine S. Frãcisci Ripa Transon, Matris & Filij doloribus deuotus, peteret aliquando cordis puritatem per dolores dolorosæ Matris; apparuit illi Virgo, &, positâ suâ manu super eius pectus: *Accipe*, inquit, *cordis puritatem.* Quare, II.

rectè B. Albertus Magnus (hoc enim Beati titulo eum Vrbanus VIII. Pontifex insigniuit) in c. 1. Lucæ: *Si illecebra*, inquit, *carnis te trahunt, & superantes iam ad illicitas delectationes te propellunt; baptizare in amaritudine maris, & nomina* MARIAM, *& sic pro certo in te ipso experieris, quòd iustè vocatum est nomen Virginis* MARIA. Adeò nempè efficax est patrocinium Matris dolorosæ ad castimoniæ integritatem retinendam, vt vel solum nomen eius (quod S. Chrysologus serm. 146. vocat *virginitatis insigne, pudicitiæ decus, indicium castitatis*) ab ijs, qui eam tenerè diligunt, inuocatum, sufficiat ad *abigenda & retundenda* illa; quæ puritati sunt contraria; quia nempe amaritudinem Maris, siue dolores Virginis significat. Cùm in huius vitæ mortalitate Virgo adhuc degeret, solo suo aspectu, docet S. Ambrosius lib. de institut. Virg. c. 7. S. Thomas, S. Bonauentura & alij, vniuersos ad castitatem purissimumque amorem excitasse, motum omnem in eis concupiscentiæ extinguendo: & quidem, vt multi opinantur, siue illa alios aspiceret, quantumuis ab ijs non aspiceretur, siue aspiceretur ab alijs, licet ipsa illos non aspiceret. Neque hoc magnopere mirandum est, cùm nostrâ ætate B. Maria Magdalena de Pazzis etiam suauem odorem è Virgineo suo corpore exhalauerit; qui quia castitatis amorem ijs, quibus afflabatur, ingenerabat, dictus est

odor

odor castitatis. Quantò magis Virgo Deipara sub cruce myrrhæ, & omnium odoramentorum, atque aromatum instar doloribus contrita & vsta, suauissimum & deliciosissimum castitatis odorem adhalabit cultoribus & amatoribus suis, & quam S. Proclus Episcopus Cizicenus appellat *impollutum & purum illibatæ Virginitatis thesaurum*; S. Ildephonsus, lib. de Virg. MARIAE, *æternitatem Virginitatis*: eius possessionem continenti propagatione ad suos transfundet, cùm nihil desideret magis, quàm vt casta generatio, quâ nihil est pulchrius, nihil amœnius, sibi, & Virgineo filio suo, semper vireat, floreat, fragret. Vnde meritò sic hortatur S. Chrysostomus: *Quicunque estis Virgines; ad Matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, preciosissimam & incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conseruabit.* Rogatus aliquando P. Bernardinus Realinus, vt remedium aliquod præscriberet aduersus fœda phantasmata, & nocturna in somno carnis tentamenta; hoc cuidam præscripsit: vt ter crucem super cor formaret, & hæc verba proferret: *Per sanctam Virginitatem tuam, purissima Virgo, emunda carnem meam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.* Fecit ille; & ab illis fastidijs liberatus est. S. Bonauentura contra impuras suggestiones consuluit, salutationem Angelicam opponi.

In Societate nostra, in qua etsi DEI benignitate

tate hæc virtus & DEI donum florent; animaduerti tamen, in ijs fuisse excellentissimum, qui maximè Purissimæ Virginis fuere studiosi. S. P. Ignatio apparens Virgo, omnes fœdæ libidinis imagines ac species ita ex mente detersit, vt nullam vnquam deinceps illarum titillationem sentiret. S. Xauerius inter impurissimos homines, quibus conuertendis operam dabat, purus, velut solis radius, in luto versatus est, neque nisi semel in somno turpis ei species obiecta est, quam tanto nisu repulit, vt euigilans magnam vim sanguinis è naribus profunderet. Quid? quòd P. Iosephus Anchieta *solus inter Tamnyas in Brasilia obsidis loco per duos menses relictus, quibus sola forma hominis fuit, cætera erant belluæ*, & belluis fœdiores, vti nullo vestitu, ita nullâ verecundiâ tecti; inter hæc, inquam, aliaque non modò irritamenta, sed etiam inuitamenta purissimus permansit Deiparæ tutelâ, cuius tum laudes carmine concinnabat? Et quis referat Aloysios, Berchmannos, aliosque plurimos, in humanis corporibus Angelos, studio colendæ Virginis addictissimos? Vnum omittere non possum, ex quo appareat, quantum ad castitatem in cultu Beatæ Virginis sit præsidij, quod refertur in 2. p. hist. Societatis lib. 1. num. 63. P. Iacobus de Ledesma, vir & doctrinæ & sanctitatis laude illustris, Societatem IESV ingredi meditabatur: sed eum occupabat timor, & quædam

quasi

quasi diffidentia de perseuerantiæ & castitatis dono. Non deseruit sic fluctuantem præses integritatis, Deique genitrix Virgo; sed ei se videndam præbuit, tribus stipata comitibus; Mariâ Magdalenâ, S. Catharinâ Virgine & Martyre, & S. Catharina Senensi; atque vt Societatem ingressus neque de castitatis, neque de perseuerantiæ munere consequendo dubitaret, hortata est; nunquam se ei defuturam, & affuturam iterum in morte, quò de perseuerantiæ dono certior, migraret è vita. Idem & Deiparæ comites affirmabant, in ipso discessu suauissimo cantu castimoniæ præstantiam modulatæ; ex quo carmine hi simplices versiculi ad nos peruenerunt: *Quantum est donum castitatis, quod* DEVS *confert pietatis!*

Cæterùm, quamuis Sanctissima Virgo castimoniæ decus, sibi acceptissimum, in suis clientibus conseruet; vult tamen etiam, vt ipsi quoque ad eius tutelam ex sua parte aduigilent, *& thesaurum hunc in vasis fictilibus portantes*, magnâ cautelâ & circumspectione, nè (quod facilè luteo & fictili vasi contingit) eo fracto, perdatur, vtantur. Ad quod confert inprimis custodia sensuum. Alphonsum Rodriquez, Societatis IESV Coadiutorem, qui alioquin per quadraginta septem annos nullam fœminam, cùm tamen esset Collegij Maioricensis totidem ferè annis ianitor, de facie vidit; cum per plateam incedens,

III.

2. Cor. 4.

dens, oculos fortuitò eleuasset, conspexisset-que hærentem in fenestra ex improuiso mulierem, Beata Virgo in examine redarguit, quòd fœminam vidisset, cùm tamen sine vlla, vt dixi, deliberatione, aut videndi intentione id contigisset. Quid igitur diceret Virgo Sanctissima, si quis deditâ operâ, sine necessitate oculis suis quæque videndi libertatem permitteret, castitatique interitus
Ierem. 9. & mortis, quæ per fenestras oculorum intrat, periculum admitteret? Dignum imitatione exemplum in hoc reliquit P. Balthasar Aluarez, qui, cùm in publico quodam actu, cui interesse debuit, oculos attollere nequiuisset, quin è regione constitutas fœminas videret, imaginem Beatæ Virginis, quam secum portare est solitus, exemit, in eáque septem ipsas horas defixus mente & oculis inconniuis hæsit: Hoc vtique visu dignius ratus esse spectaculum.

VI. Deinde in hoc etiam attentos nos esse conuenit, vt, siue ad castitatis securitatem, siue ad Matris dolorosæ honorem, si quando se nobis aliquid offert, quod sensualitatem redolet, quantumuis à turpitudine libidinis remotum sit; respuamus & auersemur, nisi nos pura puta necessitas àd acceptandum cogat; cui ineuitabili necessitati dolenter à nobis indulgendum est. Nam, *qui*, vt ait S. Gregorius, *abscindit licita, faciliùs abstinebit ab illicitis*: & indecens est, vt, qui se profitetur

tetur Matris dolorosæ cultorem, qualescunque delectationes corporis consectetur, quãdo illa in doloribus est. Quæ enim conuentio doloribus cum delicijs, aut cum amaritudine voluptati? Virgo illa castissima, nè DEI quidem & suum filium amauit amore sensuali, vt lib.1.c.1.& lib.2.c.5. dictum est. Vide ibi dicta, quæ hoc argumentum confirmant. Quinetiam, qui singulares Matris dolorosæ cultores censeri volunt, contrarijs mortificationibus, sensualibus delectationibus obuiam eunt. Quidam amarum aliquid in ore gestant (vt de pia quadam persona à fide digno accepi) vt gustatus suauitatem amarore elidant. Anno 1612. mortuus est quidam nomine Simon, Sacerdos Valentinus, qui se diebus Veneris ita gerebat, vt feriâ sextâ Parasceues, ob Christi passionem & Virginis dolorem: cædebat se ad columnam atrociter, & præterea fel & acetum sumebat. Alij alijs modis sensualitatem mortificant. Vide praxin 3. Præterea ad conseruandam illibatam castitatem multùm confert animi demissio, erga superiores subiectio & mansuetudo, vt dixi lib.2. cap.8.

):(

PRA-

PRAXIS XIX.

Immaculatam Deiparæ conceptionem tueri.

I. POtest hæc etiam pietas medijs tuendi honorem Virginis castimoniæ annumerari, de quibus paulò antè actum est. Sanè M. Auila asserit, certo experimento compertum esse, facilè ab ijs tentationes carnis superari, vel non sentiri, qui Beatissimæ Virgini per immaculatam cōceptionem supplices fuerint. Verùm, est alia quoque ratio, quę nobis hāc pietatem persuadeat. Est enim magna immaculatæ conceptionis cum Matre dolorosa connexio; quippe cùm à dolorib⁹ & passione Christi pendeat, ex cuius dormientis, hoc est, morientis latere hæc secunda Eua sine macula formata est. atque adeò, qui immaculatam conceptionem tuetur, Dolorosæ Matri rem [illegible]dò gratam facit. In Officio de immaculata Conceptione, quod Religiosi ex ordine S. Francisci orant, est hæc oratio: *Deus, qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, vt, qui ex morte eiusdem Filij sui præuisa, eam ab omni labe præseruasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas, Per Dominum nostrum &c.* Porrò mors, & passio Christi, cui Mater dolorosa adfuit, ideo fuit origo

origo & cauſa immaculatæ eius conceptionis; quia per illam peculiari & præſtantiori modo redempta eſt, vt explicui & latè deduxi lib. 1. c. 8. §. 1. 2. 3. Quare, cùm ibi de hoc argumento prolixiùs egerim, vix aliquid eſt, quod hîc addam, niſi breuiter exempla aliqua, aut narrationes hiſtoricas, quibus inducamur, ad hoc tuendæ immaculatæ conceptionis ſtudium, cujus præcipua gloria debetur Hiſpanæ genti.

Magnâ certè curâ & ſedulitate Philippus III. Hiſpaniæ Rex, vel ob hoc æternâ memoriâ dignus, ex præcipuorum Prælatorum Hiſpaniæ & Theologorum, eam ob cauſam cõgregatorum, conſilio egit apud ſummũ Pontificem Paulum V. Anno 1614. vt immaculatam conceptionem Deiparæ definiret. Et, licèt eo anno nihil peculiare obtinuerit; non tamen à pio conatu deſtitit, ſed maiore iterum ſtudio rem vrſit, iterumque apud eundem Pontificẽ inſtitit, à quo denique anno 1617. Bullam impetrauit, qua vetatur, nè quis in concionibus, lectionibus, aut quibuſcunque publicis actibus proponere, aut docere poſſet ſententiam, quæ immaculatæ cõceptioni aduerſatur. Deũ immortalem! qui plauſus, qui triumphi, quæ gratulationes, quæ tripudia, acceptâ hac Bullâ, per Hiſpaniam ſunt inſtituta! A ſexta Octobris, qua die nuntius cum ea Bulla aduenit, ad octauam vſque Decembris, nihil omiſſum eſt, quod ad lætitiæ ſignificationem pertinere II.

poſſe

posse videbatur. Supplicationes passim indictæ, festiui ignes excitati, ludi & comœdiæ populo exhibitæ, &c. Vniuersitates omnes, Canonicorum cætus, Collegia, Sodalitia plurima edito voto se obligarunt, nunquam cōtra Immaculatam conceptionem dicendi sentiendivé; quibus accessit innumerabilis alia hominum multitudo. Rex ipse Sodalitatem Immaculatæ Conceptionis instituit Madriti in Regio S. Claræ Monasterio, cui ipse vna cū liberis, & Principes domestici omnes, omnes Hispaniæ Magnates, Vice-Reges, Duces, Marchiones, Comites, alijque è nobilitate, & præter Collegia & Academias, Monasteria centū octoginta, & supra viginti hominum millia omnis ordinis, ætatis, conditionis, sexûs, sua nomina dederunt, factâ voti sponsione, propugnandi vsque ad extremum spiritum, iuxta Ecclesiæ permissionem, Beatissimæ Virginis immaculatè conceptæ, decus. Neque hic stetit ardor. Nam Philippus IV. rem vlterius acriùs vrgendam ratus, misit Legatum in Vrbem ad Gregorium XV. Papam, ab eoque Bullam Anno 1622. 4. Maij impetrauit, qua contraria Immaculatæ conceptioni opinio etiam in priuatis colloquijs proponi propagarique prohibetur. Multa tunc, & aliàs facta sunt ab Hispanis, cum ingēti profusione sumptuum, in honorem immaculatæ conceptionis, quæ referre supersedeo.

III. Æmulatæ sunt hanc Hispanorum pietatē

aliæ

aliæ quoque nationes. Ferdinandus II. sanctæ memoriæ Imperator gloriosissimus, Beatæ Virginis ope in Imperium euectus, ab Vrbano VIII. obtinuit, vt per omnia sua Regna & Prouincias festus, etiam in foro, Immaculatæ cóceptioni dies ageretur, qui iam in his terris non minùs solenniter, piéque Sacramenta suscipientium numero rebusque cæteris celebratur, quàm aliæ eiusdem festiuitates. Taceo sodalitates sub hoc nomine erectas, & alia, quæ per orbem Christianum Virgini immaculatè conceptæ præstantur obsequia. Sunt, qui suo sanguine syngrapham conscribunt, qua se Virgini, pro tuenda eius immaculata conceptione, sanctissimè deuouent: vti factũ a Berckmanno nostro accepimus. Alij alia agunt. Neque iam ferè quidquam est communius inter Fideles, quàm Officium immaculatæ Cóceptionis orare, ad quod quotidie persoluendum, Societatis nostræ homines Alphonsus Rodriquez ardentissimè hortabatur, huic mysterio suprà quàm dici potest, impensè deditus. Aiebat ille præterea, hanc vnam inter cæteras esse causam institutæ à Deo Societatis IESV per S. Ignatium, vt immaculatã Deiparæ conceptionem omni tum doctrinæ, tum eloquentiæ copia tueretur, &, quò diffusa est, orbe toto disseminaret atque euulgaret. Atque hoc tanto animi confirmabat ardore, tantâque spiritûs diuini vehementiâ, vt nihil vnquam pari pronunciarit affectu: neque de suo

de suo id se promere & asseuerare, aut esse id à se excogitatum; sed haustum de cælo à Beatissima Virgine se id accepisse & didicisse. Et sanè, cùm hoc mysterium à doctissimis pijssimisque aliorum Ordinum viris acerrimè propugnatum sit, & etiamnum propugnetur, quibus sanè sua, eaque præclara laus debetur; negari tamen non potest, quin etiam Societatis homines ad id aliquid contulerint. Numerat Granado quinquaginta tres doctrinæ laude præstantes ex Societate, qui de hoc argumento scripserunt. & circa initia Societatis P. Iacobus Laynez in Concilio Tridentino Summi Pontificis Theologus, *quantumuis* quartanâ laborans, tres continenter horas pro immaculata conceptione perorauit; quoque magis dicendo progressus est, eò magis vires corporis sibi accrescere sensit, seque seipso valentiorem fieri; cuius potissimùm suasione Sancta Synodus honorifica illa de Virgine concepta decreta, & Sixti IV. constitutionem confirmauit. Ita Ribadeneira lib. 3. Vitæ c.7. Tu vide, vt in horum, aliorumque propugnatorum Immaculatæ Conceptionis censum, siue eruditionis, siue pietatis impendio venias.

PRA-

PRAXIS XX.

Peregrinationes in honorem Matris dolorosæ obire.

VEtus eſt Chriſtianorum conſuetudo, Sã-ctos peregrinationibus inſtitutis honorare; præſertim verò Virginem ſanctiſsimam. Et certè vix eſt vlla in Chriſtianitate Prouincia, quæ non habeat locum aliquem celebrẽ, illi dicatum & hominum concurſu frequentatũ; inter quæ loca multa ſunt, in quibus, quatenus doloroſa eſt, colitur; vt: in Belgio & Colonienſi diœceſi; in Boëmia Krupnæ, quò in Autumno ingens aliquot millium multitudo confluere ſolet, magno cum ſenſu pietatis & fructu. Ea præterea ferè omnia loca, quæ Chriſti paſsionem Fidelibus repræſentãt, Matris quoq; doloribus recolẽdis, venerandisq́; apta ſunt; neque enim Filij paſsio à Matris cõpaſsione ſeiungi debet: qualia ſunt Mons Veranus in Italia, S. Caroli Borromæi vltimâ ante obitum peregrinatione nobilitatus; Mons Caluariæ in Polonia, & ipſa demum Hieroſolyma, vbi paſſus, & crucifixus eſt Dominus, & cum illo gladio doloris transfixa Domina noſtra. Ad horum ergo aliorúmve locorum quẽpiam, in Matris doloroſæ honorem, peregrinationem inſtituere, gratum eſt illi ſine dubio obſequium, modò rite & rectè fiat, ſine ad-

mixtione sinistræ alicuius intentionis, & cum eo virtutum vsu atque exercitio, quod huic pio operi annecti par est, vitatis, quæ irrepere possunt, noxis & imperfectionibus.

II. Exemplum piarum peregrinationum ipsamet Beata Virgo nobis præbuit, itans quotannis Nazaretho Hierosolymam terram [illegible] itinere ad templum, insigni cũ pietatis [illegible], vt lib. 2. c. 11. dictum est. Alias quoque frequentes suas peregrinationes virtutibus præstantissimis adornauit. Humilitas & misericordia causæ fuerunt suscipiendi per montana Elizabeth itineris, vt ei inseruiret, & Ioannem Baptistam à peccato originali per filium liberaret, & Zachariæ loquelam redderet: vbi etiam eius Virginalis verecundia in eo eluxit, quòd solam Elizabetham allocuta sit. Cùm enim Zacharias surdus esset & mutus, non satis decorũ, aut conueniens esse existimabat, si nutibus, aut signis fœmina casta virum quantumuis vetulum, alloqueretur; præterquam quòd Virgines, aut nuptas fœminas potiùs, quàm viros salutare, decentius est. Debet hæc virtus peregrinantibus cordi & magnæ curæ esse in conferta turba vtriusque sexûs, siue in itinere & diurnis nocturnisque hospitijs, siue in ipso peregrinationis termino, ad quem instituuntur. Illud etiam commendatione dignum est, quòd in salutatione Elizabeth parca admodum verborũ Virgo fuerit. Nullum enim memorat Euangelista, nisi

prima

primæ salutationis, & Dei laudis per illud sũ-
ım aureum MAGNIFICAT &c. Sanè in
)ijs peregrinationibus nullum à quopiã ver-
)um proferri deberet, nisi quod necessaria
:haritas exigit, & officium salutationis, quod
psum, exemplo Deiparæ, breuiter expedien-
lum est, vt diutius in diuinis laudibus & ma-
;nificando Deo atque oratione hæreatur. Nã,
i peregrinationes verbis & collocutionibus
ɔanibus transigantur, parum aut nihil à pro-
ınis itineribus & profectionibus differunt.
ed & reliquæ Beatæ Virginis peregrinatio-
es egregijs virtutib⁹ fuere illustres. Obediẽ-
ia erga sæculares Principes, tametsi impro-
os & infideles, eam in Bethleem duxit, vt ibi
Christus nasceretur; Religio, ad adeundum
uotannis templum Hierosolymitanum per-
ıouit; Materna pietas & cura in Filium ad fu-
am in Ægyptum induxit; Diuini verbi au-
iendi sitis, vt Christum prædicantem seque-
etur, impulit; Zelus diuinæ gloriæ & anima-
ũ vt Ephesum (vbi fuisse colligitur ex Cõci-
o Ephesino) iret, & Cæsaraugustæ in Hispa-
ia appareret, persuasit; Dei Christique filij
agrantissimus amor, & erga eius passionem
ınctissimus affectus, vt loca, in quibus passus
st, post eius in cælum ascensum frequenter
ıuiseret, incitauit. Enimuero huiusmodi vir-
ıtibus redduntur peregrinationes piæ & san-
æ. Accedebat multa patientiæ seges; fatiga-
o, cùm in montana ad Elizabeth cum festi-

natione pergeret; frigoris asperitas, siue in Bethleemitico itinere, siue in vili illo, & brumalibus ventis peruio spelæo, in quo natus est Christus; annonæ defectus in profectione AEgyptiaca; hospitiorum & nocturnæ quietis incommoditas, qualem & in natali Christi stabulo, & in AEgypto, præsertim quando inundabat Nilus, necessè est fuisse permagnam; hominum contemptus, quo videtur factum,
Luc. 1. vt in Bethleem *non esset ei locus in diuersorio*, & ab AEgyptijs vt fœmina pauper & fabri coniux haberetur; & plurima alia.

III. Equidem nostræ quoque piæ peregrinationes rerum asperarum *perpessione, pro Deo* & Matris dolorosæ amore condiendæ sunt, & à probis ac sanctis peregrinantibus nó aliunde tantum oblatis, sed sponte etiam susceptis mortificationibus condiri solent: quorũ aliqui nudis pedibus, alij iniecto in humeros onere, dum montes conscendunt, aut expansis brachijs, aut tecti cilicio &c. incedunt. Maria Ogniacensis singulis annis ad templũ Ogniacense, duobus milliaribus distans, Deiparę sacrum, brumâ sæuiente, nudis pedibus, vnâ ancillâ comite, itabat, & illo ac sequenti die nihil prorsus edulij sumebat, totamque noctem in tẽplo, nulla quietis admissa parte, peruigil in preces insumebat. Porrò in itinere, flexibus & erroribus obnoxio, & sibi non satis noto, cælesti quodã lumine sine errore ducebatur, Angelis dextrâ, læuâque eam sustentantibus, & in-

& imbres, cùm cælo cadebant, arcentibus, vt nè guttâ quidem contingeretur. Ita ſcribit Iacobus de Vitriaco in eius vita. De Henrico quoque II. Imperatore, Bauariæ Duce, refert Caniſius lib. 5. de Virg. Deip. c. 28. in medijs peregrinationibus, ſi quando vrbem aliquam ingrederetur, primam noctem in illa AEde inſomnem, in precibus exegiſſe, quã Beatæ Virgini ſacram fortè reperiſſet. Tu, ſi ſimili ratione, & cum memoratis virtutibus peregrinatus fueris, non modo rite & rectè ad locum aliquem, Matri doloroſæ in terris conſecratum, ſed rectà ad cælum perges, vbi eius conſpectu perfruaris. P. Franciſcus de la Croix in ſuo Hortulo Mariano areola 1. c. 5. multas habet pias conſiderationes, & alia peregrinantibus ad pietatem opportuna, quem conſule.

PRAXIS XXI.

Euchariſtiam ſumere, & Sacrificio Miſſæ piè intereſſe.

§. I.

Mater Doloroſa per Euchariſtiam nos alit.

Pia Sacroſanctæ Euchariſtiæ ſuſceptio multis de cauſis ad cultum, complacentiam, & amorem Matris doloroſæ referri poteſt. 1.
Nam primò Euchariſtia eſt memoriale paſsionis & mortis Chriſti. Vnde S. Paulus ad omnes Fideles ait: *Quotieſcunque manducabitis pa-*

nem hunc, vel calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. At memoria, quæ à nobis geritur, Christi passionis, Matri dolorosæ valde placet, vt ex suprà dictis constat. Deinde piè communicando occasionem illi præbemus, vt indulgeat amori suo erga nos, & Matris ac nutricis omnes partes expleat; pascendo nos sua carne, quæ est in carne Christi in Eucharistia. Est autem Virgo adeò ad beneficētiam benignitatemque prona, vt sibi quasi benefieri putet, si benefacere possit; tamque tenera est & amabilis Mater, vt, cùm filios suos deliciosè alit, pascit, nutrit; tum suas habeat *delicias.* Porrò carnem nobis suam in Eucharistia Deiparam, alimenti instar, porrigere, carne sua nos pascere, multis argumentis, Sanctorumque dictis ostendi potest, quorum aliqua commemorare, operæ pretium erit. In libello, cui titulus est: Gloria Sancti Ignatij cap.5. in fine refertur, quòd scribens Sanctus hic Pater Societatis IESV Constitutiones, dum Missæ Sacrificium celebraret, & post consecratam sacram hostiam scriptas Societatis leges Domino offerret, viderit Deum Patrem valde sibi propitium ac benignum certo quodam signo indicantem, gratum sibi fore, si pro eo Virgo Deipara oraret; statimque Virgo sanctissima S. Ignatio apparuit, Patri cælesti eum commendans, *suámque carnem in carne Filij sui, in S. Eucharistia præsenti,*

esse demonstrans. Idem confirmat S. Augustinus in psal. 98. *De carne* MARIAE, *inquit*, *carnem accepit* (DEI filius) *& ipsam carnem* MARIAE *nobis manducandam ad salutem dedit*. Vnde verissimè Beata Virgo Christo in Eucharistia existenti potest dicere: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; imò verò, iuxta S. Augustinum, est caro mea. Gen. 2. S. Germanus in Theoria rerũ Eccles. *Crateras*, ait, *sanguinis Christi interpreteris mammas Deiparæ, salutare lætitiæ poculum, & tutelare ac conseruatorium totius generis humani*. Nimirum dulcissima Mater nostra filios nos suos non alijs nutricibus committit nutriendos; sed suis mammis ipsa nutrit, hoc est, carne Christi ex suo corpore, sanguine, lacte, confectâ. Nam, vt ait S. Augustinus, *oportebat, vt mensa illa lactesceret*. Atque ideo fortè Eucharistia cum lacte comparatur, vt significetur, eam à Matre sanctissima esse, & per eam, Matrem se nostram exhibere, nosque, vt filios, ad illam pertinere; matrum enim est lac præbére; &, dum lactatur puer, ad matrem spectat, eum nutrire atque alere. Vnde Vlpianus in L. Si quis à liberis, §. Si mater. ff. de agnoscendis & alendis liberis dicit, *quòd mater teneatur suis sumptibus alere prolem eo tempore, quo lactatur; grandioris verò filij victûs ratio ad patrem pertinet*. Hæcque videtur posse esse causa, quòd Christiani omnes aut vocantur paruuli, aut iubentur esse paruuli. Sic Chri-

stus, Matth. 11. suos appellat *paruulos*; Luc. 18. vult effici, *sicut paruulos*. S. Petrus in 1. Ep. c. 4. ait, debere esse, *sicut modò genitos infantes, qui lac concupiscant, vt in eo crescant in salutem*. S. Paulus de se & sui similibus dixit: *Facti sumus paruuli* 1. Thessal. 2. & tales cupit esse Corinthios, 1. Corint. 14. S. Ioanni consuetum fuit, Christianos appellare *filiolos*. Et hinc fortè occasionem sumpsit Clemens Alexandrinus, Origenis Magister, qui non longè post tempora Apostolorum vixit, vt tres libros Pædagogi conscriberet, in quibus per aliquot capita ostendit, Christianos omnes in Scriptura vocari pueros, puellos, pullos. *Ideo*, inquam, Christiani videntur vocari pueri & infantes, vt sciant, ad Deiparam, tanquam ad Matrem, cuius est paruulos & infantes alere, pertinere eorum victus rationem, quem illa in Eucharistia excellentissimè suppeditat. MARIA *enim*, vt loquitur S. Ambrosius in psal. 21. in fine, *velut cælitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle, ingessit, quem qui edere, aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait: Nisi quis manducauerit carnem meam, &c.*

II. Neque verò ob id, quòd lac & sanguis Beatæ Virginis non ampliùs remaneat, sed transiuerit in carnem & corpus Christi, idcirco minùs nos alere, nutrireq; dicenda est. Nam, si quis alicui viuam perdicem, aut aliud viuum

uum

uum animal offert; alit illum, cui offert, etiamsi viua non maneat perdix, & iuxta multorum sententiam, post iugulationem aliam formam acquirat, sub qua proximè comedenda est, debeatque priùs igne coqui; sic Mater sanctissima, quæ ex suis vberibus & visceribus materiam futuri alimenti Fidelibus suppeditauit, verè illos in Ven. Sacramento cibat, esto loco formæ, quam habebat sanguis & lac illius, alia forma successerit in eandem materiam. Quod alimentum in ipsa nobis diuinæ charitatis ignis excoxit, quando in eius vtero Verbum caro factum est. Vnde S. Epiphanius, de laudibus Virginis, Deiparam vocat *clibanum spiritualem, qui ignem & panem vitæ calidum mundo in esum attulit, de quo Saluator mundi Christus ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.*

Et verò, multa permanere in Eucharistia, quæ fuerunt lac & sanguis Deiparæ, quibus illa nos alit, communiter docent Theologi. Verisimile enim inprimis est, substantiam carnis Christi, à Matre Virgine acceptam, nunquam fuisse omnino dimissam, nec continuâ actione caloris naturalis resolutam, aut imminutam, vt sentit Suarez to. 2. in 3. p. disp. 2. S. 2. præsertim cùm Christus in iuuentute sit mortuus. Et, si quas partes à Virgine acceptas Christus amisisset, eas in Resurrectione recuperauit; adeoque easdem nunc in Eucharistia, III.

 ristia,

ristia, in qua gloriosissimum corpus possidet, habet. Imo, ut rectè asserunt aliqui, est aliquis in Christo & Eucharistia sanguis, qui idem omnino & sub eadem prorsus forma prius fuit in Beatissimæ Virgine, ex eius venis haustus. Cùm enim Christi corpus in prima conceptione non sic formatum fuerit, quemadmodum aliorum hominum corpora, quæ longo temporum tractu formantur, sed in contextu cum omnibus simul integris membris fuerit absolutum; debuit in primo illo formationis suæ momento ossibus, carne & sanguine constare. Igitur primus ille sit momento formati corporis sanguis, cùm nulla aut coctio, aut nutritio præcesserit, per quam fieret; debuit Christi benedicti venis infundi is ipse, qui in Virginis maternis venis antea fuerat; adeoque Eucharistia eundem prorsus sanguinem continet, quem Beatissimæ Virginis venæ olim incluserant. Nam, si in passione, vel aliàs unquam is sanguis fuit perditus, in resurrectione iterum est restitutus, & manet proinde in Eucharistia. Neque sanguis solum, sed & particula aliqua ipsissimæ carnis Deiparæ in prima formatione corporis Christi fuit ab eo suscepta; adeoque probabile est, etiam nunc esse aliquas partes carnis in Christi corpore & Eucharistia, in quibus antea præcessit anima Beatæ Virginis. Quò referri possunt quædam Patrum sententiæ. S. Bernardinus, serm. 1. de nomine MARIAE, sic ait:

Virgo

Virgo fuit vicinissima filio DEI *per carnis identitatem; quia eadem caro, quæ fuit Virginis Matris, fuit caro filij* DEI. Petrus Blessensis serm. 10. *Cùm,* inquit, *obnubilaret eam Spiritus Altissimi, separauit ab ea carunculam, ex qua formata est caro.* Idem S. August. affirmat verbis illis superiùs allatis, in psal. 98. & 22. de ciuit: Dei c. 15. *De carne* MARIAE *carnem accepit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.* Et Sexta Synodus, act. 18. Christum ait, *ex sancta, & immaculata carne Deiparæ in propria substantia carnem sumpsisse nobis consubstantialem.*

§. 2.

Ex dictis quædam ad cultum & amorem Deiparæ spectantia deducuntur.

His ita definitis ac suppositis, multa hinc deducere possumus, quæ ad venerationem, gustum, amorem, gratitudinem, laudem, obsequium Beatæ Virgini exhibendum spectat. IV.
Nam primò, si in Eucharistia est, vt reuera est, sanguis & caro Deiparæ, siue illa ipsa caro, quæ fuit informata illius animâ; præstantissimas in Eucharistia habemus Beatæ Virginis reliquias, maiore, quàm omnia alia omnium aliorum Sanctorum lipsana, cultu dignas; adeoque posito etiam, quòd in Christi corpore nec esset, aut fuisset eius diuinitas, neque anima; tamen ex eo, quòd sit in eo ali-

quid ex carne & corpore Beatæ Virginis, cultu singulari, & eximio ex hoc præcisè capite colendum esset, præscindendo etiam, vt dixi, à diuinitate & anima Christi. Nam, si aliorum Sanctorum corpora, tametsi in putredinem, vel cineres redacta, pro reliquijs, cultu dignis, habemus, ex eo solùm, quòd in illis animæ Sanctorum fuerint; multò certè magis colendus est sanguis ille, qui est in venis corporis IESV, & caro, quæ est in eius corpore, vel ex hoc solo, quod idem sanguis fuerit in venis Beatæ Virginis, & eadem caro, ab eius anima informata.

V. Secundò: *Immensum à nobis exigit amorem*, laudem & gratitudinem erga Beatam Virginem Eucharistia, quâ nos alit. *Verè enim*, vt ait S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 14. §. 3. *curam gerit maternam omnium, iuxta illud Sapientiæ: Ipsi est cura de omnibus.* Quare meritò B. Petrus Damiani in serm. de Natiuit. Beatæ Virginis, *Hic*, inquit, *dilectissimi fratres, hic, rogo, perpendite, quàm debitores simus huic Beatissimæ* DEI *Genetrici, quantasq; illi post Dominum gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus, quod Beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod fascijs cinxit, quod materna cura nutriuit, nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in Sacramento nostræ redemptionis haurimus. Impar est illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemerata carnis sua visceribus cibum nobis protulit*

tulit

tulit animarum, *eum videlicet*, *qui de seipso perhibet*: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi*. Et quidem plus nobis sanctissima nostra Mater vnâ vice confert in Eucharistia, quando eam sumimus, quàm contulerit infanti Christo. Nam huic, quamdiu illum in infantia lactauit, non omne simul lac dedit; sed aliam portionem vno die, aliam alio: at nobis simul & vna vice dat, quod in illius nutrimentum pluribus diebus ab ea suppeditatum est; quin vnica in buccella tantum nobis confert, quantum ex triginta trium annorum obsequio & ministerio retinuit, ac conseruauit corpus Christi: & nè vlla sit occasio inter eius filios, hoc est, nos, quos Beata Virgo per Eucharistiam cibat, alicuius inuidiæ; tantum vnus accipit, quantum alter; imò tantum singuli, quantũ cæteri simul vniuersi. Nam Christus Omnibus vnus adest, & sufficit omnibus vnus. Atque vt magis appareret, nos in Eucharistia per Beatam Virginem, tanquam dulcissimam Matrem, simul & nutricem nostram ali; ea voluit Christus in Eucharistia vi verborum consecrationis poni, quæ ab illa accepit, quæque ad illam spectãt, nempe corpus, & sanguinem. Non ponitur in ea vi verborum diuinitas, neque anima; quia hæc à Deipara accepta non sunt. Potuisset equidem aliam consecrationis formam Dominus instituere, vt fortè rationes, cur institueret, non defuissent, v.g. hanc: *Hoc est*

corpus meum diuinum. aut hanc: *Hoc est corpus meum viuum &c.* & tunc vel diuinitas, vel anima eius vi verborum in Eucharistia fuissent. Noluit tamen nisi eam formam, per quam, quæ sunt à Beata Virgine, ponerentur, vt illius, tanquam Matris, esset, de suo nos nutrire. Immortales igitur Matri dolorosæ debemus gratias, & omnem, qui à nobis corde concipi potest, amorem, pro tam præstanti nutrimento corporis & sanguinis Christi; quod vt nobis magis prodesset, ad salutem, vitam & virium diuinæ gratiæ incrementum, vnà cum Patre Æterno, eius se diuinæ voluntati conformans, pro nobis tradidit, vt in passione doloris & amoris igne excoctum cœlesti saginâ pasceret animas nostras. Ex quo colligis, nos Matri, etiam vt dolorosæ, beneficium Eucharistiæ acceptum ferre debere; præsertim cùm ab eius institutione Christus passionem suam auspicatus sit.

VI. Tertiò. Cùm celebrare, vel communicare volumus, ad eam nobis suppliciter adeundum est, vt eius fauore & ope dignè, quantum fieri per huius vitæ conditionem potest, Eucharistiam sumamus. B. Franciscus Borgias quotidie Beatæ Virgini supplicabat vesperi, vt per eam dignum recipiendo Christo in Eucharistia latenti locum in corde suo præpararet; recepto verò dignas gratias redderet. P. Thomas Saillius, Societatis IESV,

ate Missæ Sacrificium eandem orabat, vt be-
e in eo consecraret; in quo etiam per ipsam
ias necessitates, seq; Filio commendabat.
Quidam benedictionem in Sacro ab illa petût;
uod singulariter refertur de B. Francisco Se-
ensi. Paulò antè memoratus P. Saillius alijs
quoque temporibus, vt, cùm exiturus erat è
Collegio, priùs eius imaginem osculatus, be-
nedictionem ab ea petebat. Alij idem faciunt
iue cùm manè surgunt, siue priusquam cubi-
tum eant. Et meritò id quidem. Nam, si à Sa-
cerdotibus benedictio petitur, multò magis
ab ea petêda est, quæ & ex Matris DEI digni-
tate maior est, & Sacrificaturis Sacerdotibus
hostiam de sua substantia suppeditat. Vnde
S. Epiphanius serm. de laudibus Virginis: *Vir-
ginem*, inquit, *appello, velut Sacerdotem pari-
ter & altare; quæ quidē mensam ferens, dedit
nobis cælestem panē in remissionem peccatorū*.

Quartò. Et quia S. Epiphanius mentionem facit Virginis, tanquam Sacerdotis, quippe quæ sub cruce idem cum Christo Sacrificium DEO obtulit, vt lib. 1. cap. 9. §. 3. & 4. est ostensum; & etiamnum offert, illum Patri æterno, vt communem vtrique filium, repræsentans, ad eius adorationem, laudem, gloriam & complacentiam infinitam: idem nos cum illa agamus, vel potiùs ope illius per eius Filium, in Eucharistia latentem, DEVM adorantes, laudantes, glorificantes, quâ de re multa dicta sunt in Fontibus Saluatoris, quæ VII.

hic

hic repetere non libet. Præcipuè autem occasio nobis Virgo est, DEVM cum illa per Filiū colendi, dum incruento Missæ Sacrificio intersumus, quod est repræsentatio sacrificij cruenti, & in vtroque eadem hostia adest, quæ est Christus; & offertur non modò à Sacerdote, sed etiam ab omnibus, qui ei sacrificanti adsunt; commune enim est omnium Sacrificium. Vnde Sacerdos ait: *Orate fratres, vt meum, ac vestrum Sacrificium &c.* & in Missæ canone: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, &c.* Tunc igitur adiungamus nos mente Sanctissimæ Virgini, quam S. Epiphanius *velut Sacerdotum* appellat, &, illâ mediante, per Christum DEVM adoremus, ac colamus, eum SS. Trinitati offerendo in recognitionem infinitæ illius excellentiæ, adorationemque ei debitam, in gratiarum actionem pro beneficijs, in omnes creaturas collatis, in propitiationem pro peccatis nostris, & impetrationem donorum DEI. atque ita id Sacrificium erit nobis simul latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium. Vide, quæ diximus in Fontibus Saluatoris p. 2. c. 2. praxi 4. cui hoc, quod nunc attulimus de DEO per Christum, mediante Beatâ Virgine, etiam ab ijs, qui Missæ Sacrificio intersunt, & non solis sacerdotibus, adorando, addi potest. Neque verò dubium est, quin Missæ reuerens & pia auditio in magnam

Matris

Matris doloroſæ oblectationem cedat; eſt enim quædam eius imitatio. Sicut enim illa cruci & Christo patienti adſtitit; ita nos Miſſam audientes adſtamus eidem Christo, & eius paſsioni per omnia, quæ in Miſſa fiunt, & per ipſas ſacerdotales veſtes repræſentatæ. Vnde præſtans erit Miſſam audiendi modus, ſi imagineris, te cum Matre doloroſa Christo crucifixo adeſſe, & affectus eis, quos illa tunc elicuit, congruentes elicias. Enimuero ex hiſtorijs quoque habemus, eam, etiam nunc æternâ beatitudine in cælo fruentem, ſæpe Miſsis, in Eccleſia militante celebratis, interfuiſſe; & dum in hac vita fuit, Miſſam quotidie à S. Ioanne Apoſtolo dictam audiuiſſe, cum præſtantiſsimis & prorſus diuinis affectibus, quos illi viſa in monte Caluariæ Christi paſsio menti impreſsit, certum eſt, vt dixi lib. 11. cap. vlt. in fine; quam ſi in hoc genere religionis ac deuotionis æmulatus fueris, næ tu illi rem facies gratiſsimam.

Quintò. Etiam communio ſpiritualis, ſiue cùm Miſſæ Sacrificio adſumus, ſiue alijs temporibus, Deiparæ interuentu fieri ſanctè poteſt. Cùm enim conſiſtat in deſiderio ſumendi Christum Sacramentaliter, ab eo, qui eſt in ſtatu gratiæ, hoc deſiderium cum humili & ardenti petitione vel ad Christum dirigi poteſt, inter vbera Deiparæ exiſtentem, & lac illud ſugentem, quod nobis in alimentum à VIII.

Ma-

Matre nostra indulgentissima in Eucharistia
Cant. 8. cessit, dicendo cum Sponsa: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera Matris meæ, vt inueniam te, & deosculer* te intimi amoris affectu; imò intra me recipiam te, fruarque vnâ & te & donis gratiæ tuæ, quibus à vitijs meis expediar ac liberer, *& iam me nemo despiciat*, & ijs virtutibus orner, quibus tibi Matrique tuæ dilectissimæ placeam, quæ summa votorum meorum est. Vel certè desiderium illud & petitio dirigi potest ad ipsam Virginem sanctissimam, vt, tanquam Mater nostra, det nobis diuinissimum cibum illum, quem ex suo lacte, sanguine & carne nobis parauit, nosque, velut paruulos & infantes suis vberibus alat. Sicut enim hi, cùm fame, vel inediâ premuntur, ad matrem confugiunt, à matre alimentum petunt; ita & nos hanc Angelorum escam à Matre amantissima cum maxima, quâ possumus, auiditate petamus. Et certè ex quibusdam historijs constat, quosdam, eius sacratissimi cibi esurie & auiditate flagrantes, per Virginem ministerio Angelorum reipsâ, & Sacramentaliter fuisse pastos.

PRA-

PRAXIS XXII.

Matrem dolorosam magnificis titulis & praeconijs ornare.

§. 1.

Placet Deipara, si à nobis, quantum possumus, praedicetur.

CAEsares, Reges, Principes aliosque Magnates huius mundi, cùm quis vocat Augustissimos, Inuictissimos, Potentissimos, Serenissimos, Illustrissimos &c. censetur honorare: sin' eis competentem titulum aut per malitiam neget, aut per inscitiam mutet; dedecori id sibi ducunt, neque ferendum putãt. Caelorum Imperatrici ac Reginae, & Matri nostrae dolorosae titulos congruentes qui per malitiam neget, nemo est, nisi ethnicus, aut haereticus; ob idque execratione & anathemate dignus: qui per inscitiam in ijs tribuendis non hallucinetur, & in tanta eius sublimitate dignitateque non deficiat, quis est? S. Augustinus, ille ingenij humani apex, *quibus eam laudibus efferat*, & ipse *nescit*; & *qui ei dignè valeat iura gratiarum, ac laudum praeconia rependere, aut quas laudes fragilitas humani generis persoluere*, non inuenit. Sanctus item Cyrillus Alexandrinus, in Homilia contra Nestorium; *qui MARIAE Matris & Virginis possit laudum praeconia explicare*, non habet. 1.

S. Epi-

S. Epiphanius orat. de laudibus Virginis dicit, *ei prædicandæ neque hominum linguam, neque Angelorum satis esse.* Andreas Cretensis orat. 1. de dormit. Virg. ait, *solius Dei esse, eam pro dignitate laudare.* Non tamen ob id omittere debemus, quicquid possumus in eius præconijs celebrandis conari, & titulos quàm magnificentissimos conquirere, quibus eam ornemus; neque vereri, nè, si quid per imperitiã nostram minus, quàm excellitas illius requirit, proferamus, eius indignationem incurramus, modò voluntate, & affectu, quod possumus, agamus. Solent enim matres ab infantibus (quales nos sumus) quiduis, quod ex earũ amore balbutiunt, cum iucunditate acceptare, etiamsi infra id sit, quod deberet esse; quia sciunt, eos plùs nõ posse, & facere, quod possunt. Vnde eximij cultores, & amatores Sanctissimæ Virginis, quidquid habebant facultatis, in eius præconia & titulos expromebãt, tametsi non sibi satisfaciebant. B. Stanislaus Kostka totus in eo erat, vt noua semper honorifica, atque magnifica excogitaret vocabula, quibus eius honor adaugeretur, ac sublimiori semper eam in dignitatis ac maiestatis gradu collocabat: cæterùm angebatur animo & permolestè ferebat, quam mente conceperat Virginis præstantiam, verbis exprimere se non posse, sed immensa quadam celsitate velut oppressum conticescere debere. Idem (quod & de Ioanne Berckmans, Socie-

tatis

tatis IESV, in eius vita refertur) cum socijs concertabat, quisnam in eius laudem plures titulos adferret. quod certum est, Beatæ Virgini placuisse. Alij omnem operum in id cōferebant, vt intelligerent, quonam encomio, quod ei esset gratissimum, Deiparam afficerent. Ex his fuit P. Iacobus Rhem, Societatis IESV, qui, cùm diu eo desiderio teneretur, tādem primùm quidem per illustrationem clarissimam, tum deinde ab ipsa apparente Virgine, dum cantarentur Litaniæ, & in illis, MATER ADMIRABILIS, compellaretur, didicit, hunc ei titulum oppidò placere. Itaq; ex angulo prosiliens (quem semper in oratorio postremū occupabat) exclamauit, stupētibus Sodalibus, vt vniuersi vnanimi voce verba illa: MATER ADMIRABILIS; congeminarent; gratissimum hunc titulum esse Virgini. Et sanè, si rem attentiùs expendamus, talis est illa Mater, vt multis de caussis non nisi cum admiratione concipi possit; si tamen concipi potest. Admirabilis est in conceptu, admirabilis in partu, admirabilis in eo, quòd eius sit Mater, qui Deus est; adeoq́ue genitrix genitoris sui. Admirabilis in virtutibus, gratijs & prærogatiuis, Matre Dei dignis; admirabilis in alijs rebus, quas nos mente apprehendere nequimus. Sed profectò summè etiam in hoc est MATER ADMIRABILIS, quòd in tali talis filij pâssione tā admirabiliter Mater dolorosa se gessit, quòd non modò affectum natura-

tura-

turalem, sed supernaturalem etiam erga illi amorem altiori amore superauit; quò d... doloris transfixa, & plus omnibus M... bus passa, ad præsentem crucem & m... Dei & Filij sui stetit tamen. Quare h... lus ei, etiam vt dolorosæ, congruen... conuenit. Quanquàm & alij plerique ti... mnes à Christi passione, cui dolorosa adfuit, vim suam habent, quæ illi vniuersas excellen-tias, Deique dona promeruit, vt vidim... c.8.§.5. Atque vt præcelsissimam & adr... lem hanc Matrem pro modulo nostro... pellare nouerimus, operæ pretium er... quos titulos, præsertim ex SS. Patribu... bus eam indigitant, afferre; vt grandis ... Virgine conceptus formetur.

§. 2.

Tituli Beatissimæ Virginis, potissimùm ... Patribus deprompti.

II. *Voca igitur illam cum septima Synod...* ginem omnis intelligibilis, ac sen... naturæ gloriam, & claritate creatâ ... miorē: *cum S. Ignatio Martyre*, cæleste pro-digium & sanctissimum spectaculum ... *tem*, Vniuersis admirandam & cunctis desiderabilem; *cum S. Methodio Martyre, Ty-ri Episcopo*, Dei indumentum; glorificatâ, Deoq; dignam sedem; *cum S. Andrea Hiero-*

roso-

rosolymitano, Sacrum Dei fermentum, ex quo Christi corpus, tanquam panis, conficitur; lætitiæ instrumentum; ornatissimum diuinæ gloriæ templum; Cœlum, in quo Sol gloriæ splendet; *cum Chrysippo Presbytero Hierosolymitano*, Solis ortū, qui nullum potest ferre occasum, Fontem lucis, Armarium vitæ, Totius fragrantiæ pratum, Radicem omnium bonorum; *cum S. Epiphanio*, Cæli terræque mysteriū; *item*, Librum incomprehensum, qui Verbum Patris mundo legendum exhibuit; Purpuram Regiam, quæ cæli & terræ Regem induit; *cum Ruperto Abbate*, Sanctæ Religionis Magistram & Magistram Magistrorum; *cum S. Chrysostomo*, Magnū reuera semper miraculum; *item*, Quâ nihil maius aut illustrius vllo vnquam tēpore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit; *cum S. Cyrillo Alexandrino*, Pretiosam margaritam orbis terrarum, Lampadem inextinguibilem, Coronam Virginitatis, Sceptrum orthodoxæ fidei, Templum indissolubile, continens eum, qui nusquam contineri potest; *cum S. Augustino*, Dignam Dei formam, Totius Trinitatis viuum tabernaculum, Humani generis reparatricem, Vitæ parentem,

Euæ

Euæ aduocatam; *cum S.Damasceno*, Vitæ thesaurum, Gratiæ abyssum immensam, Dulcissimum Annæ pignus, Paradisi & reseratricem, & delicias; *item*, Inexhaustũ pelagus gaudij, Vnicam mœroris oblite-rationem &c. *cum Andrea Cretensi*, Fontẽ, qui non potest exhauriri, diuinarum illu-minationum, Purarum creaturarum pri-mogenitam, Omnis sanctitatis thesaurũ, Declarationem occultorum, & profun-dorum, Diuinæ incomprehensibilitatis summam, Diuinorum oraculorum, di-uini archetypi imaginem; *cum Arnoldo Carnotensi*, Eam, cui cum Filio gloria non tam communis est, quàm eadem; *cum S. Sergio Patriarcha*, Tenebrarum expultri-cem, Immortalitatis fontem, Corruptio-nis interitum, Receptaculum diuinita-tis; *cum S. Ephrem*, Patrum spem, gloriam Prophetarum Apostolorum præconiũ, Martyrum honorem, Sanctorum læti-tiam, Chartam diuinissimam, Solatium mundi Orphanorũ susceptionem, Præ-stantissimum orbis terrę miraculum; *cum S. Germano Patriarcha*, Omnis puritatis re-ceptaculum; *cum S. Fulgentio*, Fenestram cæli, Scalam cælestem, Fœminarum re-staurationẽ; *cum S. Anselmo*, Cæli, & terræ

summam

ſummam Dominam, & vnicam dominatricem; *item*, Eâ puritate nitentem, quâ maior ſub Deo nequit intelligi; *cum S. Laurentio Iuſtiniano*, Delinquentium ſpẽ, Sanctitatis ſpeculum, Fidei magiſteriũ; *cum B. Chryſologo*, Matrem viuentium per gratiam; *cum S. Athanaſio*, Regeneratricẽ & Heram; *cum S. Irenæo*, Salutis cauſam; *cum S Damiano*, Totius ſalutis exordium; *cum S. Gregorio*, Montem in vertice montium; *cum S. Hieronymo*, Lucidam nubem; *Cum S. Proclo Epiſcopo, Ciziceno*, Decus & ornamentum ſecundi Adam, Vnitarum inter ſe naturarum officinam, Pontem, per quem Deus ad homines deſcendit; *cum S. Antonino*, Virginum primiceriam; *cum S. Bernardo*, Negotium ſæculorum: *item*, Vitæ genitricem, Inuentricem gratiæ, Dominam mundi, Parentum reparatricem, Poſterorum viuificatricem, Lignum vitæ, quod ſolum dignũ fuit portare fructum ſalutis, Viam regiam, per quam Saluator aduenit, Terram lacte, & melle manantem &c. *cum S. Thoma Aquinate*, Obtinentem dignitatem propemodum infinitam: *cum S. Bonauentura*, Matrem tali filio decentiſſimam, & Matrem, cui talis Filius decentiſſimus ſit, quâ ma-

iorem Deum facere non possit: *cum S. Bernardino Senensi*, Tantæ perfectionis Virginem, vt soli Deo cognoscenda reseruetur; *cum Gisberto, D. Anselmi discipulo*, Matrem Matrum, Virginē virginum, ... stellarū, Sacrariū Spiritûs S. Virginē ... rentissimā, Vitâ & moribus præcellentissimā; *cum Blosio*, Virginem ornatissimā, Virginē sole sereniorē, astris lucidiorē, Virginē melle dulciorē, & balsamo suauiorē, Virginē rosis rubicundiorē, & lilijs candidiorē. Vltra omnem pulchritudinem decoram, vltra omnē honestatē gratiosam;

III. *His alijsq; plurimis Sanctorum Patrum & virorum illustrium epithetis, præconiis & titulis adde tu, si quid potes, & quidquid potes, modò Deam ne appelles. Appella* Compendiariam vniuersi tabellam, in qua memoriam fecit Deus mirabilium suorum; Anacephalæosin, & recapitulationem donorum quæ vnquā puris creaturis collata; Epitomen felicitatis creatæ; Ideam diuinæ liberalitatis, & beneficentiæ, & communicationis ad extrâ, quam Deus puræ creaturæ contulit, ac summarium perfectionis à Deo participatæ; Diuinæ perfectionis imaginem; Excedentem id, quod Deus non est; Superexcelsissimam creaturam, cui nō tantùm omne, quod Deus

non est, subijcitur, sed & Deus subditur, vt Filius Matri: Dignum Deo habitaculum: Spiritûs Sancti operâ præparatum: Virtutum omnium augustissimam sedē, in qua est Castitas cum miraculo, Humilitas cum tanta profunditate, quanta est Matris Dei dignitatis celsitudo; Magnitudo animi, Constantia & fortitudo tanta, vt in acerbissima morte eius, qui & Deus, & Filius erat, gladio doloris transuerberata, proxima eius cruci staret tamen, Amor Dei, quasi connaturalis, tenerrimus, summus Matris in Filium. *Dic* Pulchritudinem supernaturalem immēsam, in qua expolienda & augenda triginta annis, reliquo, quod totius orbis est, quasi neglecto, omnium artifex laborauit incarnata Sapientia. *Dic* Gratiæ & donorum cælestium dispensatricem atque œconomam, cui acceptam ferunt, qui in cælo sanctissimi sunt, suam sanctitatem. *Dic* in familiam SS. Trinitatis adscitam, vt Patris Æterni filiam, Filij Matrem, Spiritûs Sancti Sponsam. *Dic denique* omnium sermone & linguis prædicandam, omnium cordibus amandam, *Et, cùm hæc, aliaq; dixeris, dic;* Excedere sui excellentiâ æstimationem & apprehen-

sionem omnium intellectuum purorum hominum & Angelorum, amabilitate affectum, beneficentiâ gratitudinem, cui sit cum Filio sempiterna laus, honor, gloria gratiarum actio, amen, ab vniuersis creaturis. Amen.

Ad huius operis calcem censuimus adiungendam orationem, iam alioquin *impressam, in qua, quæ praxi 13. 15. 16. sparsim dicta sunt, breuiter continentur, & præstans amor in Deiparam declaratur; & est eiusmodi.*

ORATIO

Ad B. Virginem MARIAM.

O *Mater Dei admirabilis, MARIA ego vilissimus peccator, conspectu tuo nequaquam indignus, abÿcio me coram Maiestate tuâ, & sanctitate in abyssum vilitatis meæ, & gratias tibi ago, quod me adeo indignum, & tibi quod doleo, adeo ingratum ac infidum tuo tam tepidum, respicere; imò tot, & tantis beneficiis quasi filium amantissima Mater cumulare dignata sis. Cupio nunc te ardentissimè amare, offeroq; me ad omne obsequium tibi veluti dilectissimæ Matri præstandum idq; ad exhilarandum si quo modo possim suauissimum, & plus quam Maternum cor tuum.*

Opta-

Optarem si possem Domina & Mater mea, illa obsequia statui meo conuenientia, laudes, gratiarum actiones, iubila, amores, gratulationes, & opera gratissima, tibi ego quoque exhibere, quæ deuoti Cultores tui omnes vnquam tibi exhibuerunt, exhibentue in cælo & in terra: sed quia id non possum, nec sum dignus; interim ea omnia approbo, ratifico, & de is gaudeo, & te in omnibus illis, omnium obsequiis, & amoribus veneror, amo, benedico. & medullitus tibi summas gratias ago pro omnibus donis & auxiliis ad elicienda illa acceptissima tibi & filio obsequia, deuotis tuis concessis, & concedendis, perinde ac si mihi concederentur, aut concessa essent; quia in tuum, filijque tui honorem, ac gustum cedunt, ad quem ego, si soli mihi omnia concessa essent, ea referrem.

Amo quoque illos tenerrimè, & animatus illis gratias ago, qui te colunt, & amant, magis quàm si me plurimis commodis ornarent. Malo enim tibi, filioq; tuo aliquid gratum, quàm mihi fieri. Vtinam totus mundus tuis laudibus personaret, Mater excellentißima! Vtinam omnium hominum corda tuo & filij tui amore arderent! Vtinam & ego viuam & moriar semper seruus tuus, in puritate cordis, & tui amore Tibi semper acceptus! Benedictus

Deus qui te omni laude, & amore dignam effecit. Benedictus, qui te immaculatè conceptã tanta gratia, gloria, beatitudine, & dignitate qualis conuenit Dei Matri, ornauit, quam tibi felicitatem, ô dulcissima MARIA, omnium Angelorum & Sanctorum affectu & gaudio summè gratulor: Benedictus, qui per te nobis dedit Christum DEVM Saluatorem, & Mediatorem nostrum per quem illum dignè & vt decet Deum, adorare & glorificare possimus; cui tu à prima eius infantia gratissima semper obsequia præstitisti: pro quibus obsequiis DEO & Seruatori nostro exhibitis, tibi, nomine totius humani generis, gratias ago, & si possem, tot & tantas vellem agere, quot & quantas omnia corda Angelica, & humana concipere possunt; rogoq́ te humillimè, ô Mediatrix nostra, vt ea omnia, vnà cum omnium Sanctorũ amoribus, obsequiis, & laudibus per totam æternitatem futuris, & insuper omne id quod ille secundùm humanitatem, & diuinitatem in se boni & felicitatis possidet, omnium nostrum nomine illi offeras, eo affectu, & modo illi gratissimo, quem tu nosti, & nos ne concipere quidem possumus, idq́ ad exhilarandum, & consolãdum beatissimum cor illius, tot peccatis nostris, proh dolor! offensum, & simul eũ roges, vt eadem omnia Sanctissimæ Trinitati,

modo & affectu ipsi cognito. offerre dignetur, ad quàm maximam Dei nostri gloriam, & gustum, & gratiarum actionem, & ad impetrandam defunctis requiem; nobis verò dona gratias, & auxilia, per qua tollatur à nobis omne id, quod illi displicere potest, & ita nos geramus, vt in omnibus cogitationibus, verbis, operibus, & omißionibus nostris illum exhilaremus, laudemusq; & glorificemus, tecum, & cum Filio tuo, & per hanc vitam, & per totam æternitatem. IESVS MARIA. Amen.

ASPIRATIONES ET AFFECTVS ad IESVM dolentem, & MARIAM condolentem.

Obseruanda quædam circa hos affectus.

OBserua 1. circa hos, & similes affectus, qui in alijs libris reperiũtur, quod si qui tibi videantur nimis ardui, & difficiles, vt ad eos cohorrescas, nõ ob id debeas animũ penitus despondere aut etiam in ijs eliciendis titubare, sed hoc, aut simile quid cogita: Hic quidem actus superat meam virtutem, & imbecillitati meæ non congruit, nec aut ille mihi aptus est, aut ego illi; cæterùm sicut Deus alijs multis seruis suis dedit, vt per eius gratiam hunc ipsum, & difficiliores alios sincerè, & facilè conciperent, atq; elicerent, ita

potest dare & mihi, mentē meam illuminādo, voluntatem feruore, & Spiritus Sancti igne
hes. 3. accendendo, & (vt loquitur S. Paulus) per corroborationem in interiori homine. Itaq; si hanc mihi gratiam det Dominus, ego volo sincerissimè, quod hoc affectu exprimitur. Scio enim, quòd Deus & hoc, & infinitis alijs præstantioribus sit dignus. *Aut breuius dicendo hoc*, si Deus det mihi gratiam efficacem, quam datijs qui id ipsum seriò volunt. Sicut enim, si daret tibi Deus robur Samsonis, quo iam cares, posses & tu inermis leonem dilacerare, funes validissimos, ac si tenuia fila essent, disrumpere, vrbis ambas portas foresq; cum postibus suis, & serâ impositas humeris portare ad verticem montis &c. & quamuis id iā nequeas, potes tamen sincerè dicere: Domine, si mihi des vires Samsonis, & si id tibi sit gratum, ego dilacerabo leonem re. ita suppeditatis tibi à Deo viribus, potes quoscumque affectus, quantumuis difficiles elicere, & eorum obiecta opere ipso exercere. [illegible] nec minimum quidem Deo placitum, & præmio remunerandum obsequium, aut actum elicere possimus sine Dei gratiâ, idque multò minùs, quàm opera fortitudinis Samsonicæ patrare; & contrà, nullus sit affectus, aut actus tam arduus, quem cum illâ non possimus; sicut cauere debemus, nè cùm minimū elicere intendimus, aliquid (quod procliue est) viribus nostris fidamus; ita cauendum etiā

est,

est, nè, cùm ardui offeruntur, diuinæ gratiæ minùs quàm par est tribuamus aut diffidamus. Verum est tamen, hoc non obstante, quòd quisque magis studere debeat affectibus, dispositioni animæ suæ, magis congruentibus. neque enim, de lege ordinaria expedit, vt quis in vitâ spirituali Tiro aspirationibus viæ vnitiuæ se totum dedat, sed animo purgando, & illuminando potissimum sit intentus. Obserua deinde, in ijs desiderijs, aut affectibus, qui vel versantur circa impossibilia, vel ponunt conditionem nunquam futuram, magis attendendum esse, vt mens & voluntas nostra sit syncera, ac seria, vt; cùm dicimus: Si mille corda haberem, ô Deus omnibus te amarem: Si mihi mille mundi essent; omnes pro te spernerem. Si essem omnipotens, totam omnipotentiam in tuam gloriam exhaurirem &c. Sæpe enim in his nos decipimus, & præsertim tunc; quando omissis absolutis propositis, per quæ velimus ea in Dei obsequium præstare, quæ sunt in potestate nostrâ; occupamus nos circa conditionata illa obiecta appetenda, quæ longè supra nos sunt, idque ideo, quia hæc nobis sui specie tanquam multò præstantiora blandiuntur. Et timenda in multis est superbia, quam nasci ex eo perfacile est, quòd videantur sibi heroicos actus, & magni meriti elicere, cogitantque, se alijs eminere, qui se in tam eximijs actibus non exercent, cùm interea, dùm sibi videntur subli-

simè volare, ea, in quibus potiùs, & vtiliùs versari deberent, omittant: quo fit, vt defectibus multis scateant, v. g. sint proprij iudicij tenaces, in rebus obedientiæ segnes, & incurij, non resignati, gulæ, & sensualitatibus dediti, elati, præsumptuosi, in occupationibus sui officij desides, & oscitantes &c. Priùs igitur absoluta velimus, quæ debemus, & possumus præstare, & ea præsertim, quæ se in ordinarijs nostris actionibus offerunt, vt secundùm virtutem, & perfectè fiant, & tunc scandamus ad illa altiora. Nã si v.g. in rebus quotidianis paruas aliquas molestias, quæ occurrunt, non potes, aut potiùs non vis pro Deo sustinere, cui persuadebis, te sincerè loqui, cùm te offers ad patiendum pro eo quosuis cruciatus? Si hoc, quod nunc habes vnicum cor non impendis diuino amori, sed in alia vel sponte, vel per negligentiam effundis, putásne te seriò mille corda desiderare, quæ omnia, & tota Deo amando impendas? Si rectè alicui affectu inordinato adhærescis, nimis magnam fidem à me exigis, si vis, vt credam, nihil esse, quod pro Deo nobis spernere, etiã si mundos haberes infinitos. & sic de cæteris. Et sicut rideres illum, qui diceret, se tibi mille aureos daturum, si haberet, quem tamen scires assem vnum, quem desideres, tibi dare nolle, cùm facilè posit; ita res habet in nostro casu. In Iaponiâ puerulus quidam audiẽs parentes ad lentos pro Christo ignes se comparare,

parare, comitem se ijs ad idem Martyrium obtulit. Illi, cùm supplicij atrocitatem exaggerarent negarentque parem cruciatibus illis fore, accurrit illicò ad focum pusio, & raptum ex igne ardentem carbonem nudâ, atque vstâ manu diu tenuit. Attonitis illis, & quî dolorem sufferre possit sciscitantibus: Si me, inquit, resolui ad lętos pro Christo ignes ad mortem vsque tolerandos, debeo me resoluere & ad vnam hanc prunam. Enimuero fecit hoc facto generosus hic pusio fidem sinceri ad martyrium illud animi ac desiderij. Pari modo, si tu in minoribus tui victorijs, & qui in tuâ sunt potestate virtutum actibus, atque affectibus te impigrè exerces, tum denum argumentum non leue præbes, etiam sublimiores illos seriò te appetere, & tunc dicere sic v.g. potes: Domine si mille, & infinitos mundos haberem, omnes pro te spernerem; atque vt ostendam, me seriò loqui, en quidquid mundi huius est sperno, & erga omnia, seu parua, seu magna sint, affectum omnem exuo. Et sic in alijs similibus affectibus proportionatè ad singularum materiam, dicito.

ASPIRATIONES ET AFFECTVS ad Christum patientem.

§. I.

Peccati detestatio.

1. CVr, Domine, in passione tuâ sol se tenebris condit? an vt nè te videat tā dirâ patientem? magis credo, nè me videat, te peccatis cruciātem. Nam & tu mauis videre vulnera tua, quàm peccata mea. Hei mihi! vt quid solem aspicio, quem sol, & solis conditor sic horret aspicere!

2. S. Vincentius Ferrerius, Domine, *duos* latrones concionando tantopere inflammauit, vt in carbones, & fauillas abirent. En ego latro sum latronum maximus, qui horribili latrocinio, imò Deicidio, te Deum meum interfeci. Sanguis tuus, ô IESV, clamat, & tot quasi oribus mihi concionaris ac loqueris, quot in te Vulnera hiant. O fiam, Domine, fiam amore tuo accensus carbo & ignis, fiam dolore fauilla, & vel in fumum abeam, ob te amorem meum, à me offensum & occisum.

3. Cur expandis brachia tua, ô amor crucifixe? an vt me amplēctaris? En me filium prodigum, ad te redeuntem, & pœnitentem, ô dulcissime Pater: Stringe me manantibus sanguine manibus, stringe cruentis & laceris
Ps. 50. 4. lacertis, vt cruore tuo *Laues me ab iniquitate meâ*, effunde pretium dolorum tuorum, quod

exten-

extentis brachijs porrigis, vt mihi *stolam* gratiæ compares, fac ex clauis tuis *annulum in manum meam*, omni pretio pretiosiorem, vt me tibi subarrhes: da in escam & potum meum, corpus & sanguinem tuum, vt non nisi te fruar. Ah! mi IESV, ne me amplius dimitte à domo tuâ, vt *abeam in regionem longinquam*, & deueniam ad *porcos & siliquas. Mihi enim adhærere tibi bonum est, vt annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.* Lu. 15. 22. Lu. 15. 13. Psal. 72.

14. Mi IESV, si tu vitam tuam, quæ omnibus possibilibus vitis est pretiosior, mauis perdere, quàm vt ego vel in vnico peccato sim; an non ego hanc vilem vitam meam perdam potius, quam vt peccem tibi? aut in peccato hæream coram te? æquitas certè postulat, vt vilis potiùs vita, quàm pretiosa pereat. Volo, Domine, per gratiam tuam, volo toties vitam meam perdere, & mori potiùs, quàm te offendere, quot gradibus est inferior vita mea vitâ tuâ, hoc est, infinities.

15. Domine, pro ijs, qui post incarnationem, & passionem tuam, in quâ infinitum amorem erga nos declarasti, te non amant, sed adhuc offendunt; iste, qui nunc est, infernus non sufficit, & nimis frigidus est. Quod si & ego, quod auertat Bonitas tua, te offenderem, & in peccato mori vellem, mille alijs infernis me dignum pronuncio.

16. *Qui pro modica voluptate* (inquit S. Augustinus)

gustinus) *dat id, pro quo tu, Domine, mortuus es* (id est diuinam gratiam) *stultum te facit Mercatorem.* O IESV, sapientia æterna, mori me potiùs sine, quàm vt id ego vnquam verbo, factoue adstruam; neque permitte, vt quod tu tam caro mortis & sanguinis tui impendio emisti, id ego pro quacunque voluptate, aut re terrenâ, aliâue vllâ vendam.

7. Heu me! mi IESV, tibi vnum in me peccatum magis displicet, quàm omnis cruciatus in te. O quantum ego te afflixi! Vtinam deinceps & mihi omnis in me cruciatus magis placeat, quàm vnicum vel minimum contra te peccatum. Ita volo, ita statuo; tu hoc animi mei decretum firma tuâ gratiâ.

§. 2.

Sui, & eorum quæ extra Deum sunt, contemptus.

1. O pauperrime IESV, egone quidquam terrenum inordinatè amem, cùm tu in cruce moreris spoliatus non modo rebus alijs omnibus; sed etiam vestibus, cute sanguine, carne, humanâ specie? satis diuitiarum habeo, si te habeo; & cùm nequeam te meliùs habere, quàm cum paupertate; hanc vnà tecum tenerrimè amplector, vt nihil habens te habeam, imo omnia habeam, qui vnus mihi es omnia.

2. O Mi IESV, non tantopere te tua immanissima

nissima sitis, ex sanguine defecto, & vulneribus debilitato, exhaustoque corpore ac doloribus proueniens, quantùm mea gula torquet? Volo deinceps, Domine, abstinere, vt tu pascaris. Nam si debitè abstineam, tu cum iucunditate pasceris, & gustum inde habes, si me ingurgitem, tu sitis.

3. O IESV, *fili Dauid, tenerrime ligni* crucis *vermicule*, quem ego pro te contemptum refugiam? imò quem non quæram, si tu es *vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*? 2. Reg. 23. 8. Ps. 21. 7.

4. O si possem, Domine, abolere, ex meâ, & omnium Mortalium mentibus omnes species, per quas ego vel minimùm æstimor, & contrà, talem omnibus speciem indere, per quam contemnar sine tuâ offensâ, & cum augmento gloriæ tuæ; hoc momento, propter te, mei causâ *despectum* in cruce, *& nouissimum Virorum*, id facerem: nec enim debetur mihi nisi contemptus. Is. 53.

5. Hoc solum, Domine, quod te infinitè amabilem tam parum amem, sufficit mihi ad omnem mei humiliationem, vt in eius me abyssum proijciam, si vel nunquam peccâssem.

6. Dominus Meus, & Deus meus pro me crucifixus est, & *Vir dolorum* est, & ego voluptatem quæram? Is. 53.

7. Nolo, Domine, vt quidquam aut sensibus, aut menti meæ occurrat, nisi tu, amore

mei

mei in cruce fixus, quem solum amo. Quid mihi homines alia narratis? Non cupio inter
1.Cor.2.2 vos *scire aliud, nisi* IESVM, *& hunc crucifixum.*

8. Vnicus amoris, ô Domine, erga te gradus pretiosior & mihi est, & reuera in se est, quàm omnes mundi possibiles. Quid ni igitur hunc mundum, & quæ in eo sunt spernam, vt te amem? sperno, Domine, sperno, ac calco, &
Philem. 3.8. *omnia arbitror vt stercora*; vt tui amorem lucrifaciam.

9. Domine, si vel milliones mundorum, imo mundos infinitos propter te spernam, tibique toto voluntatis affectu offeram, & me insuper totum addam; vti nunc me penitus, cum omnibus, quæ habeo, aut habere possum, do, tradoque; quid hoc est ad id, quod tu mihi dedisti dum vitam, & sanguinem dedisti? Pudet me illud minimum coram te æstimare.

§. 3.

Sui oblatio.

1. O amicorum optime IESV, si alterutri pro peccato moriendum est, aut mihi, aut tibi; egone vt viuam te mortuo? aut tu moriaris me viuo, cui mille mortes debentur, & mille non sufficiunt? Sed enim diremit hanc litem tua infinita charitas, quæ mortem non debitam elegit, vt ego debitam euaderem, & viuerem. O vtinam non nisi tibi viuam, qui sic

mihi

nihi mortuus es, vt cui non datur mori pro
e, detur viuere tibi, & vita mea, quæ per te
norientem seruata est, tota tibi sit sacra.
. O bone IESV, qui pro nobis mortuus es,
iustus pro iniustis, vt nos offerres Deo. En me, 1. Petr. 3.
Domine, qui maximè iniustus, & peccator 18.
um, offer me volentem, ac lubentem ad om-
e obsequium, Deo meo præstandum, & ei
uàm perfectissimè seruiendum, quod vnicè,
& summè desidero: tu enim si me offeras, Pa-
er æternus propter te me recipiet in seruum
ibi, qui me reijceret propter me.
. En, mi IESV amantissime, omnes appe-
itus, & affectus meos cruci tuæ affigo, &
anctissimis pedibus tuis subijcio, vt capti-
os crucifixi Dei mei, eiusque obsequio at-
ue amori mancipatos.
. O quanta est conditionis inter me & te,
Domine, inæqualitas! Tu te pro me hostium
nfensissimorum voluntati, & *potestati tene-* Luc. 22.
rarum tradis, ad horribiles cruciatus, & a- 53.
erbissimam mortem; & in huius rei vicem,
is vt ego me tibi tradam, tibi, mei amantis-
mo, ad omnem meam felicitatem. Trado
Domine, trado me totum voluntati tuæ. Fac
e me quod vis, nullâ habitâ mei, sed solius
eneplaciti tui ratione, in quo felicitatem
neam loco.
. Domine, si me velles annihilare, roga-
em te, vt priusquam hoc faceres, hæc vltima
erba sineres me dicere. Doleo, ô mi amor
Cru-

Crucifixe! super omnia aduersa, quæ mihi hactenus contigerunt, aut contingere potuerunt, aut possent, quod te summè amabilem vnquam offenderim. Imò mihi nihil aduersum reputo, nisi offendisse te, aut recessisse à te. Volo toto corde tibi omne bonum tuum, cui nihil addi potest; & si quid addi posset, ego sum paratus annihilari ad hoc, vt id adderetur: Volo & omne tibi obsequium ab omnibus creaturis tuis, & vellem etiam omne à me, si porrò viuerem. Cæterùm si id tibi placet, vitam meam & totum esse meum, tibi libentissimè immolo, & cum gaudio propter te in nihilum abeo.

6. Eia, mi IESV crucifixe, & pro me mortue offero me tibi in sacrificium perpetuum, vt mihi & amori meo proprio penitùs moriendo, tibi amoris victima cadam; aut velut thymiama tibi consumar, vtinam in odorem quàm maximæ suauitatis.

§. 4.

Cum Christo conformatio.

1. Ergo, ô mi IESV, ô Vita vitæ meæ, in cruce exspiras? Ah! vtinam spiritum tuum
Gen. 2. 7. mihi inspires, *inspires* inquam, *in faciem meam spiraculum vitæ* tuæ vt tuo deinceps spiritu viuam tibique interna facie moribus, actionibus, vitâ sim quàm simillimus.

2. Propter

2. Propter te Domine, mori mihi viuere est nam moriendo propter te, vita mea, cùm seipsam perdit, in tuam vitam abit. O Domine, vt viuam tibi da vt moriar mihi. Hoc enim mihi demum est viuere, tibi, & tuâ vitâ viuere; nam mihi viuere, mortis instar mihi est. O vtinam semper verè dicam: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* *Gal.* 2. 20.

3. O quàm nihil est, Domine, quidquid pro amore tuo ago, aut patior, dum cogito, quid tu pro me egeris, & passus sis. At saltem hoc exile quoties agere aut pati incipio, vnio cũ eo, quod tu totâ vitâ egisti, & passus es, & sic vnitum per te, qui es Aduocatus, & Mediator noster, Patri æterno offero, vt non tã id, quod adijcio, quàm id cui adijcitur, aspiciat, aut potiùs in vtrumq; diuinos oculos suos conijciat, & in odorem suauitatis acceptet. Et quia pudet me, nummulum meum inæstimabili tuo thesauro immiscere, quoties agere aut pati propter te, cum omni, quâ possum, diligentiâ incipio, infinities, si possem, præstantius, quàm id scit quod ago, aut patior, agere & pati per gratiam tuam desidero, & hoc itidem desiderium operibus & passionibus tuis vnitum per te offero, vt quod rebus deest, desiderijs suppleatur, & vel sic aliqua ratione, factis tuis vniri, & per te offerri dignius sit.

4. Submerge, mi IESV, omnes cogitationes meas in vulneribus, & sanguine tuo, omnes

affectus & desideria mea conde in hoc patens pectus, & vni cordi tuo, vt omnia non tam à meo, quam tuo corde prodeant, Patri æterno in odorem suauitatis.

§. 5.

Patiendi pro CHRISTO desiderium.

1. O Domine, cùm mihi miseris aliquam aduersitatem, simul singulariter intellectum meum illumina circa mysterium aliquod è sanctissima tua passione, & auge sine satietate cupiditatem patiendi.

2. Tœdet me, Domine, vitam sine dolore, aut afflictione agere, cùm sanctissimam tuam passionem cogito.

3. Domine, omnem illum locum in hac vita renuo, ac refugio, in quo in honorem sacratissimæ passionis præuides me nihil esse passurum.

4. Quis mihi det, Domine, vt ego maiora patiar pro te, sicut tu pro me. O beata illa compensatio, quam esse non sinit mea vilitas, & tua dignitas; at saltem aliqua amoris similitudo.

5. Confirma me gratia tua, IESV mi pro me crucifixe, per quam in omni molestia, tædio, anxietate, hominum iniurijs, doloribus, ac infirmitatibus meis aliam nullam consolationem admittam, quàm vt ærumnas meas propter te similia patientem, diutissimè, & cum continuo

tinuo singulis momentis incremento audiam à te augendos.

6. Domine IESV, me æternùm pro te pati, infinities minus est, quam te pro me momento pati, me infinitos infernos pati, minus infinities est, quàm te minimum pati: & ego *momentaneum*, *& leue* quod in hac vita pati possum, non patiar, cùm te totâ vitâ tuâ in afflictionibus, & tandem in cruce, acerbissima patientem video? 2.Cor. 4. 17.

7. O mi IESV, fac cor meum cereum, vt in eo sigilli instar imprimas, crucem, angustias, & dolores tuos.

§. 6.

Ad quæuis, quantumuis ardua, promptitudo.

1. Potéstne aliquid esse, ô bone IESV, quod non velim facere, aut pati in gratiam tui, cùm tu in gratiam mei moriaris in cruce? O inhumanum, aut plus quàm barbarum cor, quod mauult suæ cupiditati, aut voluntati satisfacere, quàm tibi, pro amore nostri crucifixo gratificari.

2. Quid minamini, ô Tyranni, & fidei hostes, Christi crucifixi amatoribus tormenta, & mortem pro illo? Si eis ægrè facere vultis, minemini nulla tormenta, vel mortem illaturos: hoc enim illis tormenti, & mortis instar erit. Quid per crucem, & supplicia à Christo auertere tentatis? cum eos *crux* & supplicia *Christo*

Gal. 2. 19. *Christo* coniungant, *& configant?* O sic & ego tibi configar, Christe mi!

3. Domine, si tua voluntas sit, vt totâ æternitate patiar, modo id fiat sine meo peccato, & cum tuo beneplacito, en me: *paratum cor* Ps. 56. 8. & 107. 2. *meum Deus, paratum cor meum.* Nam si tu pro me, beatus cùm esses, passus es; ego, quid, aut quando ad beneplacitum tuum pati recusem, cùm hanc beatitudinem meam æstimem, explere beneplacitum tuum?

4. O amabilis IESV, *non habes vbi caput* Matth. 8. 20. Luc. 9. 58. doloribus fatigatum *reclines.* En sinum, & cor meum tibi pando, vt in eo recumbat. Confige illud spinis tuis, infige etiam *clauos* tuos; sed & adde amorem tuum, vt & particeps sit dolorum tuorum, & nunquam auellatur à charitate tuâ.

5. O infinita bonitas IESV crucifixe! ô vtinam cor meum tui amore in toties tot, & iterum, iterumque ac millies millies toties tot partes diuideretur, quot sunt guttæ, & arenulæ maris, & quælibet pars tolleraret omnia omnium Martyrum tormenta, eaque tolerans te infinito amore vbique diligeret! Verùm cùm id nequeam, *sit ante te* hoc omne Ps. 37. 10. *desiderium meum,* vtinam in quàm maximum gustum tuum.

6. O mi Domine, quàm hoc mihi volupe esset, si ego innocens, & bene agens, persecutiones, humiliationes, & afflictiones paterer, purè propter te, & ob amorem tui, sed

ita

ita vt nulla tui offensa à quoquam interueniret. Quòd si, qui me persequerentur, zelo tui honoris ducti, ex falsis, sed ita verisimilibus de me apprehensionibus, ac coniecturis me affligerent, vt per hoc tibi obsequium præstarent; id demum esset summa votorum & gaudiorum meorum, ob multiplicatum gustum tuum.

7. O beati Cælites! non vestras vobis cæli iucunditates, quas vobis libenter cedo; sed amorem, quo erga IESVM ardetis, sanctè inuideo. Date mihi amores vestros, & ego eis pro illius amore huius vitæ ærumnas, & cruces adiungam, credamque tunc me vobis beatiorem esse. *potius enim mihi habetur malè affici pro Christo*, cum vestro amore, *quàm honorari*, & delicijs cumulari *à Christo*. *S. Chrys. in Ep. ad Ephesi. c.3.*

§. 7.

Inimicorum ad Christi imitationem dilectio.

1. O *Agne* mansuetissime, qui *coram tondentibus*, & vellentibus te *obmutescis & non aperis os tuum: pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis*, vt *non declinet cor meum* in vllâ iracundiæ *verba*, vel affectus contra aduersarios meos; neque *aperiam os meum*, nisi vt ob tui amorem *benedicam maledicentibus mihi, & orem pro persequentibus me*. *Isa.53.7. Act.8.32. Ps.140.3. Luc.6.28.*

2. Quis

2. Quis vnquam, Domine IESV, tam male potest mihi facere, aut velle, cui pro tui amore non benefaciam, & velim, si tu malefactoribus tuis bene & fecisti, & precatus es? quidquid enim iniuriæ mihi fiat, infinito semper interuallo minus est eo, quod factum est tibi.

3. O Mi IESV, cùm ego non possim, quod toto corde desidero, satis beneuolentiæ, & beneficentiæ præstare aduersantibus mihi, & me iniuriâ vel potiùs molestiâ afficientibus; rogo te per bonitatem tuam, tu illis quàm maximè benefac. Nam si tu à te *impetrâsti*, vt tuis inimicis benefieret, non ego *sperem* me impetraturum, vt bene fiat meis, qui *minùs* deliquerunt?

4. Domine, vt virtutem & charitatem tuã aliquatenus æmuler, odientes me maximè, maximè diligam oportet, siquidem vel hos maximè diligendo, quantumuis hac ratione in virtute proficiam; nunquam tamen ad tuam pertingam: at saltem sic (quod vehementer cupio) magis ad illam accedam.

§. 8.

Zelus gloriæ Dei, & in proximos charitas.

1. Vehementer, Domine, doleo, quòd cùm plurimi homines, tanta patiantur, & quidem, prô dolor! aut cum offensione tuâ, au sine vllo fructu suo, & gustu tuo, tam pauci sint qui

patian-

patiantur libenter, in tuæ sanctissimæ passionis honorem, & memoriam, & ob amorem tui.

. Vtinam, ô æterne Pater, efficere possem, vt omnes homines, ex tui amore vltrò ambirent ac quærerent omnis generis aduersitates, ac molestias. Quia pudet me, tot esse, qui Filio tuo vnigenito, *Viro dolorum* pro nobis *Isa. 53. 3.* facto velint esse *socij mensa, & tam paucos* *Thom. à* *ui crucis*, & molestiæ. *Kemp. de*

. Heu Domine, qualem te homines con- *Imit.* temnunt, atque offendunt, & infinito eorum *Christ. li.* amore in cruce fixum, & infinitè amabilem. *2. c. 11.* Si non esset infinitus amor tuus erga nos, ob infinitam tamen amabilitatem tuam, te infinitè amare deberemus; & si non esset infinita amabilitas tua, tuus infinitus nostri amor infinitum amorem à nobis exposceret. Nunc vtraque ratio infinita reciprocum amorem nō extorquet. Heu me! vt quid viuo, qui tantam iniuriam, & indignitatem aspicio?

. O mi IESV crucifixe, & vir dolorum, vel ob hoc solum da mihi dolores tuos, vt doleā, tam indignè ab hominibus tecum agi, rursum *crucifigentibus te, & ostentui habentibus*, vt *Heb. 6. 6.* qui te plùs quàm me, imò non me, sed te diligo, communibus etiam mihi tecum doloribus doleam.

. Iubes me, Domine, *diligere* proximos *Ioā. 13. 34* meos, sicut *tu dilexisti nos*. O mi IESV, quid non impendam illis charitatis, quibus tu vitā

& sanguinem impendis? An possim quid ti-bere tam carum, quàm vita tua sit?

6. O homines, quibus IESVS cor & viscera, vt in eis vos condat, aperit, quibus brachia ad amplexum in cruce porrigit, quibus animam exhalat, quos sanguine purpurat, doloribus sanat, corpore cibat, quos per sua vulnera ad summam felicitatem ducit: Quantos nos nobis inuicem debitores constituit IESVS, quibus mensuram mutuæ dilectionis posuit hanc tantam dilectionem suam? *O nihil* aliud nobis
Rom. 13.8 *debeamus, quàm vt inuicem* in Christo IESV *diligamus.*

7. O mi IESV, egóne parcam sudori & sanguini meo pro conuertendis & lucrandis tibi animabus, cùm tu non parças tuo?

8. O benignissime IESV, cuius infinita sunt mortis & passionis merita, da, vt secundùm totam eorum efficacitatem, & ego animâ, corporeque sanctificer, vt ad quàm maximè tuum gustum, sim obiectum diuinis oculis tuis delectabile, & cooperer modis omnibus possibilibus, & tibi gratis, ad conuersionem & sanctificationem innumerarum animarum.

9. O si tot possem, Domine, animas à peccatis abducere, aut ad perfectum tui amorem adducere, quot sunt guttæ sanguinis in meo, corpore, quàm libenter omnes ad vltimam effunderem, optaremque, quàm sæpissime carnem ab ossibus meis per supplicia abrasam (vti factum est S. Clementi Ancyrano) recresce-

recrescere, vt nouo sanguine impletis venis semper haberem alium, atque alium sanguinem, quem millies, iterumque millies ad hunc finem profunderem.

10. Dixisti Domine seruo tuo S. Carpo, paratum te iterum pati, & crucifigi pro quacũque vel vnicá animâ. O quantùm amas animas! O mi IESV, da mihi, vt ne vnicam quidẽ vnquam negligam, quam per gratiam tuam ad salutem, aut perfectionem possum iuuare. Et quis est labor, aut molestia, ad quam vel pro vnicâ paratus, & promptus esse non debeam, si tu paratus es iterum crucifigi.

11. B. Magdalena de Pazzis cupiebat singulis momentis subire Martyrium ac mori, & statim ad vitam resurgere ad subeundam iteratis vicibus mortem, ad impedienda hominum peccata, & procurandam eorum salutẽ. Tua illam, Domine, passio, & mors ad hæc desideria permouit. Quidni & ego eadem desiderem, qui eorundem desideriorum in te idem, quod illa, obiectum & motiuum habeo.

§. 9.

Ardens CHRISTI *amor.*

1. O mi amor pro me crucifixe, vbi inueniã amorem, quo respondeam tuo? Fateor me eũ, quem habere debeo, non habere: at illum sincerissimè cupio tantum, quantum ne cælites quidem omnes habent. Et quia hoc meum

cupere imperfectum est, ipsum cupere qui vehementissimum, & perfectissimum exem-plo, sicque gradatim in cupiendo, semper augendo in infinitum crescere.

2. Pudet me, Domine, quoties homines me aliquid petunt, quod eis pro amore tuo præ-stem. Si etiam vitā à me petant, nihil est, quod petunt, qui plures vitas pro te crucifixo po-nere & debeo, & volo, quàm sunt stellæ cœli, & quidquid aut numerum habet, aut supra numerum est. Et potestne esse aliquid, quod tui amor à me non impetret?

Cant. 8. 6. 3. Verè *fortis* est *ut mors dilectio tua*, Domine IESV, imò morte fortior, quæ sola te mor-ti subiecit, quod per seipsam mors nequi-visset.

4. O mi IESV crucifixe, si mille corda de-disses mihi, totidem ego corda redderem at-que immolarem tibi.

5. O infelix anima, quæ te non amat, Do-mine, non ideo tantùm, quia se magno bo-no in cælo, & in terrâ privat; id enim in minimis ponendum est; sed quia te tam ama-bilem non amat. Majorem certè infelicitatem duco, carere amore tui, quàm omnibus alijs, quæ extra te sunt.

6. O amantissime IESV, cùm statutum sit o-mnibus hominibus semel mori: ô si ego legē hanc non nisi ex amore tui implerē! Volo di-cere: O! non nisi ex amoris ergâ te vehemen-tiâ morerer! Atque utinam non semel, sed mil-lies,

lies, & iterum millies ac millies sic moriendi legem implerem!

7. Quid mihi cum corde est, si te, IESV crucifixe, non amet? Aut igitur illo caream, aut illo te, & quidem solum amem. Medium inter hæc nullum admitto.

8. O IESV, amor & amabilitas infinita, nimis breuis est æternitas, nimis parua immensitas, si etiam per hanc totam replicatus, vbique, & semper, & quantum à creaturâ fieri potest, summè te amem. Excedit enim hæc omnia plùs quàm infinitè amor & amabilitas tua. Quid igitur est id quod habeo amoris tui? pudet me ei nomen amoris tribuere.

9. O IESV, Deus cordis mei, mihiné, aut vlli extra te retreseruem amores meos? qui si etiã omnium hominum & spirituum cælestiũ corda haberem, satis te amare non possem. Absit, absit, vt si ea omnia haberem, alteri alicui, quàm tibi amando impenderem.

10. Si quid est, quod me, mi Domine, in hac vitâ pro amore tuo cruciat, hoc est, quòd te non amẽ, vt vellem, & in tantis tuæ charitatis flammis atque incendijs non totus ardeam.

11. Distorquent me, Domine, & in diuersa distrahunt cogitationes & affectus mei. Hinc enim dolore crucior, & pudore suffundor, quòd, te, quẽ video infinitè amabilem, nõ tantùm amem quantum vellem, & quantũ amandũ esse intelligo; alia ex parte gaudio perfundor, quòd adeo amabilis sis, vt à nulla creatu-

ra, imò nec ab omnibus simul sumptis, adeoq; multò min⁹ à me satis ameris, aut amari possis.

12. O mi Deus, quia nusquam in creaturis amorem te dignum inuenire queo, ad te recurro & amo te, per te, voloq; tibi amorē à te.

13. Domine IESV cùm te satis amare nequeam, amabo amatores tuos, vt dum eorum erga te amorem amo, hoc eorum amore te amem. O Amatores Christi IESV crucifixi, en ego seruus, & mancipium vestrum sum, indi-
Marc. 1. 7 gnus qui *soluam corrigiam calceamentorum* vestrorum. Amor IESV vis omne & dominium vobis in me facit.

ASPIRATIONES ET AFFECTVS ad Matrem Dolorosam.

§. I.

Peccati detestatio & dolor.

1. QVid mihi, ô Virgo, in hac vita iucunditatis, aut solatij esse possit, quando tu ob peccata mea, cum Iesu in doloribus es, & sine solatio?

2. O peccatū, quanta mihi es doloris seges quod amabilissimum cor IESV sic discrucias, corpus vulneras, vitā enecas, & Sanctissimæ MARIÆ animam, velut romphæa bis acuta, pertransis ac penetras. O vtinam mille me mortes ac supplicia priùs consumpsissent, quàm tu in me venires.

3. O Mater afflictissima, cum Filius tuus gratum habeat, si vel vnus *calix frigida vni ex mini-*

minimis eius *detur* da minimo mihi vel vnicum calicem ex immenso mari amaritudinũ tuarum, vt sit mihi *amaritudo amarissima*, ob tam bonum & amabilem Filium tuum offensum. Quanquam totum amaritudinum mare mihi potiùs quàm tibi innocentissimæ conuenit: meorum enim peccatorum *abyssus* stant *abyssum* amaritudinum *inuocat* & postulat. *Isa. 38. 17* *Ps. 41. 8.*

4. O cæce dolor! adeone cæco impetu Matrem cum Filio tibi in prædam & lanienam destinasti, vt vim omnẽ in eos exeras, quibus non tu, sed omnes debentur deliciæ? Quin tu potiùs cor meũ æquissimo iure petis? huc te transfer hic grassare, hic bacchare. Offensum à me summum, & summè amabile Numen, & tu ipse Filium & Matrem Dei propter me depascens, omne tibi ius in me faciunt. Sed & ego sponte me tibi dedo. Quod si ab illis, qui nihil tibi debent, abstinere non vis, saltem me quoque, in quo totum debitum est, in partem prædæ desume.

5. O Domina mea! ô lachrymabilis dolorum abyssus, vt quid toties offendens *Dilectum* tuum, *candidum & rubicundum*, meorum peccatorum spurcitie ac fœtore, heu me! causa sum, *vt ei non sit species, neque decor.* *Cant. 5. 10.* *Isa. 53. 2.*

6. Ah desine tandem, desine anima mea Matrem gladio, Filium clauis transfigere; desine culpis tuis alteri mortem inferre, alteri ve-

mors in optatis sit, & non mori, plus quàm mori sit, efficere.

7. O mœstissima Virgo, illum ipsum ego tibi dolorem peccatis meis creaui, quem crux & mors Filij tui; hæc enim ex illis orta est. Imò magis ego te afflixi, nam cùm communes cum Filio dolores habueris, sicut illum magis peccata mea, quàm vulnera sua cruciarunt, ita & te. Doleo, ô dulcissima Mater, quòd sic fuerim causa tanti doloris tui, eóque propensius doleo, quòd cùm dolor tuus sit ob offensum Deum, dum dolorem tuum doleo, simul offensum Deum doleo. *Atque vtinam* etiam dolore tuo dolere possem.

8. O dirum & infandum peccatum, quod tantos Dei Filio & Dei Matri, in quibus non es, dolores causas; quàm meritò in ijs, in quibus es æternitate pœnarum inferni plecteris: Et quidem vel ob hanc ipsam causam, longè minùs, quàm mereris, plecteris.

9. Malo quosuis dolores sine peccato, quàm cum peccato quæuis gaudia. Quid enim mihi cum gaudijs, si per peccatum à me crucientur IESVS & MARIA? aut nonne æquius est, me vermem, dignum omni odio, execratione, & pœnâ quiduis pati, quàm IESVM & MARIAM cruciari?

10. O Virgo, quæ multis clientibus tuis impetrâsti, vt citò ex hac vita *raperentur, nè malitia mutaret intellectum eorum*, si me prauides contra tam amabilem Filium tuum, pro me

Sap. 4. 11.

me crucifixum, deliberate peccaturum, impetra etiam mihi, vt rapiar & ego quacunque morte. Melius est enim mihi quâcunque aliâ, & quotiescunque multiplicatâ, quàm vel vnicâ peccati morte mori, aut labe inquinari.

11. Cùm in iustis viuat Christus Filius tuus, ô Domina, & non viuat sic in peccatoribus, nonne ei vitam tollunt, & eum occidunt? Ah! priùs me fac occidi, ac mori, quam Iesum Filium tuum, cuius vtique vita charior tibi esse debet, quàm mea.

12. O mœstissima Mater, cur adstas cruci? videsne vt per tuos dolores, Filio tuo tibi condolenti maiori dolori sis? Quanquam ita dolori illi es, vt sis etiam ingenti solatio. *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris in odorem suauitatis.* O vtinam & ego semper fumante, atque halante propriæ abnegationis, & mortificationis myrrhâ, & amoris erga illum, deuotionisque thure, solatio illi semper sim, qui longè aliter, quam tu, hoc est, peccatis meis, immenso, proh dolor! dolori, illi fui.

§. 2.

Erga Matrem Dolorosam condolentia.

1 N*Olite incumbere, vt consolemini me, recedite à me* cum IESV & MARIA *amarè flebo, plangam & vlulabo; faciam planctum sicut draconum, & luctum sicut struthionum.* *Mich. 1.* *Is. 22.*

2. Quis mihi det, vt duo lumina mea, in duo flumina conuertantur; vt tibi, Virgo, lachrymanti collacrymer, dolenti condoleam? & *cùm a magna sit, velut mare contritio tua,* duo hæc mea b *flumina in illud intrent*: atque vtinam perenni semper origine ab hoc mari oriantur, vt *iterum* atque iterum *fluant*.

a Thren. 2.13.
b Eccles. 1.7.

3. O Mater, hiccine est ille filius tuus, *speciosus formâ præ filiis hominum, electus ex millibus?* en tanquam *absconditus vultus eius, et sicut leprosus, & humiliatus, & percussus à Deo* à nemine *reputatur*: ac ne tu quidem illum agnosceres, nisi & impiorum *blasphemantium* voces nomen eius proderent, & tibi nota eius infinita charitas in nos, talis vt esse vellet, tibi persuaderet.

Ps. 44.3.
Cant. 5. 10.
Isa. 53.3. & v. 4.

4. O lugubrè! ô plenum dolore spectaculum! DEI filius crucifixus cum DEI Matre spiritu concrucifixa!

5. Quid vos oculi mei cessatis à lachrymis, in tam lachrymabili Dei matris & Filij statu? ô cor meum, si vel petra es, scindere, videns vt etiam aliæ scindantur petræ?

6. Potesne, ô Mater, Filium tuum sic morientem aspicere, & viuere? illi certè mori optabilius est, quàm sic te lugentem cernere. O quàm tibi viuere amarum est, sic illum morientem videre!

7. O Virgo afflictissima, hoc ipsum mœrori ac dolori mihi est, quòd tibi, Filioq; tuo adeò, mœrenti ac dolenti tam parũ condoleã.

8. O ta-

8. O cæleſtes ſpiritus, accurrite ad ſolandam Reginam veſtram mœrore & dolore ſub cruce Filij tabeſcentem. Quanquam quid Matri ſolatij afferre poſsitis, Filij, cruciatus, mortem, & diuulſionem acerbiſsimam ſpectantis, qui nè ad Magdalenæ quidem dolorem leniendum, ex ſola Domini reſurgentis abſentia ſufficitis? quin potiùs vos ipſi *Angeli pacis*, in tam miſerabili Filij & Matris ſtatu *amarè flete*, & me (ô ſi dignus eſſem) in fletus veſtri ſocietatem vocate. Iſ. 33. F.

9. Doloréne magis an amore langueas, non ſatis ſcio, ô Filij amantis & dolentis Mater. Nã amor eſt, qui te iubet dolere, & dolor eſt, ſed non niſi ex amore prouenieus, qui te facit languere: quicquid tamen ſit, tecum ego languere deſidero; ſiue enim dolore, ſiue amore langueam, amoribus meis, IESV & MARIA, fulcior.

10. O verè doloroſa Mater, quę tot habes rationes dolendi in Filio crucifixo, quot habes amandi, quæ in te otioſæ non ſunt, ſed id efficiunt, quod ſuadent. Quantum igitur neceſſe eſt eſſe dolorem tuum, cùm amor ex infinitis amãdi rationibus pœnè ſit immenſus. O ſi & ego rationibus, quas habeo amandi te cũ Filio, condolendiq; tantas & tam multas, tantũ permouerer, quantum illæ ad permouendum aptæ ſunt! Verùm obſtat animi mei vilitas, & infirmitas. Hanc ſaltem à me ſuſcipe confeſſionem, quòd quantumuis faciam, quod poſ-

sum, nihil est id, quod facio, ad id, quod debeo.

11. Verè rubus ardens & incombustus es, ô MARIA, quæ dolore atque amore sub cruce ardes, & viuis tamen, neque consumeris, Dei virtute confortata. Ah! fac vt tecum, continenter ardeam; fac vt tecum lugeam, perenni DEI gratiâ roboratus.

12. O quando, quando Filius tuus, ô Virgo,
Iob. 6. 10. *doloribus affligens non parcet mihi?* quando intimè illi & tibi compatiar? ô quando, quando dolores vestri me totum in se rapient?

13. En, ô Mater DEI, quanto cum contemptu in cruce tractatur Filius tuus, & DEVS tuus, quem tu infinitâ reuerentiâ dignum agnoscis. O quàm acutus est hic ensis, qui cor tuū scindit, & fodit! per quem te rogo, eam mihi reuerentiam vt impetres, quoties cum illo ago, quæ & eius Maiestatem, & meam vilitatem deceat, vt eâ tibi sim solatio.

§. 3.

Deliciarum, rerumq́ꝫ Mundi despicientia.

1. O Pulcherrima *Noëmi*, siccine in *Maram* versa es? ô vtinam & me *amaritudine* tuâ ô MARIA, Dominus *repleret*, vt omne quod mundo pulchrum, quod carni suaue est & iucundum, in amarum mihi transeat.

Iere. 31. 15. 2. O MARIA, vera *Rachel, plorans Filium*
Matth. 2. *tuum* qui tibi multorum, imò omnium instar

est,

est, *& non vis consolari*, *quia non est*. Nolo & ego vana creaturarum solatia; nolò vlla huius mundi blandimenta: malo enim tecum *ire in domum luctus, quàm* sine te *in domum conuiuij*. *Eccles. 7. 3.*

3. O Virgo Virginum purissima, ne me sine vllo corporeæ voluptatis, præsertim impuræ, aut vetitæ, sensu affici, sed eius mihi nauseam atque abominationem quàm maximam ingere. Quid enim mihi cum Voluptate est, si tu cum Filio tuo in dolore es?

4. O Virgo fortissima, quæ te in re tam difficili pro Dei amore superasti, vt Filium tibi tolli, in quo quicquid amabile esse potest, habebas, sineres; impetra mihi, vt nulla in mundo sit res, quâ ob Dei amorem priuari nolim, nulla affectio naturalis, quam non supererem.

§ 4.

Fiducia per Matrem Dolorosam bona obtinendi.

1. Hei mihi! *iniquitates meæ supergressæ caput meum, & multiplicatæ sunt super numerum arenæ maris, nec sum dignus videre altitudinem cæli*, neque vllam veniam mereor: At qui tandem desperare possim, quando IESVM sanguinem, MARIAM lachrymas pro me fundere video. *Ps. 37. 5.*

 2. O Ma-

2. O Mater dolorum MARIA, verè vnigenitus tuus factus est tibi nunc Benoni vere
Gen. 35. 18. *Filius doloris.* O si & ego, quod filiali affectu desidero, Filius, quòd *si filius, & heres doloris*
Ro. 8. 17. tui esse possem; sperarem quòd Filio tuo, a-
Gen. ib. mantissimo Patri meo, Beniamin, seu *filius dextræ* futurus essem.

3. Quid est quòd non possis nobis impetrare, ô Mater dolorosa, quæ quod Deo offers, id & Deo Filio tuo offers, & Deum filium tuum offers, & per eum Filium, qui Deus est, offers: & quidem eundem Deum filium tuum offers, quem eundem habet Deus filium, cui illum offers; & offers eum Filium Deum Deo, qui præterquam quòd plus, quàm infinitè, ametur à Deo, cui illum offers; infinita præterea mortis & passionis merita habet, per quæ oblata obtineri possit, quicquid decenter peti potest: & hæc merita allegantur à te, & apud eum Deum, cuius sunt merita, vt sibi ipse apud seipsum & Patronus sit & mediator, qui postulet ac moueat, & supremum Numen, quod à seipso exoratum, & condignis meritis proprijs inductum, id quod postulatur tribuat. O res omni admirabilitate maior! ô quantam in te Mater dolorosa habemus Aduocatam & Patronam.

4. O thesauraria, & dispensatrix thesaurorum, quos Filius tuus in cruce nobis compa-
Prou. 8. 34. rauit; en ego *ad postes ostij tui obseruo*, mendici instar, vt aliquid accipiam. Habes abunde vnde

unde tribuas: da Domina, quod te & illum decet. Enimuerò tunc me diuitem & beatum credam, si mihi affatim suppetat, quod in tuũ & Filij tui honorem, amoremque expendam, commodorum meorum penitùs oblitus.

O Virgo verè singularis, inter omnes mitis, quæ tantam mansuetudinem in eos, qui adeò tibi in Filio tuo fuerunt iniurij, vt esse magis in te ipsam non possent, ostendisti; vt pro illis orares & eis benè precareris, & velles; quid benignitatis à te cultores tui sperare non possunt, quam hostibus tantam exhibuisti?

O Domina, mihi in Matrem sub cruce data, impetra à IESV tuo crucifixo vel vnam sanguinis guttam. Et non impetres, cùm tuus ille sit sanguis, qui tam prodigè funditur? Huius guttulæ pretio plus quàm immenso, eme mihi quod tu è re mea maximè esse intelligis; ego enim quid petam, aut quo egeam non satis scio; sed mei curam tibi, vt Matri relinquo.

O benedicta Mater, quæ Filium tuum crucifixum pro nobis Patri æterno sub cruce, in suauissimum holocaustum obtulisti; offer nunc eundem pro me, alijsque viuis ac defunctis, eo modo, quem tu nôsti ei esse acceptissimum, ac perfectissimum, atque vtinam illis & ego precibus tuis efficiar, vt ei à te totus & integer in odorem suauitatis offerri possim. Vnica hæc est desideriorum meorum meta.

8. O Domina, cui me cruci adstanti moriens Filius tuus IESVS in Filium, atque adeò in sui vicem tradidit, per illas ego te angustias, quas cum illo moriente plus quàm moriens passa es, rogo, ne me morientem, & multiplicibus in angustijs tunc positum desere, sed securam & felicem eam horam mihi præsta, vt post eã tibi, Filioque tuo immortali immortalis assistam, cum vtriusque laudatione amoreque immortali.

§. 5.

Patiendi sitis.

1. O Dolorosa Mater, quæ iuxta crucem Filij tui ita vicina stas, vt ad eam aditum occupare videaris, neque nisi per te accedi possit, sine me quoque eius per te esse participem, & ad eam *fructúsque eius dulces gutturi meo* me admitte. Nam iuxta crucem tecum stare, te libenter sociare in planctu desidero.

Cant. 2. 3.

2. Quænam possunt esse desolationes, & animi amaritudines, atque afflictiones internæ, ô Virgo afflictissima, quas non libẽter pro Deo tolerem, quando tu tota ijs es repleta, & *inebriata absynthio.* Hoc solum te rogo, vt gratiam mihi ac vires obtineas, ne mihi sint vllius diuinæ offensionis occasio, sed potiùs maioris obsequij, laudis, gloriæ & gustus; tum verò eas habebo pro meis delicijs.

Thren. 3. 15.

Cant. 2. 2. 3. O MARIA *lilium inter spinas*, hoc est, inter dolores Filij tui, in medium harum spinarum

rum & me constitue, vt quotiescunque me nouero, penitùs his spinis configar.

Vnum hoc à te peto, Mater crucifixi Dei mei, vt per tuam deprecationem penitùs vulneribus Filij tui inscribar, imprimar, immergar, & eorum amore semper ardeam.

Quàm multi sunt, ô Virgo, qui per te *Matrem* nostram *petunt* à Christo Filio tuo *sedere ad dextram & sinistram in regno eius,* quàm pauci, qui velint tecum iuxta crucem stare, & *bibere calicem, quem* tu cum illo *bibisti*: & tamen *calix iste inebrians quam praeclarus est!* O Mater, *introduc me in* hanc passionis *cellam vinariam,* & in *torcular*, quòd Iesus *tuus calcat solus*, vt doloris & amoris eius musto tecum inebrier. Matt. 20. 21. Matt. 10. 37. Psal. 22. Cat. 2. 4. Isa. 63. 3.

O spinæ, quæ non minùs profundè hæsistis in Matris corde, quàm in Filij capite, me quoque vtrique configite, ac connectite, vt atque sub spinoso capite IESV sim membrũ vnicatum, & cor meum cordi MARIAE cõiunctum, nunquam ab eius dolore, amoreque abstrahatur.

IESVS, MARIA, dulcissimi amores mei; moriar ego pro vobis, moriar pro vobis. Amore vestri crux mihi sit, sine cruce esse, in cruce esse meræ delicíæ, vt vobis aliquo modo conformer.

O Materfamilias in domo Domini sub cruce constituta, recipe me in familiam, ac famulum simul tuum, simul Filij tui; & obtine mihi

mihi hanc apud eum conditionem, vt ei indiuiduus comes adhæream, & improperia ac crucem ferentem quàm proximè sequar, atque imiter.

Cant. 2. 5 9. O Virgo dolore quidem atque *amore langues*. sed vbi sunt flores quibus *fulciaris*? vbi *mala* quibus *stiperis*? an fortè crucis malus ex malè gustato Adæ malo parata? Ah nihil est in afflictione tua solatij, nisi crux, hoc est afflictio afflictioni addita, dolor dolori. Vtinam & ego amore erga te, Filiumque tuum languеam, nec solatium nisi in cruce reperiam.

10. O amor, quas non facis metamorphoses, vt cruciformem Matrem Filio reddas! Vtinam & me pariformem vtrique efficias.

§. 6.

Diuini honoris Zelus, & proximi dilectio.

1. Heu, quam doleo, Domina, Filium tuum tot peccatis ab hominibus offendi; ô si ego totius mundi scopus esse possem, vt loco cuiusque peccati, totidem tela & fulmina in me iacerentur. Meliùs enim mihi est millies fulmineis ictibus peti ac transfigi, quàm Deum meum, Filium tuum crucifixum à quoquam offendi. Tu mihi ad id semper sincerè & efficaciter cupiendum robur impetra.

2. O tenerrima, & dolore plenissima Virgo, da mihi vel paululũ de intimo tuo sensu, quẽ habes ex eo, quòd Deus tuus (verè tuus; quia Filius tuus) & Deus noster tã indignè ab hominibus

ninibus tractetur, & offendatur & tanta eius n cruce charitas spernatur. Sufficeret id mihi d disrumpendum cor meum.

. O Mater, quid tibi solatij præbere possum in tantis tuis doloribus? Fateor tibi dinè condolere nequeo; at saltem satagam te in lientibus tuis (quos magis amas, quam vlla mater filios suos) infirmis, afflictis, moribunis, verbo, & re, omniq́ue ope consolari; quòd id nō possim, certè totis compati viscerib⁹.

. O Domina, nemo est, qui patienti & vulerato Filio tuo auxilij aliquid, aut leuamenti ferat; nemo qui clamanti, Sitio, vel guttam quæ porrigat. En me promptum, vt quod ei se facere voluissem, id nunc eius fratribus ciam, ad tuum, & illius solatium.

. O Mater, præbe mihi ex maternis vberis tuis lacteam dulcedinem mansuetudinis, benignitatis tuæ, vt tuos mitissimos mos, & indolem erga quoscunque, quantums mihi aduersantes, & iniurios a te hauriā.

O Mater misericordiæ, oculos illos, quis vulnera, sanguinem, & dolores Filij tui in uce aspexisti, in animas Purgatorij, earumie dolores detorque, & hos per illos tolle.

§. 7.

Cum Christo conformitas.

O Mater nostra dulcissima, quæ nos sub ıce IESV, in summis doloribus *parturiuisti*, *Gal.* 4. 19 *forma*

forma in me Christum primogenitum Filium tuum, vt eum indole, spiritu, & moribus exprimam. O vtinam, quæ vnum Filium tuum morte crucis amittis, alium in me, ei quadantenus similem, inuenias!

2. O Virgo humillima, quæ in montem Caluariæ *exiuisti*, vt Christi Filij *improperia portares*, quis mihi det, vt eorum partem ego quoque feram? & hoc singulare meum decus ac gloriam reputem? Sicut enim huius mundi sectatorum *gloria in confusione ipsorum est*, ita è contrario confusio ac contemptus tecum & cum Filio tuo ex amore vestri toleratus, in summa mihi gloria est.

Hebr. 13. 13.

Phil. 3. 19

3. Rebecca olim Iacobo Filio, vestibus Esau beneolentibus induto benedictionem procurauit; tu me, ô Mater mea dulcissima, Iesu crucifixi vestibus, hoc est, imitatione vitæ, & passionis indue, vt per eius benedictionem, velut *myrrhâ, & guttâ, & casia* fragrem Domino *à vestimentis eius* in odorem suauitatis.

Psal. 44.

§. 8.

Dei & Deiparæ amor.

1. Reg. 15. 32.

1. *Siccine separas amara Mors* Matrem à Filio? ô acerba disiunctio in tam amabili nexu! Quanquam, ô mors, vitam quidem alteri horum amantium, sustulisti, sed charitatem alteri auxisti: nam in altero tanta est, vt augeri nequeat. O IESV, & MARIA, tollatur sanè & mihi

mihi quacunq; morte vita mea, dummodo amor in vos augeatur.

O tota in IESVM crucifixum tuum träsformata, & abyssata Virgo, non tunc duntaxat, cùm eum è cruce pendentem videbas, sed per reliquam vitam totam; *trahe me post te* in eandem abyssum, vt dum hunc spiritum traho, mẽs mea tota immergatur & absorbeatur amore & dolore IESV pro me crucifixi. *Cant.* 1.3

Fortis est vt mors dilectio tua, ô amans Mater, & dolens, imo morte fortior. Etsi enim vnam mors animam à benedicti Filij tui corpore separare potest; non potest tamen te alteram eius animam ab ipso separare. ô! dilectionis huius partem mihi communica; eam si habeam, profectò à Filio tuo crucifixo non me omnis mundi contemptus, omnium rerum inopia, omnia inimicorum odia, omnia tartari tormenta auellent, sed nec mille mortes *à charitate, quæ est in Christo* IESV, *separabunt.* *Cant.* 8.6 *Rom.* 8.

O Virgo omnibus Seraphinis charitate in Filium DEVM tuum crucifixum ardétior, cuius vnicus amoris actus præstantior quàm omnium simul sumptorum Sanctorum; Cor tuum mihi accommoda, vt Dominum meum, ex mei amore mortuum, pro aliqua condignitate redamem, quandoquidem meum cor tam frigidum est.

O amabilissima Mater, cùm te satis amare nequeam corde meo, amo te corde ardentissi-

tissimo Filij tui in cruce, & iuxta mensuram & modum eius te diligo.

6. O quantum tibi obligamus Mater nostri amantissima, quæ tantis cum doloribus vitæ & saluti nostræ cum Filio crucifixo cooperata es! Si me tibi totum ex asse (quod nunc toto corde facere intendo) donem, ô quàm vile est, & te indignum donum! O Domina, fac me tuis precibus, & dolorum meritis talem, vt me tibi quàm dignissimè offeram.

Ps. 129. 7. 7. O quàm *copiosa est apud* Filium tuum, Dominum nostrum, Virgo sanctissima, tui *redemptio*, qui te per passionem, *cui adstitisti*, ita redemit, vt nullam prorsus maculam, vel originalem vel actualem contraheres! quàm benè collocatus est in te eius sanguis & mors, ex qua tam pretiosis es *ornata* gratiæ *monili-*

Isa. 61. 10 *bus*, ac cælestibus *diuitiis*, vt *filias* Ierusalem

Prou. 3. 29. *supergrediaris vniuersas*! Gratulor tibi toto cordis iubilo hanc præclaram sortem, summeq; mihi placet, esse te diuinis oculis tam amabilem. Ah! partem huius felicitatis etiam in me deriua.

8. Omnes cælestes spiritus & creaturas inuito, ad agendas Christo Filio tuo gratias, pro talibus ac tãtis crucis fructibus, quibus, Virgo sanctissima, abundas. Quid enim? an non gratiæ à me debētur illi, qui te Matrem meã, alia quacunq; matre mihi multò chariorem, sic ornauit, ac locupletauit: vel hoc solum sufficit, vt ei me in seruum perpetuum ad omne obsequium consecrem.

HYM-

[S]tabat mater dolorosa,
[I]uxta Crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.
[Cui]us animam gementem,
[C]ontristantem & dolentem,
[Pe]rtransiuit gladius.
[O qu]am tristis & afflicta
[F]uit illa benedicta
[M]ater vnigeniti?
[Quae] merebat & dolebat,
[E]t tremebat, cùm videbat
[N]ati pœnas inclyti.
[Quis] est homo, qui non fleret,
[C]hristi Matrem si videret
[In] tanto supplicio?
[Quis] non posset contristari,
[Pi]am Matrem contemplari,
[D]olentem cum Filio?
[Pro p]eccatis suæ gentis
[Vi]dit Iesum in tormentis,
[Et] flagellis subditum.
[Vidi]t suum dulcem Natum,
[M]orientem desolatum,
[D]um emisit Spiritum,
[Eia m]ater fons amoris,
[M]e sentire vim doloris
[Fa]c, vt tecum lugeam.
[Fac] vt ardeat cor meum
[In] amando Christum Deum,
[V]t sibi complaceam.
[Sanct]a Mater istud agas
[Cr]ucifixi fige plagas
[Co]rdi meo valide.

Tui

Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum diuide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta Crucem tecum stare,
Te libenter sociare,
In planctu desidero.
Virgo virginum præclara,
Mihi iam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac vt portem Christi mortem,
Passionis eius sortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filij.
Inflammatus & accensus,
Per te, virgo sim defensus
In die Iudicij.
Fac me cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoueri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac vt anima donetur
Paradisi gloria, Amen.

Ad maiorem DEI gloriam & SS. Matris
dolorosæ honorem.



INDEX

ERVM PRÆCIPVARVM, quæ his tribus libris continentur.

Irca hunc indicem obserua, beneuole lector, non eiusdem vbique generis m esse citationes. Cùm enim pro diuersitate eriæ, prout eius vel breuitas, vel prolixi- vel tractandi ratio postulabat, nunc para- phis, nunc numeris Latinis in margine po- capita distinguantur, nunc praxes adfe- tur, necesse fuit etiam citationes variari. que primus Liber c. & §. Secundus c. & nu- o marginali. Tertius pr. (quæ duæ literæ xin significant) & addito aliquando vel §. numero ad marginem adiecto, res notatu nas, quæ in hoc indice citantur, exhibet. a autem. §. frequentius fortè occurret, m vt caracteres compendiarij sufficiant, o eorum vsurpabitur littera initialis. p.

A

N n Absti-

Colo-

Studet

Spiri-

Spiri-

P. Desi-

In

In-

Hierar-

Ad

Inde-

Belo-

M.

Magna-

Ii

Matris

Mor-

Oratio

Pat-

Prude-

Tormen-

Reli-

Gratum

Maior

Soci-

Sup-

Theodo-

Deum

Ad maiorem Dei gloriam & honorem SS. Matris Dolorosæ.



